This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

m
623(4) mcl 1891
24

Hic liber constat
mihi
J. Thal. Liebmann.

[illegible] 1. [illegible] 4. [illegible]
d. 18 VII/12.


Ex Libris

M
1
1234 md 1591

Hic liber con
mihi
J. Thal. Lieb

Kostet 1. rf. 4. ßl
den 18 VII/12.

Terentius Afer, [illegible]

PUBLII TERENTII
AFRI
COMOEDIAE SEX

NOVISSIME RECOGNITAE

CUM SELECTA VARIETATE LECTIONUM ET PERPETUA ANNOTATIONE

ACCEDIT INDEX LATINITATIS CUM INTERPRETATIONE

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINAE



EDITIO ACCURATA

BIPONTI
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS
CIƆIƆCCLXXIX

878
T3
1779

John S Lawrence Estate
Gift
4-21-1986

[redacted]

1-20-60

P. TERENTII
COMOEDIAE

[redacted]

PHIL. MELANCHTHONIS PRAEFATIO IN PUBL. TERENTIUM.

Paedagogis

Philippus Melanchthon S. P. D.

CUm Typographus hic Terentii Comoedias recudere pararet, rogavit, ut ſe in optimo auctore edendo recognoſcendoque adiuvarem. Ego vero tametſi non ſatis inſtructus eſſem veteribus exemplis, quibus in tali re opus erat: tamen homini amico, in ſanctiſſimo negotio nolui deeſſe. Nam mihi quidem praeclare mereri de Repub. videntur, qui hoc genus auctoribus edendis, publicis ſtudiis conſulunt. Praeſertim autem hoc tempore, cum in perniciem literarum pene conſpiraſſe chalcographi videntur: non mediocris gratia debetur iis, qui nonnullo rei familiaris periculo in veteribus transſcribendis ſumptus faciunt. Paſſim enim novis et inſulſis libelis magno numero quotidie prodeuntibus, luculenta veterum ſcripta opprimuntur. Porro vix alius liber eſt, quem perinde omnium manibus teri referat, atque has Comoedias. Nam praeterquam quod honeſtiſſima civilium morum exempla hic proponuntur, ad parandam dicendi facultatem mirifice conducunt. Vincit enim proprietate ſermonis facile omnes Terentius, quae virtus in oratione citra controverſiam prima eſt. Deinde ea in exponendo ac narrando copia, ea diſpoſitio argumentorum, ea in ſententiis ac ſalibus venuſtas eſt prorſus, ut perfectius ne quidem ipſas Athenas, quas in hoc genere regnaſſe ferunt, quidquam facere potuiſſe credam.

Quare hunc auctorem edentibus non inviti operam dedimus. Quid praeſtiterimus, indicabunt exempla, ſi cum aliis conferantur. Facta eſt copia nobis Terentiani Codicis, qui videbatur vetuſtior, ſed erant iuxta proverbium, ανθρακες θησαυρος. *Itaque nos non magnopere adiuvit. Utinam autem libeat iis, quos audio diu iam moliri emendationem, tandem aliquando nitidiorem Terentium in proſcenium producere. Neque enim alio beneficio maiorem gratiam apud ſtudioſos omneis inire quiſquam poſſit. Me vero non poenitebit huius operae, ſi qui me auctore magis amabunt Terentium. Chryſoſtomum ferunt tantopere delectatum eſſe Ariſtophanis lectione, ut ſemper in manibus haberet, dormiens etiam pro pulvino uteretur. Nec dubium eſt, quin alendae locupletandaeque facundiae cauſa tam ſeduio legerit. Quanto pluris Terentius fieri mereatur* [1], *cuius fabulae cum obſcoenitate vacant, tum ſunt aliquanto quam Ariſtophanicae, niſi valde fallor,* ρητορικωτεραι. *Proinde paedagogos omnes adhortor, ut hunc auctorem ſumma fide ſtudiis iuventutis commendent. Nam et ad iudicium formandum de communibus moribus, mihi quidem plus conferre, quam plerque Philoſophorum commentarii, videtur. Et non alius auctor loqui elegantius docebit, aut utiliore genere orationis puerilem linguam imbuet. Beatas Reſpublicas, ſi hoc genere literarum dedolata iuventus, ad maiores res gerendas acceſſerit! Nunc cum nullae literae, nulla ſcientia neque religionis, neque virtutis ſit in his, qui tenent Reſpublicas, videmus eorum inſcitia, omnia ſacra et profana, divina atque humana miſceri.*

1 *Quem Grotius quidem tanti faciebat, ut ſecum ſemper ferret. Ac propterea increpatus a viro quodam politico reſpondit:* alia in illo legere pueros, alia viros. *cf. Morhof. Polyh. T. I, L. IV, c. XI, §. 6.*

LECTORIBUS
EDITORES BIPONTINI S. D.

TERENTIUM, poetam inter dramaticos optimum, omniumque Comicorum ἠθικώτατον, in gratiam iuventutis, cui is maxime prodeſſe omni tempore viſus eſt, noſtra ratione curatum edimus. Poſt eum adultioribus legatur vetuſtior *Plautus*, et illis, quibus omnis latinitas curae eſſe debet, et his, quibus ingenium alere volupe eſt. *Plautus* quidem, homo ludis iocisque natus et inexhauſti ingenii, qui artem ludicram *Livio Andronico* primum a *Satyrarum* modis ad *fabulas* argumento ſerendas translatam (cf. Liv. hiſt. VII, 2 et Val. Max. II, 4, 4) prae ceteris aetatis ſuae ſcriptoribus ſcenicis extulit, auctor alter *Comoediae Romanae* habetur, et vi comica omnibus ſuperior: ſed is cum pauciores haberet intelligentes ſpectatores, plurimos ruditatem olentes et Satyrarum licentiae olim aſſuetos, non tam ſcenam repurgavit, quam vitiis virtutes miſcuit. Novam vero prorſum iniit ſtudii Muſici rationem *Terentius Afer*, Comoediae Graecorum novae, eiuſque auctorum, *Menandri*, *Diphili*, *Apollodori*, *Philemonis*, ſectator, ſummorum Romae virorum, magni *Scipionis* et ſapientis

Laelii ſamiliaris, ingeniorum animorumque humanorum notatione ad artem factus, ipſeque humaniſſimus, Comoediam Romae a laſcivia ex Satyris reliqua, et immodeſta illa vi comica devocavit ad mores et humanitatem: atque ſic *morati dramatum generis* princeps evaſit. Fabulae eius e Graecia in Latium translatae ſunt ipſiſſima vitae communis ſ. quotidianae imago, nativis coloribus velut ſanguine diffuſis ad ſummam venuſtatem et gratiam ornatae. Perſonarum mores ſ. characteres ad decori rationem ſimul ita temperavit, *ut* vel *meretrices honeſtiores ſint*, quod *Balzacus* ait, *quam Plautinae matronae*, feminarum decus ubique ſervetur: paraſiti non ſint ridiculi et plagipatidae, ſed vel Gnathonici, h. e. aſſentatores (et deriſores) eorum, qui ſe primos omnium rerum putant (cf. Eun. II, 2. p. 114 ibique notata), vel qui a poeta notentur *nigri*, ut ait Cicero, et *confidentes*, ut Phormio, cuius ſimiles et hodie cavere debemus: ſervi, alii frugi, alii delectabiles dolorum artifices. Atque ipſe Terentius tantus eſt ſermonis hominum pro cuiusque conditione et affectu ſimulandi artifex, ut nihil ſupra; qua re audientium vel legentium animi, haec eſſe ſcenica et ficta, facilius obliviſcuntur, et in omnes ſermocinantium affectus trahuntur. Habet et hoc proprium, ut priores ſcenae narrationem ſ. expoſitionem argumenti contineant, e quo ſeritur fabula, ac ſemper aliquis ex actoribus adſit praemonſtrator, ut Syrus, primaria Heautontimorumeni perſona, cuius dicta vel quaſi falſa, ex eventis iucunde intelliguntur fuiſſe vera. Dictionis vero tanta in eo eſt caſtitas et elegantia, ut *ob hanc putarentur* a *Laelio ſcribi* eius fabulae, teſte *Cicerone*, cui ipſe fuit in deliciis: atque *Varroni* exemplum diceretur *me-*

diocritatis, quo is vocabulo inſignivit virtutem dicendi pulcherrimam, mediam ſcilicet inter ubertatem et gracilitatem (cf. Gell. VII, 14), qualis illa Neſtoris facundia inter magnificam loquentiam Ulyſſis et ſubtilem ſermonem Menelai, media fuerit apud Homerum. Oratio igitur Terentiana ipſa eſt ſapientiae perfectae oratio.

Mirum ſane eſt, quod multis, quibus voluptas omnis ab animo ad corpus migravit, tumultus pro ſapientia, licentia pro ingenio, ridiculum pro vi comica eſt, Terentius citra fines Comoediae ſubſtitiſſe videtur; Terentius inquam, qui fabulas arte ſumma ad naturam et humanitatem direxit, qui in loco orationem et affectum ad epicum vel ad tragicum genus attollit, ſed ita ludit; (comparante *Batteuſio*) *Ut feſtis matrona moveri iuſſa diebus Intererit Satyris pudibunda protervis* (Hor. art. poet. v. 232 ſq.). Hunc igitur poetam, et iucundiorem morum praeceptorem, quam qui vel magnifice vel ſubtiliter praecepta loquuntur, iuventuti denuo tradimus, quo rectius fruantur. Textum quidem ſermonis Terentiani ita curate expreſſimus, ut neque in *G. Faerni*, qui in emendando illo palmam poſcit, neque in *D. Heinſii*, quem in edendis poetis felicem praedicant, recenſione, hodie fere vulgatae vim obtinente, ſubſiſteremus; ſed textum denuo, ubi deficere videbatur, ad Codicis Bembini, omnium principis, Vaticani, ceterorum, quos maxime Bentleius aliique laudatiores adierunt, veſtigia, et priſcarum editionum [1], ab edi-

1 Ex priſcis edd. nulla quidem nobis ipſis primum ad manus fuit, praeter vetuſtiorem quandam fol. min. cum figg. in ligno deſcriptis, verſibus diſtinctis rectius in ſenariis, adiunctis ſuperne, ad latera, & infra

toribus praeſtantioribus conſultarum lectionem conferremus, et noſtrum qualemcunque ſenſum ſecuti nonnulla ipſi primum reſtituta ederemus, aliorum auſa in Codd. meliores refutaremus, ſaepiusque Terentium a vexatoribus, quantum in nobis ſit, defenderemus, cetera a nobis coniecta, quae recipere ſuperbum videri potuit, ſubiiceremus. Factum id a nobis eſt diligentius in Eun. et Heaut. quam in Andria, quae iam pulchrius ſe habere viſa eſt. Ceterum uti editorum recentium nemo maiorem de reſtituendo a ſe Terentio famam reperit vel laudem, quam Rich. *Bentleius*, Anglus, aliorum, maxime *Harii* reprehenſor, immo *Faerno* ſe, et Codici Bembino ſuos praeponens, ipſe modo corrector, modo corruptor textus Terentiani, et metri arbiter intolerabilis: ita eius maxime inventa vel auſa excuſſimus, quae probabilia viſa ſunt, ſecuti ſumus, alia quae confidentius, quam verius palam protulit, brevibus confutavimus, plura aptiori intercifione l. explicatione defendimus, leviora multa omiſimus. Quamvis enim Terentii lectio minus quam aliorum auctorum veterum corrupta vulgo feratur, natat tamen et illa in variae lectionis oceano, quomodo iam Ciceronis aetate exemplaria affectam lectionem perhibebant:

comm. Donati in 5 fabb. & Calph. in Heaut. Cum exemplar noſtrum a capite & calce mutilum ſit; (quippe a principio ſeptem folia deſunt, a fine quinque, ex quorum reliquiis ſaltem conſtat CVII foliis abſolutum, ſignaturam ad CC progreſſam fuiſſe) haeſimus in anno & loco editionis. Congruere videbatur cum Argent. prima, eoque ſic a nobis paſſim vocata eſt. Excuſa vero videtur ad exemplar antiquius Mediolanenſe vel Tarviſinum. Serius etiam Veneta III Franc. Dianae ad noſtros uſus acceſſit.

eademque utut inde ab Eraſmo, G. Fabricio, Goveano, Mureto, Faerno, Lindenbrogio, Heinſio, Boeclero, Daciera, Lengio, Hario, Weſterhovio et Bentleio curata nondum tamen ab omni interpolatorum fuco in ſinceriſſimum nitorem repurgata exſtat, cuius rei exempla ad Eun. III, 5, 43. V, 2, 32. V, 4, 6. V, 10, 39. Heaut. prol. 6 et I, 1, 60. III, 2, 12. III, 4, 16 ſq. ut alia taceam, prodidimus. Sed qui haec et alia iudicare velint, conferant ipſi textum noſtrum adeantque notas, maxime ad Heaut. Notis hiſce criticis, in gratiam tironum, interpoſuimus alias, quae ad rationem ſcenicam et actionis pertineant, partim ex Donato, vetere interprete, aut aliunde excerptas, partim ubi ille, vel potius inepti eius interpolatores rem non tetigiſſe, vel praeteriiſſe viſi ſunt, noſtras novas; quod quidem in Heautontimorumeno hoc diligentius fecimus, quo magis perturbata fuit ratio huius fabulae duplicis, minusque intellectum artificium in ea ſummum; unde Actum III longius quam in vulg. proferre, ſcenasque melius deſcribere oportuit. Sed haec rectius iudicentur legenda ipſa fabula, a qua et initium legendi faciant adoleſcentes. Eſt ſane illa exemplum humanitatis, artis et orationis Terentianae, morumque habet praecepta egregia. Denique nec orationem et latinitatis rationem, ubi ab ea deflectere vidimus interpretes, aut critica l. ſcenica ratio id poſcebat, illuſtrare neglextimus; plurima tamen in indicem latinitatis, alteri volumini ſubiungendum, reſervavimus. Quamvis autem opera noſtra videri poſſit levior, quam auctoris ratio poſtulat; neque otii et rerum noſtrarum inopia, vel ingenium noſtrum, quod ipſi ſentimus, quam ſit exiguum, maiora ferat; plura tamen afferi-

mus, quam quae promiſimus, et ex inſtituti noſtri ratione aequus quisque poſtulet. Itaque noſtram opellam aequi bonique faciant lectores. Quem ſubiungimus indicem editionum, ad lectionis Terentianae rationes deſcriptum, in eo concinnando, iam facilius emendando, augendo, forſan inepte operam conſumſimus, poſtquam Fabricius edixit: *univerſas Terentii editiones perſequi, vel inepti ſit.* Nos vero neque ingratam diligentiam iis fore, arbitrati ſumus, qui inde aetatis cuiusque in quavis gente genium cognoſcere cupiunt; neque ineptiorem adhibuimus, quam illi, qui lectionis auctorum, etiam manifeſto mendoſae, genealogias, aut neſcio quos alios indices conſcribunt.

INDEX EDITIONUM TERENTII

Longe auctior Weſterhoviano & nova ratione deſcriptus.

AETAS I *nutrix*, an. 1469 — 1500; *Archetyporum* ſ. editionum principum, quae hodie rariſſimae et pro Codicibus habentur. Terentium pleraeque ex Codd. absque verſuum diſtinctione exhibent; dein & ad metri rationes, quas primus Ang. *Politianus* curare aggreſſus eſt (teſte Benedicto Philologo Flor. in praef. ad Petr. Crinitum recuſa edit. Argent. 1516) atque ab an. 1487 in edd. adnotatas reperimus.

(Incerti anni) *Terentius* poeta, cum Commentario Donati Grammatici. 4.
——— cum vett. variorum Commentt. Venet. fol.
——— per Io. Hugonis de Gengenbach, ſine diſt. verſ. fol.
Aelii *Donati* notae ad Terent. ſine textu. fol. ed. elegantiſſima.

(1469) *Editio princeps*, in bibl. Com. Sunderlandiae. Weſterhovius impreſſam anni notam dicit; Harius manu adiectam putat.

1470 *Ed. Mediolan.* I cum Donato in Ter. per Ant. *Zarotum*, impendio Io. Legnani. Mediol. fol. a nemine editorum adhuc collata.

1471 *Veneta* I per Io. de Colonia. (ab Hario conſulta)

1472 *Romae* Donati Comm. ſine textu: *Conradus Sweynheim Arnoldus Pannarzque Magiſtri, impreſſerunt* &c. lit. uncial. (inter cimelia Bibl. Archipal.)

1474 ſ. diſt. verſuum. (Harius contulit.)
——— *Tarviſina* I c. Donato & *Calphurnio*. fol.

1475 *Vicentina* c. Don. & Calph. per Herm. Levilapidem, Colonienſem (alias H. Lichtenſtein.)

1476 *Mediol.* II fol.
——— *Veneta* II c. Don. & Calph. per Iac. Rubrum. fol. (quamvis mendis ſcateat, inſignia tamen veteris ſcripturae veſtigia habet, quae Muretus in corrigendo ſecutus.)

1477 *Tarviſina* II c. Don. Calph. per Herm. Levilap. Col. fol.

——— *Tarviſina* III alia c. iisdem Comm. fol.

——— *Mediolan.* III per Domin. de Veſpolate & Iac. de Marliano. fol.

*1479 *Veneta* III c. Donato, recogn. a Franc. *Diana* (I) per Nic. Girardengum. fol. Hanc ſibi Crollius ex Bibl. Friburgenſi comparavit.

1480 *Veneta* IV ex caſtig. *Angeli Sabini* (I) fol.

——— *Parmenſis* c. caſtigg. *Pomponii Laeti.*

1481 *Tarviſina* IV c. Don. interpr. per M. Paulum Ferari & recogn. per M. Aloyſium *Straʒarolum.* fol. (a Weſterh. collata.)

——— *Neapolitana* ſ. verſſ. ex caſtig. *Ang. Sabini* (II) fol.

1482 *Veneta* V c. Don. ex rec. Fr. *Diana* (II) fol.

1483 *Veneta* VI c. Don. per Andr. de Aſula & Barthol. de Alexandria ſocios. fol.

——— *Mediolan.* IV. fol.

1485 *Veneta* VII c. Don. per Simonem dictum Bevilaqua. fol. (Bibl. Sam. Engelii.)

1486 Terentii Phaedria Comoedia in ling. Germ. verſa c. Comm. etiam Germ. miris ac facetis figuris exornata. In fine legitur: *Diſe Comedia hat Hanns Nythart zu Ulm laſſen trucken den Cunrad Dinckmut nach Chriſts Gepurt MCCCCLXXXVI Iar. fol.*

1487 *Veneta* VIII diſtinctis verſibus, c. Don. & Calph. ex rec. Fr. *Diana* (III) per Andr. de Paltaſchichis Catarenſem. fol.

1488 *Veneta* IX c. Don. per Valerium *Superchium*, (cuius exſtat praef.) fol.

1489 *Veneta* X c. Don. per Bern. de Choris & Simonem de Luero. fol. (Bibl. Engel.)

1490 *Veneta* XI diſtinctis verſibus per M. Theodor. de Ragazonibus de Aſula fol. (Weſterh. collata.)

1491 *Veneta* XII c. Don. & Calph fol.

1492 *Veneta* XIII per Peregr. de Paſqualib. de Bononia. fol.

——— *Pariſienſis* I c. Comm. *Guid. Iuvenalis* (I) opera Georg. Wolff. fol.

1493 *Lugdun.* I ſ. verſſ. c. figg. & Guid. Iuv. interpr. (II) fol.

——— *Veneta* XIV c. Don. fol. (Bibl. Pal.)

1494 *Veneta* XV ſ. verſſ. c. Comm. Don. Calph. & Guid. Iuv. per *Simonem* Papienſem, dictum *Bevilaqua*, impenſis Lazari de Iſoardis de Savilla. fol.

———*Veneta* XVI c. Comm. Ital. 4.

*1496 *Argentoratenſis* I c. Directorio artis comicae, vocab. ſent. & gloſſa interlineari (Guid. Aſcenſii) & Comm. Don. Calph. Guid. Iuven. & Io. Badii Aſcenſii, & figuris per Io. Reinhard, cogn. Gruninger. fol. Huic ſimilis, vel etiam vetuſtior ed. c. figg. quam in praef. deſcripſimus, nobis ad manus eſt. cf. Bibl. Uffenb. T. II. Incun. artis typogr. p. 61 n. CLXIX. Hambergerus titulum ſic profert:

Terentius cum directorio vocabulorum, ſententiarum, artis comicae, gloſſa interlineari, commentariis, *Donato*, *Guidone*, *Aſcenſio*. in fin. Impreſſum in imperiali ac libera urbe Argentina, per magiſtrum Ioan. Grüninger, accuratiſſime nitidiſſimeque elaboratum, & denuo reviſum atque collectum ex diverſis commentariis, anno 1496. Kal. Nov. fol.

1497 *Veneta* XVII c. Comm. Don. Guid. Iuv. & Calph. per Sim. dictum Bevil. fol.

1499 *Argentor.* II c. figg. ap. Io. Gruning. fol. haec eſt verſio Germ. cf. Uffenbach. Bibl. T. II. Inc. art. typogr. n. 199 p. 68 ſq.

———*Veneta* XVIII c. quatuor Comm. Donati, Guid. Calph. Aſcenſii. fol.

Aetas I exhibet 40 editiones, e quibus Venetae, additis duabus incertis, ſunt 20, Mediol. 4, Tarviſ. 4.

AETAS II *pueritiae* 1500 --- 1532 ſ. *ectyporum*, Commentatoribus fecundior, a Criticis deſerta. Illorum numerum auxere poſt Calph. Guid. Iuvenalem, Iod. Badius Aſc. Petrus Marſus, Petr. Malleolus, Ph. Melanchthon, criticae aetatis lucifer. Ectypa vero edd. nobis ſunt *Aſcenſianae*, *Iuntinae*, *Aldinae*, *R. Stephani*, & *Gryphianae*.

1500 *Pariſina* I c. n. Iod. *Badii Aſcenſii*. fol.

———c. comment. Donati & Calph. Venet. fol.

1503 *Pariſ.* Aſcenſii II. 4.

———*Argentoratenſis* III c. P. *Marſi* & P. *Malleoli* adnott. & marginariis exornatt. arte & induſtria honeſti Ioh. Priis Argentin. 4. Kal. Febr. in Bibl. Uffenbach. Inc. typogr. n. 224.

———*Argentor.* IV c. Don. & Calph. Gruningeri III c. iconibus ridicule in ligno deſcriptis.

1504 *Pariſ.* Aſcenſii IIII. 4.

———*Veneta* c. quinque Comm. fol.

———ibid. Eunuchus & Adelph. 4.
1539 ibid. Phorm. & Hecyra. 4.
———*Pariſ.* Colinaei. Heaut. Adelph. Hecyr.
1540 *R. Stephani.* Pariſ. 24.
———*Lugdun.* Gryph. poſt Ph. Melancht. & Deſ. *Eraſm.* per I. *Rivium* recogn. 8.
1541 *Aldina* III Venet. 8.
———*R. Steph.* Pariſ. c. Don. & Calph. 4.
———ibid. ap. eund. 8.
———ibid. ap. eund. 12.
———Ter. ab Ant. *Goveano* integritati ſuae reſtitutus *Lugd.* ap. Gryph. 4.
1542 *Lugdun.* Gryph. 8.
———*Pariſ.* fol.
1543 *Veneta* ſumma denuo vigilantia recognitae & iudicio Henr. *Loritii Glareani* illuſtratae, ap. Mich. Seſſam. 8.
1544 *Lugdun.* Seb. Gryph.
1545 *R. Stephani* Pariſ. ſ. Comm. 8.
———*Pariſ.* ap. Vaſcoſan. 4.
1546 *R. Stephani* Pariſ. Andria, omni interpr. genere in adoleſcentulorum gratiam facilior effecta: ut ex hac Comoedia omnes deinde alias ab eodem Comico conſcriptas nullo negotio aſſequantur iuvenes bonarum literarum ſtudioſi. 8.
———*Miſnienſis* c. annot. *Bergii.* 8.
———*Lugdun.* ap. Beringos fratres. 12.
———*Antv.* Donati, Aſperi, Cornuti, Calph. Comm. illuſtr. 8.
———*Veneta.* fol. inter edd. primarias refertur.
———*Veneta.* ex off. Eraſm. ap. Vinc. Valgriſium. 8.
1547 *R. Steph.* Pariſ. c. argg. ex Donato. 4.
———*Lugdun.* Gryph. 12.
1548 *Baſil.* ap. Brylingerum c. Comm. Don. Calph. Eraſm. Melancht. Fr. *Fabr.* Marcodurani & Theod. *Pulman.* 8.
———*Argentor.* c. caſtigg. Io. *Rivii* & G. *Fabricii.* 8. Georg. Fabr. uſus eſt Cod. pervetuſto & collationibus cum Cod. Vatic.
———Il Terentio Latino commentato in lingua Toſcana da Giov. *Fabrini.* Venet. 4.
1550 *Tigurina* c. n. Iod. *Willichii* & M. A. *Mureti*, editore Greg. Wagnero Reſelliano. 8.
1551 *Pariſ.* c. n. varr. fol.
———*R. Stephani.* Pariſ. 8.

———*Lugdun.* Gryph. 12.

1552 *Pariſ.* c. variis lectt. & reſtituta verſuum ratione & ſcholiis Donati, Calphurnii, Commentariis & annotationibus Melancht. Eraſm. Gov. I. C. Scalig. L. Vict. Fauſti, P. Bembi, Barlandi, Latomi, Marſi, Rivii, Steph. Doleti, Glareani, Io. Theod. Bellovaci & Iod. Willichii. fol. c. figg.

———*Lovan.* ab Ant. Goveano integritati ſuae reſtitutae. 4.

1553 *Veneta* c. Comm. Don. Guid. Iuv. Marſi, Doleti, Calph. ap. Barth. Caeſanum. fol.

———*Veneta* alia. fol.

1554 *Lugdun.* Seb. Gryph. Latine & Gall. c. figg. 8.

1555 ibid. 12.

———*Colon.* c. Comm. Iod. *Willichii* in omnes Ter. ſabb. 8.

———*Aldina* (*Mureti* I) cura M. A. *Mureti*; ap. P. Manutium. Venet. 8.

1556 *Lugdun.* cura P. *Anteſignani*, Rapiſtagenſis. 8. habet haec ed. I argg. breveſque notas c. proſodia carminumque ratione.

1557 Comoediae omnes. Venet. fol.

———*Argent.* 8.

1558 *Pariſ.* 4.

———*Venet.* fol. expreſſa ad edit. Pariſ. 1552. fol.

———Ant. Goveani II. 4.

———*Aldina* II c. M. A. *Mureti* (IV Codd. MSS. uſi) argg. & notis ap. P. Manutium. Venet. 8. Editio praeſtans; ſed dum Muretus metro conſulere ſtuduit, plus iuſto ſibi videtur indulſiſſe doctis.

———*Pariſ.* c. argg. & notis Mureti. 12.

———*Lugdun.* 12.

1559 *Pariſ.* 4.

———*Aldina* III Mureti. Venet. 8.

1560 *Antverp.* cura Th. *Pulmanni.* 24.

———*Colon.* c. nott. Don. Aſperi, Cornuti &c. 8.

———P. *Anteſignani* (qui ſummam laboris patientiam attulit Ter.) triplex. Lugd. 8. (cf. Bayle dict. voc. *Anteſ.* & Boecleri Bibliogr. crit. p. 119. Bauer T. IV, p. 186.) primum Vol. eſt repetitio ed. 1556.

———Alterum c. n. Willichii & aliorum.

———Tertium c. n. marg. verſ. & paraphr. gallica, variaque lectione.

———*Lipſ.* 8. Catal. bibl. Francof.

———*Lugdun.* c. Comm. varr. 4.
1561 *Pariſ.* cura *Goveani.* 4.
———Aldina IV. Ter. a M. Ant. Mureto emendatus. Venet. ap. Aldum 8. Beyſchlagii Sylloge p. 668.
———*Baſil.* 8.
———*Venet.* fol. repet. ex illa 1553. c. Don. & aliorum notis. Ven. ap. I. M. Bonellum.
1562 *Lugd. Bat.* 8. Catal. bibl. Francof.
1564 *Duſſeldorp.* 4.
1565 *Antverp.* c. *Mureti* argg. & notis. 12.
———*Venet.* Gryph. c. n. *Goveani.* 8.
———*Aldina* V Mureti ap. Ald. Nep. Venet. 8.

Editiones huius aetatis 87, quas novimus.

AETAS IV *iuventutis* ſ. virilis primae 1565 --- 1615, ſ. Criticae adultioris, cuius princeps eſt Gabr. *Faernus*, (qui teſtante Latino Latiari in ep. 1555 data Tom. II Epp. 41. intermiſſo Livio ad Terentium abſolvendum iterumque nova diligentia caſtigandum rediit, tumque iam ad Phormionem pervenerat) adiutus maxime Codd. aliquot ope, in quibus praeſtat ille vetuſtiſſimus Petri *Bembi*, a Politiano tractatus, dein Fulvio Urſino pretioſior auro habitus, & ab eo bibliothecae Vatic. legatus. Editionem vero Faernianam poſt mortem auctoris (1561) abſolvit P. Victorius. Neque tamen eo invaluit Faerniana emendatio, ut priorem lectionem, maxime ab Eraſmo, Goveano, Mureto, ceteriſque directam, profligaret. Inter eos autem, qui poſt Faernum hac aetate profuerunt Terentio, eminent Matth. *Bergius*, & maxime Frid. *Lindenbrogius*, cuius ſtudia in Terentio poſita hodie prae ceteris iure laudantur ab omnibus. Bene quoque de noſtro meriti ſunt I. *Scaliger*, *Riccius*, *Colerus*, aliique.

*1565 P. Ter. Com. e vetuſtiſſimis libris & verſuum ratione a G. *Faerno* emendatae: acceſſere in eas comoedias emendd. libri VI. de verſibus comicis liber I. fragmentum Eugraphii interpr. in easdem fabb. cura P. *Victorii.* Florent. ap. Iuntas (I) 8. Editio nitida & accuratiſſima.
1566 c. n. Ambr. *Berndtii* (qui affinis Lutheri & Prof. Orat. Wittenb. † 1542) edidit Steph. *Riccius.*
———*Leucopetrae.* 8.
1567 *Baſil.* c. Comm. Don. 8.
———*Colon.* ed. Wagneri Reſelliani c. n. Mureti, Barlandi &c. 8.

——— *Antverp*. ap. Plantin. 8.
——— *Venet*. cum Comm. varr. fol.
——— *Venet*. Io. Fabrini c. Comm. Etruſce ſcripto. 4.
——— *Venet*. c. n. *Goveani* ap. Io. Gryph.
1568 *Mulhuſana* Steph. *Riccii* I, e praelect. doctor. Viteberg. 8.
1570 *Gorlicenſis*, Riccii II. 8.
——— *Aldina* VI Mureti. 8.
1571 *Brixienſis* ap. Iac. Britann. 8.
1572 *Faerni*, Iuntina II. Florent. 8. Repet. primae 1565.
1573 *Lugdun*. 8.
*1574 *Lipſienſis*, typis Voegelin. c. caſtigg. & comm. Matth. *Bergii*, adiunctis Ioach. Camerarii, Io. Rivii, Geo. & Fr. Fabricii caſtigg. & annott. 8. 2 Voll. Sequitur ubique lectionem Fabr. ſed eam contulit c. Faerniana & Muretiana.
——— *Gorlicenſis*, Riccii III.
——— *Antverp*. Plantini c. n. margin. 12.
——— *Pariſ*. P. Anteſignani. 12.
——— *Francof*. ex. em. & c. n. Mureti. 8.
1575 *Francof*. ex rec. Eraſmi & Melancht. 8.
——— *Aldina* VII Mureti.
1576 *Antverp*. ap. Plant. 12.
1577 *Complutenſis* c. verſ. Hiſpan. Sim. Petr. *Avril*. 8.
1579 *Francof*. c. n. *Goveani*. 8.
1580 c. I. *Fabrini* Comm. lingua hetruſca ſcriptis. Ven. 4.
——— *Antverp*. 8.
——— *Lugdun*. ap. Gryph. fol.
——— *Lugd. Bat*. Plantin. ex emend. *Mureti* c. n. Fr. *Fabricii*. 8.
——— *Veneta* c. Comm. Don. & varr. fol. in Bibl. Gymn. Iſenac.
1581 c. coniect. & notis I. *Scaligeri*. 8. in Bibl. Pal. Manhem. Fruſtra igitur dubitatur, an exſtet.
1582 Complutenſis c. verſ. hiſp. S. P. *Avril*. 8.
1583 *Pariſ*. ed. P. *Anteſignani*. 12.
1584 *Francof*. c. n. brevibus & indice phraſium Chriſtoph. *Coleri*. 12.
1585 eadem repetita.
1586 *Veneta* ap. Gryph. c. Comm. Don. & varr. fol.
——— *Pariſ*. lat. & gall. 12. ſine nomine interpretis.
1587 *Heidelb*. ap. Commelin. ex emend. *Faerni* c. praef. Victorii & H. Commel. (Faerniana III) Ed. praeſtans.

——*lumina* III Florent. ex emend. *Faerni* & ed. Victorii. Faerniana IV.
*1588 *Lipſ.* ed. *Eraſmica* c. ſchol. Ph. *Melancht.* 8. Editio mendoſiſſima.
1590 *Aldina* VIII *Mureti.* Venet. 8.
1591 *Antverp.* Plantin. a *Mureto* emendata. 8.
1592 *Lugdun.* c. n. ap. Iac. Stoer. 12.
——*Francof.* c. argg. & not. *Mureti.* 8. accuratior.
——*Francof. Heaut.* c. praelect. leg. Sam. Sebaldi. 8.
——*Lipſ.* c. nott. Indd. & medulla ſ. phraſeol. Mart. *Hayneccii.* 8.
——*Francof.* cura *Melanchthonis.* 8.
1593 *Lugd. Bat. Mureti* c. Ind. vocum antiq. 8.
——*Genevenſis* c. n. *Coleri.* 12.
——Adelphi c. pr. S. Sebaldi. 8. Hanoviae.
——*Argentor.* 12.
1594 *Veneta* c. Comm. I. *Fabrini.* 4.
——*Francof.* c. n. *Coleri.* 12.
1595 *Antverp.* 12.
1597 *Franeq.* 8.
——*Bergomenſis* c. ind. cura Aug. *Gambarelli.* 8.
1598 Terentium Chriſtianum pro ſuo ingenio dedere Antverpienſes. 8.
1599 *Barcinonenſis* c. verſ. Hiſp. *Avrili.* 8.
——*Lugdun.* c. n. Mureti. 8.
1602 *Francof.* ex recogn. Eraſmi Rot. c. ſcholiis Phil. Mel. 8. Catal. bibl. Francof.
——Frid. *Lindenbrogii* Ter. Com. c. Ael. Donati & Eugraphii vett. Schol. integris Comm. ad MSS. Codd. recenſitis, additis propriis & Gabr. Faerni, de Ter. praeclare meriti, Obſſ. Pariſ. 4. Editio praeſtantior.
1603 *Veneta* Mureti. 8.
1604 Lat. & Gall. 12.
1605 *Pariſ.* c. ſchol. & emendd. Mureti. 4.
——Ter. Antverp. 8.
——*Genev.* cum brevibus ex Mureti G. & F. Fabriciorum notis. 12. Catal. bibl. Francof.
1606 *Lipſ.* cura M. *Hayneccii.* 8.
——ibid. cura Bornii. 8.
1607 *Heidelb.* ap. Commel. 8.
1609 *Lipſ.* ſtud. Phil. Melancht. & Eraſm. Rot. 8.
1610 *Francof.* c. n. Mureti. 8.

——*Lipſ.* c. Comm. Io. *Weitzii.* 8.
1613 *Antverp.* ex off. Plant. 12.
1614 *Lipſ.* Steph. *Riccii.* 3 Voll. 8.
——ibid. M. Hayneccii. 8.
——*Pariſ.* P. *Anteſignani.* 12.
——*Witteberg.* c. emend. Phil. Melancht. & Deſ. Eraſmi ap. Seuberlich. 8.
1616 *Lipſ.* Hayneccii. 8.
——*Genev.* ſ. Colon. Allobr. 16.
——*Baſil.* c. Donato, typis Conr. Waldkirchi, Imp. Lud. Regis.

Aetas haec tulit 80 edd. quas novimus.

AETAS V aetatis virilis progredientis, tandem cadentis. 1615 -- 1700. Auctorem eius facimus Dan. *Heinſium*, qui pro ingenio ſuo, neque tamen ubique ſapienter, lectionem Terentii direxit, ita ut Faernianae ab omnibus fere praeferretur. Redit quoque *Lindenbrogiana* auctior, huius aetatis ornamentum praecipuum. Praeter eos *Pareus* & *Boeclerus* bene mereri ſtuduere de Ter. editaeque a Boeclero Franc. *Guyeti* Galli notae, quibus magis ratio invadendi in textum Ter. quam eum l. ſtabiliendi l. firmandi continetur. Indulget ſibi quoque multum alter Gallus Tan. *Faber.* Sed plus his profuit Terentio Fabri filia, Anna *Dacieria*, quae quamvis non ubique ſaperet, pleriſque tamen eruditis ſapientior, non modo rationem ſcenicam melius ordinavit, ſed & ipſi auctori, a ſe Gallice verſo, lucem attulit. Alii magis in colligendis diverſorum notis gloriam quaeſivere; alii, quorum principes *Farnabius*, *Caſaubonus*, *Minellius*, tironibus conſulere notis ſategerunt.

*1615 Dan. *Heinſii* I prodiit *Lugd. Bat.* 12. Praemiſit Diſſ. de Plauto & Terentio.
1618 *Heinſii* II Amſtel. 12. quam vulgo I faciunt; ſaepius dein repetitam.
S L 1619 Io. Phil. *Parei* I, Neap. Nemetum (Neoſtadii ad Hartam ap. Henr. Starkium) 4. quae praeter notas Rivii, G. Fabricii, Faerni, Mureti, ipſius quoque Parei notas, habet indicem omnium vocabb. (Idem. diſſ. de Terentiana Plauti imitatione, quod argumentum iam ante tractaverat Gaud. Merula in dialogo Terentiano, adtexuit Plauto ſuo.)
——*Heinſii* III Amſtel. 12.
1623 Frid. *Lindenbrogii* altera auctior & emendatior. Fran-

coſ. 4. Sed in ea ep. Lindenbrogii ad Suffridum Calignonum & Faerni notae ſunt omiſſae.

1624 *Lipſ.* Hayneccii. 8.

—— *Aug. Vindel.* c. Germ. verſ. a Dav. *Hoeſchelio* & M. *Schenckio.* 8. quam nominaſſe pudet.

1628 *Argent.* I. H. Boecleri. 8. c. Chreſtomathia Terent.

1629 *Londin.* ap. Wetterhouſe. Lat. & *Angl.* per Dan. Webbe.

1631 Heinſiana Elzevirii, quam Car. Coquelines in Romana editione 1767 ſecutus eſt.

1633 *Amſtel.* Heinſiana ap. Io. Ianſſon. 12.

1634 *Lipſ.* Hayneccii. 8.

J.S.L. 1635 *Lugd. Bat.* Heinſiana, typis Elzev. 12.

1640 Eadem *Amſt.* ap. Io. Ianſſon. 12.

1641 Eadem ibid. 12.

—— *Lipſ.* St. Riccii. 8.

1642 *Pariſ.* ex rec. Heinſii, typis regiis. fol.

*1644 c. Comm. Don. & n. *Variorum* I Lugd. Bat. ex off. Hackiana. 8. cura Schrevelii, cuius nomen edd. repetitis praeſcriptum.

1646 *Pariſ.* Lat. & Gall. interprete Sanct. Albino in Andr. Adelph. & Phorm. quater dein repetita. 12.

—— *Lipſ.* cura Rhenii. 8.

1647 *Florentina* c. n. Io. *Nardi* Florent. 4.

1648 *Roterod.* Lat. & *Belgice* cura & notis Henr. *Zwaardekronii.* 8.

1650 *Roterod.* Latine & Belgice.

1651 *Lubec.* c. locupletiſſimo Ind. philol. & collectaneis Iac. *Kokerti.* 8. praemiſit Diſſ. ad Heinſii de Plauto ac Ter. iudicium.

*—— c. n. Th. *Farnabii* (I) in 4 priores & Mer. *Caſauboni* in 2 poſteriores. Lond. & Amſt. 12.

—— e rec. Heinſii. Amſt. Elzevir. 16.

—— *Schrevelii* c. n. varr. (II) Lugd. Bat. 8.

1653 *Genev.* 12.

1656 *Amſtel.* ex rec. Heinſii ap. I. Ianſſon. 24.

1657 *Schrevelii* c. n. varr. (III) Lugd. Bat. 8.

*—— *Argentor.* I. H. *Boecleri* c. annott. & Chreſtomath. Ter. ſ. ſel. Ind. locutionum. Additae Franc. *Guyeti* (Abb. S. Andreani † 1655.) in Ter. notae. 8.

—— P. Terentii Afri fabulae. Colon. 8.

1658 *Veneta* c. Comm. Don. & aliorum. fol.

*——— *Farnabii* & *Caſaub.* II e rec. Heinſ. Amſtel. ap. Io. Ianſſon. 12.
——— Eadem Amſtel. ap. Elzev. 12.
——— *Lipſ.* 8.
1660 rep. Amſt. 1658. 12.
——— *Pariſ.* Lat. & Gall. Mich. de *Marolles* c. n. ſubiunctis I. *Peyraredei.* 2 Voll. 8.
1661 *Amſtel.* c. n. *Heinſii.* 12.
1662 *Schrevelii* c. n. varr. (IV) Lugd. Bat. 8.
——— *Farnabii* &c. (IV) Amſt. 12.
1663 H. *Zwaardekronii* II Roter. 8.
1666 *Lugdun.* e. rec. *Heinſii.* 12.
1667 *Kockerti* II Francof. & Lubec. 8. rep. ed. 1651.
1668 *Amſt.* c. n. Farnabii (V) 12.
1669 *Schrevelii* c. n. varr. (V) Lugd. Bat. 8.
——— *Farnabii* &c. (VI) Amſtel. ap. Waesberg. 12.
1670 c. n. *Minellii* Roter. 12.
——— *Pariſ.* Eun. Heaut. & Hec. Lat. & Gall. interprete *Martignaco.* 12. repetita 1678.
1671 c. n. Tan. *Fabri*, Salmurii ap. Pean. 12.
1672 *Minelliana.* Roterod. 12.
1673 c. verſ. Gall. & notis Gall. 12.
——— *Bremae.* 12.
1674 Andria c. n. *Limbergeri.* Rintel. 8.
1675 c. n. Nic. *Cami*, in uſum Delph. Pariſ. ap. Leonard. 4.
——— Lat. & Ital. c. figg. Urbini. 4.
1678 *Lugd. Bat.* c. doctt. virr. emendd. ap. Gaesbeck. 12.
1680 *Minelliana.* Roterod. 12.
1681 *Farnabii* &c. VII. Amſtel. 12.
1683 *Lipſ.* lat. & germanice. 8.
1685 *Francof.* Coleri. c. ind. Caſaub. 12.
1686 *Gronoviana* c. n. varr. Don. Eugr. Faern. Boecl. Farnab. M. Caſaub. & T. Fabri. Amſtel. 8.
——— *Pariſ.* c. verſ. Gall. *Martignaci.* 8.
——— *Rothomag.* c. interpr. & notis. 8.
——— Les Comédies de Térence en latin & françois par Sibour, à Strasb. 12.
1687 *Lugd. Bat.* c. annot. 12.
——— *Schrevelii* VI c. n. varr. Lugd. Bat. 8.
1688 *Pariſ.* cura Dacierii. 12.
——— c. verſ. Gall. & notis Annae *Dacieriae* (I) Pariſ. 3 Voll. 12.

———*Rothom.* c. interpr. & not. 12.
———*Cami* in uſum Delphini editio rep. *Londini.* 8.
———*Lugd.* 24. e rec. Heinſ. ap. Ant. & Henr. Morin.
1690 *Minelliana* Roterod. typ. viduae Arn. Leers. 12.
1691 Eadem *Hamburgi.* 12.
———Eadem Holm. & Hamb. 8.
———*Dacieriae* ed. Amſtel. 3 Voll. 12.
1696 *Hafnienſis.* 12.
1697 *Amſtel.* e rec. Heinſii. 24.
1699 Minelliana *Hamburgi.* 8.
———*Lipſ.* ex rec. Heinſii. 12.
1700 *Cami* in uſum Delph. rec. *Londini.* 8.
———*Holmiae* c. n. Minellii. 8.
———*Hamb.* c. n. Minelii. 8.

Aetatis huius editiones ſunt 83.

AETAS VI 1701 — 1774 Criticae apud Anglos luxuriantis & ſcepticae; apud Batavos impeditae; apud Italos ſumptuoſae; apud Germanos fere repueraſcentis, minutae, & ob ſuam inopiam alienis opibus altae. Tres ſcilicet ex Anglis Iohn *Leng*, Franc. *Hare*, & Rich. *Bentleius* Terentii lectionem poſt Faernum emendandam ſuſcepere. Lengius quidem Chriſtoph. Waſſii (qui iam an. 1687 Oxoniae 4 librum eruditum de legibus & licentia veterum poetarum, inſcriptum *Senarii* titulo ediderat) collectaneis potitus, XIII Codd. MSS. & edd. vett. contulit, notas criticas & Diſſ. criticas de ratione & licentia metri Terentiani addidit. Harius lectionem a Faerno emendatam edidit, notiſque Faerni, quibusdam Donati, addidit ſuas criticas, quibus mutati a ſe textus Faerniani & metri a ſe conſtituti rationes reddit, ſaepius in eo reprehenſus a Critico glorioſo, Rich. Bentleio. Hic vero audacia ceteros longe antegreſſus, lectionem Faerni, cum eiusdem emendationibus collatis MSS. Codd. Bibl. Cantabrig. & reg. Londin. & ad rationes metri (pro arbitrio fictas) mille locis ſe correxiſſe gloriatur, ſed idem certe, praeter ſcribendi rationem MSS. uſitatam, & a recepta alienam, ſexcentis locis textum Terentii corrupit. Atque hi tres inter principes huius aetatis habentur. Quartum ſe adiunxit Batavus Arn. Henr. *Weſterhovius*, Rector Goudanus, Perizonii diſcipulus, qui quamvis Codd. MSS. & plures ex edd. vett. ac melioribus contuliſſet, tamen ſe criticum haud aeque exhibuit, quam ſedulum in apparatu interpretum congerendo. De Anglorum & Italorum ſumptibus teſtantur edi-

tiones. Germani hodie ad has literas acumen & ingenium nullum attulere: atque pudet, futiles illas edd. ad modum Minellii l. cum notis Germanicis enumerare. Adducimus tamen, ut ex iis genius ſeculi apud nos appareat.

S. L. 1701 *Cantabrig.* curante Iohn *Leng* c. varr. lect. typis maioribus Acad. fol. min. ſ. 4 mai.
——— *Amſtel.* ex rec. *Boecleri* c. ind. abſolutiſſimo Mart. *Hugenii.* 12.
1702 Minelliana. Roterod. 12.
——— c. n. ad modum Minellii cura Chr. *Iunckeri.* Lipſ. 12.
1703 *Rothomag.* 8.
1709 *Londin.* in uſum Delph. 8.
L. 1710 *Amſtel.* c. ind. M. Hugenii & imitatione Plautina, curante M. Hugenio fil. 12. Editio elegans.
1711 *Amſtel.* e rec. Heinſii 12.
——— *Lipſ.* 12. e rec. Heinſ.
——— *Rothomag.* expurgatus & illuſtratus notis Ioſ. *Iuvencii* 12.
——— *Hamburg.* c. interpr. Germ. *Hartnaccii.* 8.
1714 *Amſtel.* 24.
1715 *Londin.* cura Mich. *Maittaire* c. ind. Hugenii. 12.
1716 *Pariſ.* c. Ioſ. Iuvencii interpr. ac notis. 8.
1717 *Aug. Vind.* c. n. Germ. Eman. *Sinceri.* 8.
——— *Roterod.* c. verſ. & notis *Dacieriae*, additis iconibus ex ant. MS. Bibl. reg. 3 Voll. 8.
1718 *Amſtel.* c. locis parall. & indice formul. cura Dan. *Hoogſtratenii.* 12.
1721 Minelliana. *Amſtel.* 12.
1723 *Londin.* in uſum Delph. 8.
——— *Cantabrig.* 12.
*1724 *Amſtel.* c. verſ. & notis Dacieriae ap. R. & G. Wetſtein. 3 Voll. 8.
——— *Londin.* ad exemplar Faern. a P. Victorio editum 1565 ſumma fide recenſ. additis Faerni emendd. cura Franc. *Hare.* 4.
——— *Amſtel.* 24.
1726 *Veneta* Ioſ. Iuvencii. 12.
——— Gallicam verſionem novam dedit in Anglia Car. *Hennebertus* (Lengii edit. ſecutus & Bentl. emendd. impugnans) Londini. Verſio minus caſtigata habetur, quam Dacieriae.
L. ——— *Cantabrig.* ex rec. & c. n. R. *Bentleii*, additis G

Faerni. 4. Accedunt Phaedri fabb. Aeſopp. Publii Syri & aliorum vett. ſententiae.

* ——— *Hagana* ap. Petr. Goſſe, ad fidem 12 amplius MSS. & pluſcularum op. notae edd. recenſitae & Comm. perp. illuſtratae. Acc. interpretes vett. Ael. Donatus, Eugraphius, Calphurnius &c. additis obſſ. porro Fr. Lindenbrogii in Ter. & Don. Denum indices locupletiſſimi curavit Arn. Hent. *Weſterhovius*. 2 Tomi. 4.

——— *Lipſ.* Minellii. 12.

*1727 Amſtel. *Bentleii* altera, denuo recenſita, ac Ind. ampl. rer. & verb. tam in textum, quam in notas aucta. cur. Weſterhov. 4. ap. Wetſten.

1728 *Hagana* c. n. Weſterhovii in comp. redactis in uſum iuvenum. 8.

1732 *Hagana* ap. Iſaac van der Kloot, c. interpr. Don. & Calph. & Comm. perp. curavit A. H. Weſterhovius. 8.

1733 *Francof.* c. verſ. Dacieriae. 2 Voll. 8.

1734 *Hamburg.* Dacieriae ap. van der Hoeck. 3 Voll. 12. Editio a mendis edd. Wetſten. repurgata.

1735 *Londin.* c. verſ. Anglica notiſque Crit. ap. I. Wood. 3 Voll. 12. auctore *Spence*. Edit. elegans, ſed non ſatis accurata.

——— *Aug. Vind.* c. n. Germ. *Sinceri.* 8.

1736 *Urbin.* ſumptibus Hier. Mainardi, Latine e rec. maxime Heinſ. c. figg. perſon. e Cod. Vatic. accurate expreſſis, (quas ex eod. Codice iam deſcriptas dederat Chriſtoph. Henr. a Berger) & verſ. Ital. numeris adſtricta poeticis auct. Nic. *Fortiguerra.* fol. Editio magnifica.

1737 *Romana* ex ed. M. A. *Giacomelli*, ap. Pagliarin. 8.

——— *Amſtel.* Bentleii III. 4.

1738 *Lipſ.* ad modum I. *Minellii.* 12.

1739 *Londin.* Io. Stiring.

1740 in corp. poet. Latin. cum Ital. verſione editorum Mediolani T. XIX & XX.

1741 *Hafn.* c. n. Minell. 8.

1742 *Glaſcov.* ex rec. Weſterhov. & ad fidem XII amplius MSS. & pluſcularum opt. edd. 8.

1745 *Hagana* Weſterhovii minor ex illa 1732 repetita 8.

*1749 *Berolin.* cur. I. P. *Millero*, ſumpt. Ambr. Haude & C. Speneri. 8.

1751 *Londin.* c. varr. lectt. & figg. ap. I. & P. Knapton & G. Sandby 8. 2 Voll. Editio elegans & ſumptuoſa.

——— *Londin.* c. varr. lect. ap. eundem. 12. 2 Voll.
1753 *Pariſ.* c. varr. lect. e MSS. & erud. Comm. deſumtis, ac figg. ap. La Loup & Merigot. 2 Voll. 12. Il y a dans cette belle edition, qui fait ſuite aux auteurs Latins imprimés chez M. Barbou 7 figg. 30 vignettes & 30 culs de Lampes.
1754 *Amſtel.* Wetſten. c. verſ. & notis Dacieriae. 3 Voll. 12.
——— *Aug. Vind.* c. n. Sinceri. 8.
——— *Pariſ.* expurgatae c. notis I. Iuvencii ap. Barbou. 12.
1762 *Francoſ.* c. n. Germ. Sinceri. 8.
——— *Halae.* 12.
1763 *Pariſ.* c. n. Iuvencii ap. Brocas. 8.
1765 *Londin.* The Comedies of Ter. translated into familiar blank verſe by George *Colmann.* 4. Verſio poetica gratioſa multum. (Ipſe auctor Anglis hodie ante alios poetas placet.) Repetita 1770. 8.
1767 *Romae.* P. Ter. Afri Comoediae ex rec. D. Heinſii collata ad antiquiſſimos MSS. Codd. Bibl. Vatic. cum variantibus lectt. larvis & perſonis depromptis ex eisdem Codd. & Italica verſione, recenſuit, notasque, antiquam artem comicam & nonnulla antiquitatum Romanarum monumenta illuſtrantes addidit Car. Cocquelines, impenſis Roiſechii, bibliop. & typogr. in foro Agonati, volumina duo. fol. magn. Editio ſumptuoſa. cf. Klotzii Acta liter. vol. VI, p. I, n. 1. Verſio eſt Fortiguerrae, quam habet Maynardiana 1736 Urbini edita. Et videntur eaedem laminae adhibitae, quae dictae editioni iam inſerviere.
1774 *Lipſ.* ex rec. Lindenbrogii c. eiusd. MSS. lectt. & Obſſ. atque Don. Eugr. & Calph. Comm. integris. Acc. Bentl. & Faerni lectt. ac coniecturae omnes, ſed in comp. redactae, item Weſterh. in Scholiaſtas lectt. ac coniecturae, quibus & ſuas adſperſit M. I. Car. *Zeunius*, adi. Indd. in Don. Bentleii in Ter. & Zeunii in ſcriptores in Schol. obvios. 2 Voll. 8. Editio in quam priorum bona congeſta, eoque commendabilis.
——— *Norimb.* 12.

Aetatis huius editiones ſunt 58.

L. 1757 Londini
1758 Edinburgi
1772 Birminghamiae

P. TERENTII
AFRI CARTHAGINIENSIS
VITA
EX
AELIO DONATO [1].

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, ſervivit Romae Terentio Lucano Senatori: a quo ob ingenium et formam non inſtitutus modo liberaliter, ſed et mature manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant, quod fieri nullo modo potuiſſe, Feneſtella [2] docet: cum inter finem ſecundi belli Punici, et initium tertii natus ſit, et mortuus; nec, ſi a Numidis aut Getulis captus ſit, ad ducem Romanum pervenire potuiſſet, nullo commercio inter Italicos et Afros, niſi poſt deletam Carthaginem, coepto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, ſed maxime cum Scipione Africano, et C. Laelio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur, quod et ipſum Feneſtella arguit, contendens, utroque maiorem natu fuiſſe; quamvis et Cornelius Nepos aequales omnes fuiſſe tradat, et Porcius ſuſpicionem de conſuetudine per haec faciat:

1 Tribuitur haec a pleriſque *Ael. Donato*: quod in Codd. eius ſc. adſcripta reperiretur. Sed alii, *Suetonii* eſſe, contendunt, ex illis verbis ſub finem: *Haec Suetonius Tranquillus*: ut reliqua vel Donatus, vel alius quiſpiam adiecerit. v. Ger. Io. Voſſ. de Hiſt. Lat. c. I, 3 idemque de Poet. Lat.

2 Hiſtoriarum ſcriptor & carminum, qui noviſſimo Tiberii Caeſaris principatu obiit.

Dum laſciviam nobilium, & fucoſas laudes petit:
Dum Africani [1] *vocem divinam inhiat avidis auribus:*
Dum ad Furium ſe coenitare & Laelium, pulchrum putat:
Dum ſe amari ab hiſce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem aetatis ſuae: ipſus ſublatis rebus ad ſummam
Inopiam redactus eſt.
Itaque e conſpectu omnium abiit [2] *Graecam in terram ultimam.*
Mortuus eſt in Stymphalo, Arcadiae oppido: nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Scripſit comoedias ſex. ex quibus primam Andriam cum Aedilibus daret, iuſſus ante [3] Caecilio recitare, ad coenantem cum veniſſet, dictus eſt, initium quidem fabulae, quod erat contemtiore veſtitu, ſubſellio iuxta lectulum reſidens legiſſe: poſt paucos vero verſus invitatus ut accumberet, coenaſſe una, deinde cetera percurriſſe, non ſine magna Caecilii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas aequaliter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita ſcribat:

Sumetur Hecyra ſexta ex his fabula. [4]

1 Sic bene Mur. legit. Vulg. *voce divina*. Plautinum eſt *aurum inhiare*.

2 Vulg. male *in Graeciam*, *in terr. ult.* Iam Mur. prius *in* expunxerat.

3 Sic Mur. aliique pro *Caerio*. Voſſius de Poet. Lat. mavult *Acilio* aedili.

4 Hecyra quidem ante Phormionem data fuit, ſed bis exacta, tertium data ac peracta poſt Phormionem.

Eunuchus quidem bis die acta eſt, meruitque pretium, quantum nulla antea cuiuſquam comoedia, id eſt, octo millia nummum. propterea ſumma quoque titulo [1] adſcribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri. Non obſcura fama eſt, adiutum Terentium in ſcriptis a Laelio et Scipione, quibuſcum familiariter vixit. Eandem ipſe auxit: nunquam enim, niſi leviter, ſe tutari conatur: ut in prologo Adelphorum:

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adiutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens exiſtumant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis univerſis & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quisque tempore uſu' eſt ſine ſuperbia.

Videtur autem ſe levius defendiſſe, quia ſciebat, Laelio et Scipioni non ingratam eſſe hanc opinionem: quae tamen magis et uſque ad poſteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro ſe ait: *P. Africanus, qui a Terentio perſonam mutuatus, quae domi luſerat ipſe, nomine illius in ſcenam detulit.* Nepos auctore certo comperiſſe ſe ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut diſcumberet, petiiſſe ab ea, ne interpellaretur: ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſaepe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: deinde rogatum, ut ſcripta illa proferret, pronuntiaſſe verſus, qui ſunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promiſſa huc induxerunt.

1 *Titulus* didaſcaliam notat. Ergo, ut hodie eſt, mutila eſt.

Santra Terentium exiſtimat, ſi modo in ſcribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere, quam Sulpitio Gallo, homine docto,[1] et qui conſularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel M. Fabio Labeone, et Q. Popilio, conſulari utroque, ac poeta. Ideo ipſum non iuvenes deſignaſſe, qui ſe adiuviſſe dicerentur: ſed viros, quorum operam et in bello et in otio, et in negotio populus ſit expertus. Poſt editas comoedias, nondum quintum atque trigeſimum egreſſus annum, cauſa evitandae opinionis, quia videbatur aliena pro ſuis edere, ſeu percipiendi Graecorum inſtituta, moreſque, quos perinde exprimeret in ſcriptis, egreſſus urbem eſt, neque amplius rediit. De morte eius Volcatius tradit:

Sed ut Afer ſex populo edidit comoedias,
Iter hinc in Aſiam fecit. navim cum ſemel
Conſcendit, viſus nunquam eſt. ſic vita vacat.

Q. Conſentius[2] redeuntem e Graecia periiſſe in mari dicit cum centum et octo fabulis, converſis a Menandro. Ceteri mortuum eſſe in Arcadiae Stymphalo, ſive Leucadia, tradunt, Cn. Corn. Dolabella, Marco Fulvio Nobiliore COSS. morbo implicitum acri, dolore ac taedio amiſſarum ſarcinarum, quas in navi praemiſerat, ac ſimul fabularum, quas novas fecerat. Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco. Reliquit filiam, quae poſt equiti Romano nupſit. Item hortulos XX iugerum in via Appia ad Martis villam. quo magis miror Porcium ſcribere:

1 MS. reg. Par. *cuius conſularibus*. Muretus coniicit *conſualibus ludis*. Faber *cerealibus*.

2 Grammaticus. Vulg. *Conſetius*. Lindenbr. dedit ex MSS. ſuis *Coſconius*, quem laudat Varro de LL. lib. V.

-- nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducti-
tiam:
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis praefert, ſcribens in Compitalibus:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Volcatius autem non ſolum Naevio et Plauto, et Caecilio, ſed [1] Licinio quoque poſtponit. Cicero in Limone [2] hactenus laudat:

Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone, Terenti,
Converſum expreſſumque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Caeſar:

Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam ſcriptis adiuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac deſpectus parte iaceres!
Unum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.

Haec Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuiſſe ſcribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Te-

1 MS. Lindenbr. *Livio.*
2 In deperditis. poema heroicum, an libellus epigr. in viros claros.

rentius, Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidiſſe Terentium, Valgius in Actaeone ait:

Hae quae vocantur fabulae, cuiu' ſunt?
Non has, qui iura populis[1] *recens dabat,*
Honore ſummo affectus, fecit fabulas?

Duae ab Apollodoro translatae eſſe dicuntur Comico, Phormio, et Hecyra: quatuor reliquae a Menandro: ex quibus magno ſucceſſu et pretio ſtetit Eunuchus fabula. Hecyra ſaepe excluſa, vix acta eſt.

Addimus probatiora quaedam veterum iudicia de *Terentio.*

CICERO L. VII ep. 3 ad Atticum. Secutus ſum Terentium, cuius fabellae propter elegantiam ſermonis putabantur a Laelio ſcribi. Quaeſt. Tuſc. III. Multa Terentius e philoſophia ſumſit.

VARRO, *Parmenone.* NONIUS in *Poſcere.*

In argumentis Caecilius poſcit palmam; in etheſi Terentius, in ſermonibus Plautus.

1 Vulg. ſine ſenſu *recenſentibus.* Sed Veneta III Dianae legit *recenſcentibus dabat.* Unde patet, primitus fuiſſe *recens;* quod librarius temere credidit corrigendum in *recentibus.* Sed *recens* h. l. eſt, quem Livius dixit XXI, 52 *recentis animi*, fervidus, necdum negotiis publicis fatigatus, qui nondum a negotiis ad ſtudium revocare cupit animum; idemque honore gaudens, quo afficiebatur a civibus. Itaque praeter rem Lindenbrog. ex MS. Dan. edidit fractam lectionem *end'ibus.* Eraſmus coniecit *conſultus;* alii contra metrum dedere *petentibus. Crollius.*

HORATIUS *lib. II Epiſt. 1 ad Auguſtum.*

Ambigitur quoties, uter utro ſit prior, aufert
Pacuvius docti famam ſenis, Actius alti;
Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro;
Plautus, ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediſcit, et hos arto ſtipata theatro
Spectat Roma potens; &c.

VELLEIUS PATERCULUS, *lib. I. cap. 17.*

Dulceſque Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentiumque et Afranium ſubpari aetate nituerunt.

FAB. QUINCTILIAN. *lib. X. cap. 1.*

In Comoedia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Muſas, Aelii Stilonis ſententia, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent: licet Caecilium veteres laudibus ferant: licet Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referantur. quae tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, et plus adhuc habitura gratiae, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.

DONATI PROLOGUS IN ANDRIAM.

COmoedia Andria, *cum* palliata *ſit, de loco nomen accepit, a Menandro prius, & nunc ab ipſo Terentio: qui, cum de Chryſide loqueretur, ſic ait:* Hei, vereor, ne quid Andria apportet mali. *& hoc commune vocabulum eſt & in Graeca, & in Latina lingua. Haec maiori ex parte* motoria *eſt; continetque actus amatorum adoleſcentium, & patrum piorum. Sunt ibi callidi ſervi, aſtutae ancillae, ſeveri ſenes, adoleſcentuli liberales. In hac, primae partes ſenis Simonis ſunt, ſecundae Davi, tertiae Chremetis, & deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, & in adverſarios non mediocriter exaſperatur; ſed tamen id ſubtiliter, ut omnia laceſſitus facere videatur, ac dicere. Hic* protaſis *ſubtilis,* epitaſis *tumultuoſa,* cataſtrophe *paene tragica; & tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Haec prima acta eſt ludis Megalenſibus, M. Fulvio, & M. Glabrione, Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Attilius Praeneſtinus, & L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dextris & ſiniſtris. Et eſt tota Graeca, edita M. Marcello, & Cn. Sulpicio Coſſ. Pronuntiataque eſt Andria Terentii, ob incognitum adhuc nomen Poetae & minoris apud popu-*

lum auctoritatis, ac meriti. Diverbiis aut canticis lepide diſtincta eſt: & ſucceſſu ſpectata proſpero, hortamento Poetae fuit ad alias conſcribendas. Initium autem προτατικον προσωπον, *id eſt, adventitiam perſonam recepit Soſiae, propter evolvendam argumenti obſcuritatem. Perſona autem protatica ea intelligitur, quae ſemel inducta in principio fabulae, in nullis deinceps fabulae partibus adhibetur. Adnotandum ſane, puellarum liberalium nullam orationem in proſcenio induci, in comoedia palliata, praeter invocationem Iunonis Lucinae; quae & ipſa quoque poſt ſcenam fieri ſolet.*

ARGUMENTUM EIUSDEM IN EANDEM.

CHremes Atticus, pater Paſibulae & Philumenae, cum ex his duabus ſe Paſibulam perdidiſſe falſo crederet relictam Athenis, nec viſam poſtea multo tempore: tanquam unicam ſibi putabat Philumenam: quam Charinus adoleſcens Athenienſis adamabat unice, & ſibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio ultro deſponderat: qui Pamphilus contra ſororem Chryſidis, ac peregrinam tum creditam, Paſibulam ſupradictam alteram Chremetis filiam ſub nomine Glycerii latenter ſic amavit, ut ex ea filium ſuſcepiſſet inſcio patre. qua re intellecta commotus Simo pater Pamphili, dum per falſas nuptias tentat animum Pamphili, multis dolis a Davo ipſe deluditur ſervo. periculoque Charini & Pamphili motus error in fabula, uſque ad eum finem ductus eſt, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, & nodum fabulae ſolvat: per quem agnita Paſibula recipitur a parentibus, & traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino deſpondetur, & traditur exoptanti. Per-

ſpecto argumento ſcire debemus hanc eſſe virtutem Poeticam, ut a noviſſimis argumenti rebus incipiens initium fabulae & originem narrative reddat ſpectatoribus: auctoremque praeſentem ſibi exhibeat, ubi finis eſt fabulae. hunc enim ordinem & circulum poeticae artis, vel virtutis non modo ſecuti ſunt Tragici, comicique auctores: ſed Homerus etiam & Virgilius tenuerunt. Diviſionem actuum in Latinis fabulis internoſcere difficile eſt. cauſam iam dudum demonſtravimus. Unde autem, aut quo modo, quamvis aegre, tamen intelligi diſtinguique poſſint, eſt operae pretium dicere. Principio dicendum eſt, nullam perſonam egreſſam quinquies, ultra exire poſſe. Sed illa re plerumque decipimur, quod perſonam cum tacuerit, egreſſam falſo putamus: quae nihilominus in proſcenio tacens loquendi tempus exſpectat. Eſt igitur attente animadvertendum, ubi, & quando ſcena vacua ſit ab omnibus perſonis: ut in ea chorus, vel tibicen audiri poſſit. quod cum viderimus, ibi actum eſſe finitum debemus agnoſcere. Confundit ſaepe lectorem id, quod perſona in ſuperiori ſcena deſinens, & in proxima incipiens loqui non intelligitur ingreſſa: quod ipſum experientes ſtatim diiudicant de rerum ac temporum quantitate. poteſt enim fieri ut & ſit ingreſſa ac egreſſa, quam prave credimus de proſcenio non receſſiſſe. Poſſe autem quinto egredi perſonam, non & neceſſe eſſe dicimus: ut appareat ultra exire non poſſe: in Tragoedia & parcius exire & ſolere pariter, & licere. Primus actus in Andria narrationem Simonis apud Soſiam continet argumenti: quod populus hac occaſione perdiſcit: mox querelam apud ſe Davi de domino, & eiusdem cum domino verba: & rurſus eiusdem ſervi deliberationem quid rerum gerat. Secundi actus haec ſunt. Charini verba primo cum Birria ſervo, & poſt cum ipſo Pamphilo de nuptiis: Pamphili ſermo cum patre dolo conſentientis in nuptias. Birriae verba:

Davi callida oratio adverſum ſenem. Tertio actui haec attribuuntur: Myſidis cum obſtetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii ſuſpectus ſeni: & Davi apud eam fraudulenta ſermocinatio: Simonis verba cum Chremete de nuptiis: Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per haec intelligimus. prima Charini verba ſunt indignantis, velut fidem ſibi non ſervatam a Pamphilo: tum Myſidis verba apud Pamphilum, eiusdemque queſtus: Davi adminiſtratio doli adverſus Chremetem. In quinto actu Simonis & Chremetis prope iurgium diſputatio: tum detectio ſallaciarum Davi, tum indignatio patris adverſus filium: tum Critonis interventus: & per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores quas concupiverant Pamphilo & Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum actuum diſtinctione videntur de proſcenio non diſceſſiſſe perſonae quaedam: ſed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem feciſſe in principio, ut modico receptu & adeſſe, & abeſſe perſonam intelligamus. nihil ergo ſecus factum eſt ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diviſerunt.

DONATI PROLOGUS IN EUNUCHUM.

Haec maſculini generis nomine nuncupata fabula eſt, Eunuchus: *& eſt* Palliata *Menandri vetus: quam ille auctor de facto adoleſcentis, qui ſe pro Eunucho deduci ad meretricem paſſus eſt, nominavit. Itaque ex magna parte* motoria *eſt. Atque in hac comoedia qui perſonam Parmenonis actor ſuſtinet, primas habet partes. Secundae ſunt Chaereae. Tertiae ad Phaedriam ſpectant. Huius prologus ſane eſt concitatior. Nam & obiicit crimina adverſantibus: & comminatur in poſterum: & accuſatorie narrat iuiuriam Terentio factam: & ad ultimum tumultuoſe, & cum magna invidia defendit Poetam. Haec &* προτασιν, *&* επιτασιν, *&* καταστροφην *ita aequales habet, ut nuſquam dicas longitudine operis Terentium delaſſatum dormitaſſe. Actus ſane implicationes ſunt in ea, & qui non facile a parum doctis diſtingui poſſint: ideo quia tenendi ſpectatoris cauſa vult poeta noſter omnes quinque actus velut unum fieri, ne reſpiret quodammodo: atque diſtincta alicubi continuatione ſuccedentium rerum, ante aulaea ſublata faſtidioſus ſpectator exſurgat. Acta plane eſt Ludis Megalenſibus, L. Poſthumio, L. Cornelio Aedilibus Curulibus: etiam tunc perſonatis L. Numidio Poſthumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & ſiniſtra ob iocularia, multa permixta gravitate. Et acta eſt tanto ſucceſſu ac plauſu atque ſuffragio, ut rurſus eſſet vendita, & ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipſam fabulam contigit, octo millibus ſeſtertium numerarent Poetae. Proverbia multa ſaepe pronuntiata, & cantica ſaepe mutatis modis exhibita ſunt.* Προτατικον προσωπον

nuſquam habet: ſed ſuis tantum perſonis utitur. In hac Terentius delectat facetiis: prodeſt exemplis: & vitia hominum paulo mordacius, quam in ceteris carpit. Exempla autem morum hic tria praecipua proponuntur, urbani ſcilicet, paraſiti, & militaris. Haec edita tertium eſt, & pronuntiata, Terentii Eunuchus: quippe iam adulta commendatione Poetae, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Graecis una eſt Latina. Nam ex Eunucho, & Colace, Menandri fabulis, haec Eunuchus Terentiana ſcripta eſt, non ſine crimine, quod multa in hanc translata ſint ex multis Poetis Latinis. quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

ARGUMENTUM EUNUCHI.

Rapta quaedam ex Attica virgo nobilis, atque adducta eſt Rhodum: ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data eſt, & educata velut ſoror una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas ſe contulit: ab eoque heres inſtituta mortuo, mox a milite Thraſone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperiſſet, & eam virginem, quam diximus, ab heredibus mortuae animadvertiſſet venum eſſe propoſitam: quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen: & dono amatae Thaidi vexit Athenas. Verum poſtquam adveniens rivalem Phaedriam apud amicam reperit: quem per eius abſentiam ſibi meretrix conciliarat: affirmavit ſe non ante daturum promiſſam virginem, quam Thais foras aemulum pepuliſſet. Illa igitur, etſi amaret Phaedriam, cupiditate tamen recuperandae virginis & civis Atticae, & quam a parvula ut ſororem dilexerat,

excludit Phaedriam. Hinc ille primo iraſcitur: poſt, accepta facti ratione, a Thaide lenitur: & in bidui ſpatium ſponte concedens militi, rus proficiſcitur. Statimque ne ab aemulo muneribus ſuperaretur, Eunuchum & puellam Parmenoni iubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chaerea frater Phaedriae tunc ephebus, viſa in via virgine, inflammatur amore eius. Atque eo evaſit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipſe deduceretur ad Thaidem. Hac occaſione vitiata virgo: & mox civis, & nobilis cognita, datur uxor Chaereae: Phaedria vero & miles rivales, ambo concordes per paraſitum redditi, communi amica ſine certamine potiuntur. In primo actu Phaedria excluſus a Thaide. & ſecum primo, & mox cum Parmenone conqueritur fortunas ſuas: & ad poſtremum coram accuſat Thaidem. Rurſus permulcetur ab eadem: & voluntate digrediens, rus ſeſe conceſſurum in ſpatium bidui eſſe promittit. Secundus actus, profectionem Phaedriae continet delegantis ſervo deductionem Eunuchi, & puellae ad Thaidem. Tum Paraſitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicae miſſa eſt. Tum interventum Chaereae amantis virginem, eiusdemque cum Parmenone conſilium de eadem potienda per fallaciam: quia pro Eunucho ipſe ſupponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis, & paraſiti per ridiculum colloquium. Tum invitationem ad coenam Thaidis. Tum oblationem velut Eunuchi Chaereae & puellae ex Aethiopia per Parmenonem factam. Tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem. Antiphonis Chaereaeque colloquium de vitiata per dolum virgine. In quarto actu Dorias nuntiat iurgium inter militem & Thaidem: tum reditum habet ex villa Phaedriae: & querelam Pythiae de vitiata virgine apud Phaedriam: & eundem ſtupentem quod audiebat. Errorem ebrii Chremetis: & verba petulantia Thaidis adverſum militem, & militis adverſum Thaidem: para-

ta praelia, ridiculeque depoſita. Quintus actus haec continet, querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, poſtea cum ipſo Chaerea. Tum interventum Chremetis atque nutricis. Tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiae, atque eius indicio per ſenem qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias. & ad ultimum, reditum in gratiam militis cum Phaedria, & Chaerea.

CALPHURNII PROLOGUS IN HEAUTONTIMORUMENON.

HAec fabula, Menandri Graeca: quae facta a Terentio Latina, nomen idem obſervavit, ne Graeci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis exiſtimaret propria ſcribere, quam Graeca transferre. Nomen habet a ſene ſe ipſum excruciante ob filii abſentiam; quem amantem, duritia ſua in militiam proficiſci compulerat: εαυτον τιμωρουμενος, *Latine, ſe ipſum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas, ex utroque genere miſtas, praeter hanc. Nam Comoediae aut motoriae ſunt, aut ſtatariae, aut miſtae. Motoriae, turbulentae: Statariae, quietiores: Miſtae, ex utroque actu conſiſtentes. In hac, quae plurimum delectat & actu & ſtilo, primae partes ſunt Menedemi & Chremetis: ſecundae Cliniae & Clitiphonis: tertiae Syri: & ſic deinceps. Haec etiam, ut ceterae, quinque actus habet, Prologum concitatum. Nam & ſe purgat, & in laedendis adverſariis eſt occupatus. Argumentum quoque non ſimplicis negotii habet, nec unius adoleſcentis, ut in Hecyra: ſed duorum, ut in ceteris fabulis.*

ARGUMENTUM HEAUTONTIMORUMENU.

CHremes gravidae uxori olim interminatus, ſi puellam pareret, nolle tolli. At illa clam anui Corinthiae nutriendam dedit. Hanc adultam Clinia invito patre amare coepit. cuius duritia & aſſiduis iurgiis, in militiam proficiſci compulſus eſt. Poſtea facti patrem Menedemum adeo poenituit, ut omnia venderet, & agrum emeret, in eoque ſe exerceret: ut ſic filii iniuriam ulciſceretur. Paulo poſt revertitur Clinia: & clam patre divertitur apud Clitiphonem, qui & ipſe amabat ſcortum Bacchidem. Mittit accerſitum cupitam Antiphilam Clinia: cum qua & Bacchis una venit. Hanc adoleſcentes Cliniae amicam ſimulant Syri technis. Antiphila ad matrem deducitur: cuius occaſione Syrus decem minas meretriculae aufert a Chremete. Dehinc Antiphila Clitiphonis ſoror reperitur: & Cliniae in uxorem datur. Chremes Bacchidem a Clitiphone amari animadvertit. iraſcitur. minatur. ſed & Menedemo adhortante filio ignoſcit: & aliam illi dat coniugem. In primo actu agitur de coniunctione ſenum, ſcilicet Menedemi, & Chremetis: ſimul & de amicitia & familiaritate adoleſcentum, in qua Clitipho ardentiſſimus oſtenditur. Secundus actus continet quemadmodum adoleſcentes amicas receperint: ſimul & Syri callidum conſilium. Tertius actus exprimit Syri fallaciam in Chremem, ut Bacchidem credat Cliniae eſſe amicam, & Antiphilam arraboni Bacchidi relictam eſſe putet pro argento, quod anum Corinthiam meretrici debere finxit. In quarto actu agitur de recognitione Antiphilae: & de extorſione ar-

genti, quod Bacchidi Clitipho promiſerat. Quintus actus continet omnium rerum converſionem ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione geſtorum: & quemadmodum Antiphilam uxorem Clinia duxerit: Clitipho vero dimiſſa Bacchide, aliam acceperit.

PUBLII TERENTII
ANDRIA.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, M. FULVIO, ET M. GLABRIONE, AEDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, ET L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS, CLAUDII F. TIBIIS PARIBUS DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO, CN. SULPICIO, COSS.

[redacted]

PERSONAE.

PROLOGUS.
SIMO ſenex.
SOSIA libertus.
DAVUS ſervus.
MYSIS ancilla.
PAMPHILUS adoleſcens.
CHARINUS adoleſcens.
BYRRHIA ſervus.
LESBIA obſtetrix.
GLYCERIUM al. PASIBULA, Chremetis filia.
CHREMES ſenex.
CRITO hoſpes.
DROMO ſervus lorarius.

PERSONAE MUTAE.

ARCHILLIS ancilla.
CHRYSIS meretrix.
NICERATUS adoleſcens.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

CHremes & Phania fratres Athenienſes fuerunt. eorum Chremes profecturus in Aſiam, Paſibulam filiolam, quam tum unicam habebat, fratris fidei credidit. Profecto eo, contigit, ut in Graecia magni bellorum motus excitarentur; quos fugiens Phania, quum, impoſita ſecum in navim puella, ad fratrem iter cepiſſet, vi tempeſtatis fracta navi, apud Andrum inſulam eiectus eſt. Ibi applicat ſe ad Andrium quendam, hominem haud magna in re: a quo tamen benigne humaniterque exceptus, non ita multo poſt moritur. Hoſpes Andrius relictae apud ſe puellae commutat nomen, & pro Paſibula Glycerium nominat; cumque per aliquot annos eam cum filia Chryſide, pari utramque ſtudio, educaſſet, decedit ipſe quoque de vita. Chryſis, quae ſe & orbam & inopem videret, abrepta ſecum Glycerio, Athenas navigat. ubi cum aliquamdiu vitam lana telaque toleraſſet, ad poſtremum, adoleſcentum blanditiis & pollicitationibus victa, quaeſtum corpore facere incepit. Ventitabat ad eam inter ceteros Pamphilus, Simonis filius, probus & liberali praeditus ingenio adoleſcens: qui non Chryſidis ille quidem, ſed ipſius Glycerii mirifico quodam amore percuſſus, primus, ſoluſque cum ea rem habuit, fidemque iam gravidae dedit, eam ſibi uxorem fore. Suſceperat & poſtea Chremes aliam filiam, Philumenam nomine, eam-

que (iam enim nubilis erat) Pamphilo, bona adoleſcentis impulſus fama, collocare cupiebat. Quid multa? ultro ad Simonem venit, cum eo negotium conficit. Inſcio Pamphilo, de communi ſenum ſententia, faciundis nuptiis conſtituitur dies. Adhuc haec erant, quum Chryſis moritur. Ibi primum Simo de filii amore cognovit. nam cum ambo una in funus prodiiſſent, accidit, ut, poſita in ignem Chryſide, Glycerium ſe, prae doloris impatientia, eodem coniectura videretur. Adcurrit Pamphilus, eamque mediam amplexus, ita conſolari coepit, ut plurimas minimeque dubias totius rei ſignificationes daret. Itaque venit ad Simonem poſtridie Chremes, conditionem renuntiat: comperiſſe ſe, Pamphilum peregrinam illam habere in uxoris loco; neſcius, ex ſe natam eſſe eam, quam ita contumeliae cauſa peregrinam nominaret. Gaudere, ea re intellecta, Pamphilus: dolere contra, ac ringi Simo. Advenit interea dies, qui nuptiis initio fuerat praeſtitutus. Simo, veteratoria quadam calliditate, ſimulandas ſibi, ad pertentandum filii animum, nuptias ſtatuit: hoc cogitans, ſi abnueret filius, veram ſibi obiurgandi illius cauſam fore; quae ad eum diem nulla ſatis iuſta fuerat: ſin annueret, facile ſe, quod vellet, a Chremete impetraturum; atque ita veras nuptias, Diis adiuvantibus, factum iri. Praeteriens igitur apud forum, ſecuro iam, & nihil tale metuenti filio, Pamphile, inquit, abi domum, ac Deos comprecare; uxor tibi ducenda hodie eſt. Hoc dicto, velut impro-

viſo quodam iaculo, ſauciatus adoleſcens, quid ageret, aut quid conſilii caperet, neſciebat: quum ad eum Davus, vafro admodum ac verſuto ingenio ſervus, animadverſa ſenis aſtutia, accurrit. Erat tum una cum Pamphilo Charinus, qui adoleſcens miro quodam amore Philumenae incenſus, fruſtra ſaepe tentatis illius nuptiis, ad poſtremum audito, eam eo die nupturam Pamphilo, in ſummam deſperationem adductus, eum orabat, ſi ſe ſalvum vellet, ut vel eam ne duceret, vel ſaltem nuptiis dies aliquot produceret. Pamphilus eum ſua quidem cauſa bono eſſe animo, atque omnia ad impediendas nuptias moliri iubebat: ſe, quantum in ſe eſſet, effecturum, ea ut ne daretur ſibi. Adveniens, ut dixi, Davus, Charinum, iam ſpei plenum, abire ad ambiendos ſenis amicos iubet: deinde ſeorſum Pamphilo coniecturas ſuas aperit, perſuadetque, ut patri dicat, ſe paratum eſſe, uxorem ducere: nam eo pacto, inquit, & patri omnem iurgandi occaſionem praecideris, & non erit tamen verendum, ne nuptiae fiant: nunquam enim Chremes tibi, ſemel repudiato, filiam ſuam iterum commiſſurus eſt. Haec ita de ſervi conſilio acta, longe aliter cecidere, ac putabantur. exorat enim Chremetem Simo. Ita res in verarum nuptiarum diſcrimen adducitur. Forte eo ipſe die Glycerium, exactis temporibus, puerum peperit: eum puerum Davus, quum aliter nuptias diſturbare non poſſet, prae foribus aedium Simonis ab ancilla collocandum curat. In eum quum incidiſſet Chremes, & e Pamphilo natum

eſſe cognoſſet, rurſum abducit animum a nuptiis. Turbae maximae concitantur: donec advenit Crito Andrius, qui, quod Chryſidi genere proximus fuiſſet, ad cernendam illius hereditatem Athenas venerat. Eius interventu Chremes filiam agnoſcit. Ita, ſumma omnium laetitia, Charino Philumena, Glycerium Pamphilo nubit.

PUBLII TERENTII AFRI

ANDRIA.

PROLOGUS.

Poeta, quum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolum dari,
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis ſcribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris poetae [1] maledictis reſpondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quaeſo, animum advortite.
Menander fecit *Andriam* et *Perinthiam*:
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ità ſunt diſſimili argumento, ſed tamen

1 Pro Donati *Lucio Lavinio* Dacieria reponit *Luſcium Lanuvinum.*

Diſſimili oratione ſunt factae ac ſtilo [1].
Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atque uſum pro ſuis.
Id iſti vituperant factum, atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt, nae, intellegendo ut nihil intellegant.
Qui cum hunc accuſant, Naevium, Plautum, Ennium
Accuſant, quos hic noſter auctores habet:
Quorum aemulari exoptat neglegentiam
Potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc ut quieſcant porro, moneo, et deſinant
Male dicere, malefacta ne noſcant ſua.
Favete, adeſte aequo animo, et rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis, ecquid ſpei ſit reliquum,
Poſthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae ſint vobis prius.

ACTUS I. SCENA I.

SIMO, SOSIA.

Si. VOs iſthaec [2] intro auferte: [3] abite. [4] Soſia
Adeſdum: paucis te volo. *So.* dictum puta.
Nempe ut curentur recte haec. *Si.* immo aliud. *So.* quid eſt?

1 *Oratio* in ſenſu eſt, & ad res refertur: *ſtilus* ad verba.

2 Int. obſonia, olera, piſciculos.

3 Quaſi reſpicientes increpat, dicendo *abite*.

4 Molliter retenturus Soſiam, imperat, ut remaneat.

Quod tibi mea ars efficere hoc poſſit amplius?
Si. Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem quam paro;
Sed iis, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide et taciturnitate. *So.* exſpecto, quid velis.
Si. Ego poſtquam te emi a parvulo, ut ſemper tibi
Apud me iuſta et clemens fuerit ſervitus,
Scis. feci, e ſervo ut eſſes libertus mihi;
Propterea quod ſerviebas liberaliter.
Quod habui ſummum pretium, perſolvi tibi.
So. In memoria habeo. *Si.* haud muto factum [1]. *So.* gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo; et,
Id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam.
Sed mi hoc moleſtum eſt: nam iſthaec commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris benefici [2].
Quin tu uno verbo dic, quid eſt, quod me velis.
Si. Ita faciam. hoc primum in hac re praedico tibi,
Quas credis eſſe has, non ſunt verae nuptiae.
So. Cur ſimulas igitur? *Si.* rem omnem a principio audies:
Eo pacto et gnati vitam, et conſilium meum
Cognoſces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia, ac

1 h. e. non poenitet me facti.
2 h. e. eius, qui immemor ſit ben. Male Don. paſſive exponit, & Bentl. fingit *immemori*.

[1] Libere vivendi fuit poteſtas: (nam antea
Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum aetas, metus, magiſter prohibebant [2] ? *So.* ita eſt.)
Si. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Ut animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos;
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat; et tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. *So.* non iniuria: nam id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.
Si. Sic vita erat: facile omneis perferre, ac pati:
Cum quibus erat cunque una, iis ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, [3] advorſus nemini,
Nunquam praeponens ſe illis. ita facillume
Sine invidia invenias laudem, et amicos pares.
So. Sapienter vitam inſtituit: namque hoc tempore
Obſequium amicos, veritas odium parit [4].
Si. Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia et cognatorum [5] neglegentia

1 Vulg. *liberius*; quod metro repugnat.

2 Int. ingenium.

3 Bentl. verba *advorſus-ſe illis* pro interpolatis habet. Forſan *praeponere ſe illis*. Al. *aliis*.

4 cf. Cic. Lael. 24, 2 & Lactant. 5, 9.

5 Hic nos iam parat ad Critonis adventum. Erat vero in legg. Atticis, ut cognati ope

Coacta, egregia forma, atque aetate integra.
So. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
Si. Primum haec pudice vitam, parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans:
Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens,
Unus et idem alter, ita ut ingenium eſt omnium
Hominum a labore proclive ad lubidinem;
Accepit conditionem, dein quaeſtum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, [1] ſecum ut una eſſet, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus eſt:
Habet! obſervabam mane illorum ſervulos
Venienteis, aut abeunteis: rogitabam, heus, puer,
Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? nam Andriae
Illi id erat nomen. *So.* teneo. *Si.* Phaedrum, aut Cliniam,
Dicebant, aut Niceratum; (nam hi tres tum ſimul
Amabant.) eho, quid Pamphilus? quid? ſymbolam
Dedit, coenavit. gaudebam. item alio die
Quaerebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. enimvero ſpectatum [2] ſatis
Putabam, et magnum exemplum continentiae:
Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,
Neque commovetur animus in ea re [3] tamen,

& conſilio tuerentur viduas & orbas.

1 Vulg. diſtinguunt: *perduxere illuc ſecum, ut* &c. minus bene.

2 h. e. probatum ſc. Pamphilum.

3 MS. Mark. *tum*, quod

Scias, poſſe habere iam ipſum ſuae vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnès omnia
Bona dicere [1], et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.
Placuit; deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.
So. Quid [2] obſtat, cur non verae fiant? *Si.* audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta ſunt,
Chryſis vicina haec moritur. *So.* o factum bene!
Beaſti: metui a Chryſide. *Si.* ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chryſidem, una aderat frequens:
Curabat una funus: triſtis interim,
Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: hic parvae conſuetudinis
Cauſa mortem huius tam fert familiariter:
Quid, ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?
Haec ego putabam eſſe omnia humani [3] ingeni,
Manſuetique [4] animi officia. quid multis moror?

minus appoſitum.

1 ευφημειν, felicem praedicare.

2 MSS. quidam & edd. vett. addunt *igitur.*

3 h. e. qui nihil humani (quod hominibus accidit) a ſe alienum putat. Facit huc illud Iuſtini XI, 12. *Exſequiaſque benigne proſequutum: idque non eum amoris, ſed humanitatis cauſa feciſſe.*

4 Ut qui ad alios facile aſſueſcat, & ſic aegre ab iis avellatur.

Egomet quoque eius cauſa in funus prodeo,
Nihil ſuſpicans etiam mali. *So.* hem, quid eſt?
Si. ſcies.
Effertur. imus. interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam adſpicio adoleſcentulam,
Forma! *So.* bona fortaſſe? *Si.* et voltu, Soſia,
Adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra.
Quia tum mihi lamentari praeter ceteras
Viſa eſt: et quia erat forma praeter ceteras
Honeſta, et liberali; accedo ad pediſſequas;
Quae ſit, rogo. ſororem eſſe aiunt Chryſidis.
Percuſſit illico animum. at at! hoc illud eſt!
Hinc illae lacrumae! haec illa eſt miſericordia!
So. Quam timeo, quorſum evadas! *Si.* funus interim
Procedit: ſequimur: ad ſepulcrum venimus.
In ignem impoſita eſt: fletur. interea haec ſoror,
Quam dixi, ad flammam acceſſit imprudentius,
Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene diſſimulatum amorem et celatum indicat:
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut conſuetum facile amorem cerneres,
Reiecit ſe in eum, flens, quam familiariter.
So. Quid ais! *Si.* redeo inde iratus, atque aegre ferens.
Nec ſatis ad obiurgandum cauſae. diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?

Quae ſeſe voluit in ignem iniicere, prohibui,
Servavi, honeſta oratio eſt. *So.* recte putas:
Nam ſi illum obiurges, vitae qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum [1]?
Si. Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,
Indignum facinus! [2] comperiſſe Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam [3]. ego illud ſedulo
Negare factum. ille inſtat [4] factum. denique
Ita tum diſcedo ab illo, ut qui ſe filiam
Neget daturum. *So.* non tu ibi gnatum? *Si.* ne haec quidem
Satis vehemens cauſa ad obiurgandum. *So.* qui, cedo?
Si. Tute ipſe his rebus finem praeſcripſti, pater:
Prope abeſt, quum alieno more vivendum eſt mihi:
Sine, nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus eſt obiurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere;
Ea primum ab illo [5] animadvertenda iniuria eſt,
Et nunc id operam do, ut per falſas nuptias
Vera obiurgandi cauſa ſit, ſi deneget.

1 *Damnum* rei eſt: *malum* ipſius hominis.

2 MS. Mark. & 2 Leid. *comperiſſe ſe*. Traiect. iungit, *ind. fac. comp.* Sed praeſtat vulg.

3 Cum contemtu dictum; nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur.

4 h. e. contendit, urget; cf. Tac. Annal. VI, 5, ibique a nobis notata.

5 h. e. ab illo profecta ſ. illius.

Simul, ſceleratus Davus ſi quid conſili
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli:
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum: magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato. *So.* quapropter,[1]? *Si.* rogas?
Mala mens, malus animus. quem quidem ego ſi ſenſero!
Sed quid opus eſt verbis? ſin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nil ſit morae, reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt, et ſpero confore.[2]
Nunc tuum eſt officium, has bene ut adſimules nuptias,
Perterrefacias Davum, obſerves filium,
Quid agat, quid cum illo conſilii captet. *So.* ſat eſt:
Curabo: eamus iam nunc intro. *Si.* i prae, ſequar.

ACTUS I. SCENA II.

SIMO, DAVUS.

Si. NON dubium eſt, quin uxorem nolit filius:
Ita[3] Davum modo timere ſenſi, ubi nuptias
Futuras eſſe audivit. ſed ipſe exit foras.
D. Mirabar, hoc ſi ſic abiret: et heri ſemper lenitas[4],

1 Mire Soſ. interrogat, quaſi nulla cauſa ſit fallendi dominum.

2 h. e. perfectum iri.

3 Part. *ita* h. l. confirmandi & declarandi vim habet.

4 An *ſemper-lenitas*, per ὑφὲν; quod videtur Donato,

Verebar, quorſum evaderet.
Qui poſtquam audierat non datum iri filio uxorem ſuo,
Nunquam cuiquam noſtrum verbum fecit, neque id aegre tulit.
Si. At nunc faciet: neque, ut opinor, ſine tuo magno malo.
D. Id voluit, nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio,
Sperantes, iam amoto metu; interea oſcitantes opprimi;
Ut ne eſſet ſpatium cogitandi ad diſturbandas nuptias.
Aſtute [1]! *Si.* carnufex quae loquitur? *D.* herus eſt, neque [2] provideram.
Si. Dave. *D.* hem, quid eſt? *Si.* ehodum, ad me.
D. Quid hic volt [3]? *Si.* quid ais? *D.* qua de re? *Si.* rogas [4]?
Meum gnatum rumor eſt amare. *D.* id populus curat ſcilicet [5]?

Dacieriae, & a Geſnero in theſ. ſub voce *ſemper* plur. exemplis firmatur. Conſpirant certe verba, quibus Pamphilus infra I, 5, 27. lenitatem patris deſcribit: *qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc, quae* &c. *facere.* Sed Guyet. & Weſterhof. transpoſitionem ſumunt, ordinantque *ſemper verebar, quorſ. heri len. ev.* quod minus placet.

1 Hoc & geſtu, & vultu ſervili, & cum agitatione capitis dicit.

2 MSS. & edd. quidam *praevideram.*

3 More ſervili & vernili geſtu.

4 c. interrog. indignantis.

5 Ad ſpectatores converſus falſe haec dicit & cum deriſu

Si. Hoccine agis [1], an non? *D.* ego vero iſthuc. *Si.* ſed, nunc ea me exquirere,
Iniqui patris eſt. nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum [2] tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum ut expleret ſuum:
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.
Dehinc poſtulo, ſive aequum eſt, te oro, Dave, ut redeat iam in viam.
D. Hoc quid ſit [3]? *Si.* omnes qui amant, graviter ſibi dari uxorem ferunt.
D. Ita aiunt. *Si.* tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum,
[4] Ipſum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
D. Non hercle intellego. *Si.* non? hem. *D.* non: Davus ſum, non Oedipus [5].
Si. Nempe ergo aperte vis, quae reſtant, me loqui? *D.* ſane quidem.

(*ſcilicet* h. l. ironicum) neque reſpondet hero, quaſi non audiviſſet, quae ille dixerat.

1 h. e. audis. Demonſtrative pronuntiat, velut aurem ſuam tangens.

2 *Tempus ad eam rem* (ſic enim coniunge) eſt tempus amorum & liberioris vitae; uti Eunuch. IV, 1. 7, *ad eam rem* (h. e. eius rei) *tempus non erat.*

3 Meditabundi vultum fingens dicit.

4 Weſterh. poetam ſcripſiſſe credit *ipſu'* (ipſus) *animum* &c. idque a librariis mutatum in *ipſum.*

5 Diſſimulans ſe intelligere, quae herus dixerat, ſimulat

Si. [1] Si ſenſero hodie, quidquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re [2] oſtendi, quam ſis callidus:
Verberibus caeſum te in piſtrinum, Dave, dedam uſque ad necem;
Ea lege atque omine [3], ut, ſi te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? *D.* immo callide:
Ita aperte ipſam rem modo locutus, nihil circuitione uſus es.
Si. Ubivis facilius paſſus ſim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona verba quaeſo [4]. *Si.* irrides? nihil me fallis. [5] ſed dico tibi,

tarditatem ſervilem, ſimulque forſan ſpectatoribus deridendum praebet herum, quem, uti Donatus acute obſervát, Sphingi, monſtro, tacite aequiparat. Plaut. Poen. 1, 3, 34. *Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo opus eſt coniectore, qui Sphingi interpres fuit.*

1 Comminatio, & ſic pronuntiatur, ut in ſingulis verbis ardeant minae.

2 Quidam libb. ſcript. & edd. vett. *oſtendere.* Probat Weſterh.

3 *Lege* ad homines: *Omine* ad rem div. refertur, & eſt firmamentum, per humana & divina.

4 h. e. meliora loquere, rogo te. Cum geſtu ioculari dicit.

5 *Sed* ſuſpectum Weſterhovio, qui literam *S* repetitam putat ex praeced. *fallis*, *D* vero ex ſeq. *dico*, adeoque legendum *fallis. Edico tibi* &c.

Ne temere facias: [1] neque tu hoc dicas, tibi non praediſtum. cave.

ACTUS I. SCENA III.

DAVUS.

ENimvero, Dave, nihil loci eſt ſegnitiae, neque ſocordiae [2],

Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis.

Quae ſi non aſtu providentur, me, aut herum peſſundabunt.

Nec quid agam certum eſt: Pamphilumne adiutem, an auſcultem ſeni.

Si illum relinquo, eius vitae timeo: ſin opitulor, huius minas;

Cui verba dare difficile eſt. primum iam de amore hoc [3] comperit:

Ferendum tamen τὸ *ſed*; quod reſpondeat τῷ *nihil.* Ceterum Eunuch. V, 4, 20 per auxeſin coniunguntur *Dico, edico vobis* &c. Nobis vero Simo videtur, cum ſatis iam verborum fudiſſe ſe crederet, orationi finem facere voluiſſe cum comminatione, quae terrorem incuteret; uti Phorm. II, 3, 90 *Dixi Phormio--dixi Demipho;* ubi comminatio praeceſſerat. H. l. minae ſequuntur heri, gravius addentis *cave.*

1 Sic edidit Mur. Edd. ante ipſum habent *neque tu haud dicas,* quod fruſtra praefert Weſterh.

2 *Segn.* ad agendum. *Socord.* ad conſiderandum.

3 *Amore hoc,* ſic, quaſi cum taedio & reprehenſione eius amoris loquatur.

Me inſenſus ſervat, ne quam faciam [1] in nuptiis fallaciam.
Si ſenſerit, perii: aut, ſi lubitum fuerit, cauſam ceperit,
[2] Quo iure, quaque iniuria praecipitem me in piſtrinum dabit.
Ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria,
Sive iſta uxor, ſive amica eſt [3], gravida e Pamphilo eſt:
Audireque eorum eſt operae pretium audaciam:
Nam inceptio eſt amentium, haud amantium:
Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere:
Et fingunt quandam inter ſe nunc fallaciam,
Civem Atticam eſſe hanc. [4] Fuit olim quidam ſenex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum inſulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc eiectam Chryſidis
Patrem recepiſſe, orbam, parvam. fabulae!
Mihi quidem hercle non fit veriſimile.
Atqui ipſis commentum placet.
Sed Myſis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

1 Quidam MSS. & edd. omittunt τὸ *in*.

2 Weſterh. malit *quo iure, quave iniuria; praec.* &c. Sed & τὸ *que*, quod tuentur MSS. & edd. vett. & Priſc. L. 18, vim diſiunctivam habet.

3 Et hoc cum quodam taedio & indignatione ſtomachi interrumpit.

4 A narratione tranſit ad μίμησιν, & eſt *olim* fabulae proprium.

ACTUS I. SCENA IV.

MYSIS.

M. Audivi, Archillis, iam dudum: Lesbiam adduci iubes.
Sane pol [1] illa temulenta eſt mulier, et temeraria.
Nec ſati' digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. importunitatem ſpectate aniculae:
Quia compotrix eius eſt [2]. Di, date facultatem, obſecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed, quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor, quid fiet.
Opperiar, ut ſciam, [3] num quidnam haec turba triſtitiae adferat.

ACTUS I. SCENA V.

PAMPHILUS, MYSIS.

P. Hoccine eſt humanum factum, aut inceptum! hoccine eſt officium patris!
M. Quid illud eſt?

1 *Illa* deeſt in Mark.

2 In vultu remanſit oratio. deeſt enim, *ideo illam vult arceſſiri.*

3 Sic legit Donat. & recenſuit Heinſ. Al. *nunc*; & ſic eſt in MS. Bodl.

P. Pro deum atque hominum fidem! quid eſt, ſi non haec contumelia eſt?
Uxorem [1] decrerat dare ſeſe mi hodie. nonne oportuit
Praeſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?
M. Miſeram me! quod verbum audio? *P.* quid Chremes? qui denegarat,
Se commiſſurum mihi gnatam ſuam uxorem? id mutavit,
Quoniam me immutatum videt.
Itane obſtinate operam dat, ut me a Glycerio miſerum abſtrahat?
Quod ſi fit, pereo funditus.
Adeon' hominem invenuſtum eſſe, aut infelicem quemquam [2], ut ego ſum!
Pro deum, atque hominum fidem! nullon' ego
Chremetis pacto affinitatem effugere potero? quot modis
Contemtus, ſpretus? facta, transacta omnia. hem!
Repudiatus repetor. quamobrem? niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor:
Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt,

1 Mur. & Faern. repererunt in MSS. quibusd. *decrevit.* Prob. Tanaq. Faber. explicans de ſecundo Simonis conſilio repentinarum nuptiarum.

2 Amatorie & ingemiſcens hoc loquitur.

Itur ad me. *M.* oratio haec me miſeram exanimavit metu.
P. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah!
Tantamne rem tam neglegenter agere? praeteriens modo
Mihi apud forum, uxor tibi ducenda eſt, Pamphile, hodie, inquit: para:
Abi domum. id mihi viſus eſt dicere, abi cito, et ſuſpende te.
Obſtupui. cenſen' ullum me verbum potuiſſe proloqui?
Aut ullam cauſam, ineptam ſaltim, falſam, iniquam? obmutui.
Quod ſi ego prius id reſciſſem; quid facerem, ſi quis nunc me roget;
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. ſed nunc primum quid exſequar?
Tot me impediunt curae, quae meum animum diverſe trahunt:
[1] Amor, miſericordia huius, nuptiarum [2] ſollicitudo,
Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc,
Quae meo cunque animo lubitum eſt, facere: eine ego ut advorſer? hei mihi!

1 *Amor* quem ipſe conſuetum habebat; *miſ. huius* int. Glycerii. *nupt.* int. Philumenae; *pudor* ſ. reverentia *patris.* Atque hos varios affectus dein per vices prodit agendo.

2 Al. pauciorum MSS. fide *ſollicitatio.*

Incertum eſt, quid agam. *M.* miſera timeo, incertum hoc quorſum accidat.
Sed nunc peropus eſt, aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa advorſum hunc loqui.
Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur.
P. Quis hic loquitur? Myſis, ſalve. *M.* o ſalve, Pamphile. *P.* quid agit? *M.* rogas [1]?
Laborat e dolore [2]: atque ex hoc miſera ſollicita eſt [3] die;
Quia olim in hunc ſunt conſtitutae nuptiae. tum autem hoc timet,
Ne deſeras ſe. *P.* hem, egone iſthuc conari queam?
[4] Ego propter me illam decipi miſeram ſinam?
Quae mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit;
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene et pudice eius doctum atque eductum ſinam
Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Non faciam. *M.* haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum:
Sed vim ut queas ferre. *P.* adeon' me ignavum putas?

1 Lenta quaedam & triſtis eſt reſponſio, & dolore plena.

2 Int. dolorem partus.

3 Sic MSS. Leid. omnes, Marck. & ed. Venet. 1490 aliaeque vett. In edd. recentt. vulgo legitur *ſollicita eſt, diem quia* &c.

4 MS. Traiect. & Leid. omnes *egone*. Citat & iam ex MS. Lindenbr.

Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum?
Ut neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut ſervem fidem?
M. Unum hoc ſcio, hanc meritam eſſe, ut memor eſſes ſui.
P. Memor eſſem? o Myſis, Myſis: etiam nunc mihi
Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
De Glycerio. iam ferme moriens me vocat:
Acceſſi: vos ſemotae: nos ſoli: incipit:
Mi Pamphile, huius formam atque aetatem vides.
Nec clam te eſt, quam illi utraeque [1] res nunc [2] inutiles
Et ad pudicitiam et ad rem tutandam ſient.
Quod ego te per hanc [3] dextram oro, et ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque huius ſolitudinem
Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras.
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive haec te ſolum ſemper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
[4] Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem:

1 Unus Lugd. non habet *res*.

2 Ita MSS. Lugd. omnes &, bene defendit Dacieria. Al. MSS. *utiles*.

3 Tenebat enim eum, ut apparet.

4 Sermo fractus iamiam ſpiritum finiturae. Extrema

Bona noſtra haec tibi permitto, et tuae mando fidei.
Hanc mi in manum dat. mors continuo ipſam occupat.
Accepi. acceptam ſervabo. *M.* ita ſpero quidem.
P. Sed cur tu ab illa? *M.* obſtetricem arceſſo. *P.* propera;
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam. *M.* teneo.

ACTUS II. SCENA I.

CHARINUS, BYRRHIA, PAMPHILUS.

C. QUid ais, Byrrhia?
Daturne illa Pamphilo hodie nuptum? *B.* ſic eſt.
C. Qui ſcis? *B.* apud forum modo de Davo audivi. *C.* vae miſero mihi!
Ut animus in ſpe atque in timore uſque antehac attentus fuit;
Ita, poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, cura confectus, ſtupet.
B. Quaeſo aedepol, Charine; quoniam non poteſt id fieri, quod vis,
Id velis, quod poſſit. *C.* nihil aliud, niſi Philumenam, volo.
B. Ah! quanto ſatius eſt, te id dare operam,
Qui iſtum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui,

Chryſidis revocans Pamphilus fortius movetur ipſe.

Quo magis lubido fruſtra incendatur tua.
C. Facile omnes, quum valemus, recta conſilia aegrotis damus.
Tu ſi hic [1] ſis, aliter ſentias. *B.* age age, ut lubet. *C.* ſed Pamphilum
Video. omnia experiri certum eſt prius, quam [2] pereo. *B.* quid hic agit?
C. Ipſum hunc orabo: huic ſupplicabo: amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot ſaltim nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, ſpero. *B.* id aliquid nihil eſt. *C.* Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? *B.* quidni? ſi nihil impetres,
Ut te arbitretur ſibi paratum moechum, ſi illam duxerit.
C. [3] Abin' hinc in malam rem cum ſuſpicione iſthac, ſcelus!
P. Charinum video. ſalve. *C.* o ſalve, Pamphile.
Ad te advenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.

1 Semet indigitans hoc dicit. Et eſt *hic* pronomen notante Donato.

2 MSS. quidam & edd. vett. *peream.* Praeſtat autem vulg. utpote certius conſilium pereundi indicans.

3 Charinus prodit honeſtum amorem eoque verum.

P. Neque pol conſilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed iſthuc quidnam eſt? *C.* hodie uxorem ducis? *P.* [1] aiunt. *C.* Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremum me vides. *P.* Quid ita? *C.* hei mihi!
Vereor dicere. huic dic, quaeſo, Byrrhia. *B.* ego dicam. *P.* quid eſt?
B. Sponſam hic tuam amat. *P.* nae iſte haud mecum ſentit. ehodum dic mihi.
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? *C.* ah, Pamphile,
Nihil. *P.* quam vellem! *C.* nunc te per amicitiam et per amorem obſecro,
Principio, ut ne ducas. *P.* dabo equidem operam. *C.* ſed ſi id non potes:
Aut tibi nuptiae hae ſunt cordi. *P.* cordi? *C.* ſaltim aliquot dies
Profer, dum proficiſcor aliquo; ne videam. *P.* audi nunc iam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum is nil promereat, poſtulare id gratiae apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
C. Reddidiſti animum. *P.* nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,

1 Frigide loquitur & quaſi id parum ſibi iucundum ſit.

Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. *C.* ſat habeo. *P.* Davum optume
Video; huius conſilio fretus ſum. *C.* at tu hercle haud quidquam mihi,
Niſi ea, quae nihil opus ſunt ſciri. fugin' hinc? *B.* ego vero, ac lubens.

ACTUS II. SCENA II.

DAVUS, CHARINUS, PAMPHILUS.

D. DI boni, boni quid porto! ſed ubi inveniam Pamphilum!
Ut metum, in quo nunc eſt, adimam, atque expleam animum gaudio.
C. Laetus eſt, neſcio quid. *P.* nihil eſt: nondum haec reſcivit mala.
D. Quem ego nunc credo, ſi iam audierit ſibi paratas nuptias.
C. Audin' tu illum? *D.* toto me oppido exanimatum quaerere.
Sed ubi quaeram? [1] quo nunc primum intendam? *C.* ceſſas alloqui?
D. [2] Abeo. *P.* Dave, ades, reſiſte. *D.* quis homo eſt, qui me? o Pamphile,

1 *Aut* Vulg. hic additum Guyet. delet ex libro Reg. & omiſit Daciera, neque eſt in MS. Bodl.

2 Videtur paulum conſtitiſſe, quaſi ſecum deliberans,

Te ipſum quaero. euge, o Charine! ambo opportune: vos volo.
P. Dave, perii. *D.* quin tu hoc audi. *P.* interii. *D.* quid timeas, ſcio.
C. Mea quidem hercle certe in dubio vita eſt. *D.* et quid tu, ſcio.
P. Nuptiae mihi. *D.* et id ſcio. *P.* hodie. *D.* obtundis, tametſi intellego.
Id paves, ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas. *C.* rem tenes.
P. Iſthuc ipſum. *D.* atqui iſthuc ipſum, nil pericli eſt: me vide [1].
P. Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſerum metu. *D.* hem,
Libero. uxorem tibi iam non dat Chremes. *P.* qui ſcis? *D.* ſcio.
Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare
Hodie: item alia multa, quae nunc non eſt narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.
Ubi te non invenio, ibi aſcendo in quendam excelſum locum.
Circumſpicio. nuſquam. forte ibi huius video Byrrhiam:

quo tendat.

1 Formula fideiubendi, ut dici ſolet, *me habe, me reſpice.*

Rogo. negat vidiſſe. mihi moleſtum. quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipſa re mi incidit ſuſpicio. hem,
Paululum obſoni. ipſus triſtis. de improviſo nuptiae.
Non cohaerent. *P.* quorſumnam iſthuc? *D.* ego me continuo ad Chremem.
Quum illo advenio: ſolitudo ante oſtium. iam id gaudeo [1].
P. Recte dicis. perge. *D.* maneo. interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullam. in aedibus
Nil ornati, nil tumulti. acceſſi: introſpexi. *P.* ſcio.
Magnum ſignum. *D.* num videntur convenire haec nuptiis?
P. Non opinor, Dave. *D.* opinor narras? non recte accipis.
Certa res eſt. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera et piſciculos minutos ferre obolo in coenam ſeni.
C. Liberatus ſum, Dave, hodie tua opera. *D.* at nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. *D.* ridiculum caput!
Quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam uxorem ducere.

1 Quaſi averſum & non conſentientem Pamph. laetitia ſua excitat ad gaudium.

Niſi vides [1], niſi ſenis amicos oras, ambis. *C.* bene mones.
Ibo: etſi hercle ſaepe iam me ſpes haec fruſtrata eſt. vale.

ACTUS II. SCENA III.

PAMPHILUS, DAVUS.

P. QUid igitur ſibi volt pater? cur ſimulat? *D.* ego dicam tibi.
Si id ſuccenſeat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipſu' ſibi eſſe iniurius videatur: neque id iniuria,
Prius quam tuum, ut ſeſe habeat, animum ad nuptias perſpexerit.
Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illae turbae fient. *P.* [2] quidvis patiar. *D.* pater eſt, Pamphile,
Difficile eſt [3]. tum haec ſola eſt mulier. dictum ac factum [4] invenerit

1 Artificioſe Davus Charinum, ut provideat ſibi, impellit, quo ſic Pamphili negotium adiuvetur.

2 Al. *quid vis? patiar?* Al. *quid? vis patiar?* In his rogationibus nihil ſani eſt. Ob amorem Glycerii iris paternis nihil opponere cupit praeter patientiam. Sed Davus ſibi aeque et Pamphilo inde metuens, impellere pariter ſtudet, uti ſe paratum ad nuptias imperatas ſimulet, & ſic patri cauſas iurgiorum adimat.

3 Int. reſiſtere.

4 Prov. celeritatis. i. e. cito. Guyet. Eugraphium ſecutus

Aliquam cauſam, quamobrem eiiciat oppido. *P.* eiiciat [1]? *D.* cito.
P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *D.* dic te ducturum. *P.* hem! *D.* quid eſt?
P. Egone dicam? *D.* cur non [2]? *P.* nunquam faciam. *D.* ne nega.
P. Suadere noli. *D.* ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. *D.* nón ita eſt.
Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem. tu, ducam, inquies.
Cedo, quid iurgabit tecum, hic reddes omnia,
Quae nunc ſunt certa ei conſilia, incerta ut fient,
Sine omni periclo. nam hocce haud dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det gnatam. nec tu ea cauſa [3] minueris
Haec, quae facis; ne is ſuam mutet ſententiam.
Patri dic velle: ut cum velit tibi iure iraſci, non queat.
Nam quod tu ſperas, propulſabo facile. uxorem his moribus
Dabit nemo. inopem inveniet potius, quam te corrumpi ſinat.

dictum factum. Ita & Graevius v. & ſic infra Heaut. V, 1, 31.

1 Gravius commovetur. Id ſane pati animus non erat.

2 Non interrogat, ſed facilitatem rei innuit.

3 Sic ordina: nec tu ea cauſa, ne is (Chremes) mutet ſuam ſent. minueris haec, quae facis ſ. de conſuetudine Glycerii remittas.

Sed ſi te aequo animo ferre accipiet, neglegentem feceris.
[1] Aliam otioſus quaeret. interea aliquid acciderit boni.
P. Itan' credis? *D.* haud dubium id quidem eſt. *P.* vide, quo me inducas. *D.* quin taces?
P. Dicam. puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ex illa, cautio eſt:
Nam pollicitus ſum ſuſcepturum. *D.* o facinus audax! *P.* hanc fidem
Sibi, me obſecravit, qui ſe ſciret non deſerturum, ut darem.
D. Curabitur. ſed pater adeſt. cave, te eſſe triſtem ſentiat.

ACTUS II. SCENA IV.

SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

S. REviſo, quid agant, aut quid captent conſili.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ductūrum neges.
Venit meditatus alicunde, ex ſolo loco.
[2] Orationem ſperat inveniſſe ſe,
Qui differat te. proin tu fac, apud te ut ſies.
P. Modo ut poſſim, Dave. *D.* crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum eſſe verbum, ſi te dices ducere.

1 Al. *alia;* fruſtra.
2 Mſ. Mark. & Palat. 1 *rationem.*

ACTUS II. SCENA V.

BYRRHIA, SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

B. HErus me, relictis rebus [1], iuſſit Pamphilum
Hodie obſervare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem. id propterea nunc hunc [2] venientem ſequor.
Ipſum [3] adeo praeſto video cum Davo. hoc agam [4].
S. Utrumque adeſſe video. *D.* hem, ſerva [5]. *S.* Pamphile.
D. Quaſi de improviſo reſpice ad eum. *P.* ehem, pater.
D. Probe. *S.* hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
B. Nunc noſtrae parti timeo, quid hic reſpondeat.
P. Neque iſthic, neque alibi tibi uſquam erit in me mora. *B.* hem!
D. Obmutuit [6]. *B.* quid dixit? *S.* facis, ut te decet,
Quum iſthuc, quod poſtulo, impetro cum gratia.
D. Sum verus? *B.* herus, quantum audio, uxore excidit.

1 Mſſ. quidam addunt *omnibus*.

2 int. Simonem, ut qui nunc venit ad reviſendum.

3 int. Pamphilum.

4 Dicitur cum geſtu corporis, ſe parantis ad obſervandum.

5 int. te, h. e. cave ne pecces, fac apud te ut ſis. Sic Davus Pamphilum praemonet, dein iubet: *quaſi de improv.* &c. Scenicum eſt.

6 Sic evenit, quod ſupra praedixerat Davus; mox ſubiungens, *ſum verus?*

S. I nunc iam intro: ne in mora, cum opus ſit, ſies.
P. Eo. *B.* nullane in re eſſe homini cuiquam ſidem!
Verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet,
Omnes ſibi malle melius eſſe, quam alteri.
Ego illam vidi virginem: forma bona
Memini videre. quo aequior ſum Pamphilo,
Si ſe illam in ſomnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

ACTUS II. SCENA VI.

DAVUS, SIMO.

D. HIc nunc me credit aliquam ſibi fallaciam
Portare, et ea me hic reſtitiſſe gratia.
S. Quid Davus narrat? *D.* aeque quidquam nunc quidem [1].
S. Nihilne? hem. *D.* nihil prorſus. *S.* atqui exſpectabam quidem.
D. Praeter ſpem evenit: ſentio: hoc male habet virum.
S. Potin' es mihi verum dicere? *D.* nihil facilius.
S. Num illi [2] moleſtae quidpiam hae ſunt nuptiae,
Propter huiusce hoſpitae conſuetudinem?
D. Nihil hercle. aut ſi adeo, bidui eſt, aut tridui
Haec ſollicitudo. noſtin'? deinde deſinet.

1 h. e. nihil, comice. Pal.
2. *neqiæ.*
2 Vide, quomodo omnia extenuet, levemque ſe ſimulet, ut Davus audeat confiteri.

Etenim ipſus ſecum eam rem recta reputavit via.
S. Laudo. *D*. [1] dum licitum eſt ei, dumque aetas tulit,
Amavit: tum id clam. cavit, ne unquam infamiae
Ea res ſibi eſſet, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus eſt: [2] animum ad uxorem appulit.
S. Subtriſtis viſu' eſt eſſe aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem: ſed eſt [3], quod ſuccenſet tibi.
S. Quidnam eſt? *D*. [4] puerile eſt. *S*. quid eſt? *D*. nihil [5]. *S*. quin dic, quid eſt?
D. Ait, nimium parce facere ſumtum. *S*. mene? *D*. te.
Vix, inquit, drachmis obſonatus eſt decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad coenam meorum aequalium
Potiſſimum nunc? et, quod dicendum hic ſiet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. *S*. tace.
D. Commovi. *S*. ego, iſthaec recte ut fiant, videro.

1 Mire hic utitur verbis ſenis. v. ſupra I, 2, 18.

2 Habet hic verſus lepidum iocum, quia quod Simo de Philumena intelligit, Davus de Glycerio dicebat; neque aliter ſpectatores capiebant.

3 int. ſubtriſtis; al. *ſed eſt*, (ob) *quod ſuccenſeat tibi.*

4 Videtur Davus nunc quaerere, quid reſpondeat: & ad quam cauſam derivet averſa ſuſpicione triſtitiam Pamphili, quam animadvertit ſenex. Sed forſan ſic tergiverſatur, ut id, quod quaſi irridens ſeni dicere geſtit, Simo, quem curioſum fecerat, iuſſu ſuo ſe expreſſiſſe credat.

5 Al. ſubdunt *eſt*.

[1] Quidnam hoc rei eſt? quid hic volt veterator ſibi?
Nam ſi hic mali eſt quidquam, hem illic eſt huic rei caput.

ACTUS III. SCENA I.

MYSIS, SIMO, DAVUS, LESBIA, GLYCERIUM.

M. ITa pol quidem res eſt, ut dixti, Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
S. Ab Andria eſt ancilla haec? quid narras? *D.* ita eſt.
M. Sed hic Pamphilus. *S.* quid dicit? *M.* firmavit fidem. *S.* hem!
D. Utinam aut hic ſurdus, aut haec muta facta ſit!
M. Nam quod peperiſſet, iuſſit tolli. *S.* o Iupiter!
Quid ego audio? actum eſt, ſiquidem haec vera praedicat.
L. Bonum ingenium narras adoleſcentis. *M.* optumum.
Sed ſequere me intro, ne in mora illi ſis [2]. *L.* ſequor.
D. Quod remedium nunc huic malo inveniam? *S.* [3] quid hoc?
Adeon' eſt demens? ex peregrina? [4] iam ſcio: ah!
Vix tandem ſenſi ſtolidus. *D.* quid hic ſenſiſſe ait?

1 Haec tacite & apud ſe.

2 Nonnulli Mſſ. addunt, *quum opus eſt.*

3 Haec ſecum ſenex.

4 Quaſi meditabundus paulum tacet. Mox inventa fraude, ut credebat, laetus inquit, *iam ſcio, ah!* Weſterh. mallet *vah*, idque ſequentibus coniungi.

S. Haec primum affertur iam mihi ab hoc fallacia ;
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.
G. [1] Iuno Lucina, fer opem! ſerva me, obſecro!
S. Hui, tam cito? ridiculum. poſtquam ante oſtium
Me audivit [2] ſtare, adproperat. non ſat commode
Diviſa ſunt temporibus [3] tibi, Dave, haec. *D*. mihin'?
S. Num immemores diſcipuli [4]? *D*. ego, quid narres, neſcio.
S. Hiccine me ſi imparatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet!
Nunc huius periclo fit: ego in portu navigo.

ACTUS III. SCENA II.

LESBIA, SIMO, DAVUS.

L. ADhuc, Archillis, quae adſolent, quaeque oportet
Signa eſſe ad ſalutem, omnia huic eſſe video.
Nunc primum fac, iſtaec ut lavet: poſt deinde,
Quod iuſſi [5], ei dare bibere, et quantum imperavi,
Date. mox ego huc revertor.

1 Haec Glycerii vox poſt Scenam tollitur.

2 Sc. Glycerium, quae ex Myſide & Lesbia intrantibus id audiſſe poterat.

3 Locutio ab ipſa ſcena translata, ubi omnia actibus, partibus, temporibus diviſa, i. e. diſtributa dicebantur.

4 int. Myſin, Lesbiam, Pamphilum, omnes per quos agatur fallacia.

5 Vide, ut auctoritatem & iactantiam medicorum imitetur in ſingulis.

Per ecaſtor ſcitu' puer eſt natus Pamphilo.
Deos quaeſo, ut ſit ſuperſtes [1]: quandoquidem ipſe [2] eſt ingenio bono,
Cumque huic veritus eſt optumae adoleſcenti facere iniuriam.
S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum? *D*. quidnam id eſt?
S. Non imperabat coram, quid opus facto eſſet puerperae:
Sed poſtquam egreſſa eſt, illis, quae ſunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor eſſe, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltim accurate [3], ut metui videar certe, ſi reſciverim.
D. [4] Certe hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haud ego. *S*. edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperiſſe hanc a Pamphilo?
D. Teneo, quid erret: et quid agam, habeo. *S*. quid taces?

1 l. int. patri, l. expone *ſalvus*.
2. int. Pamphilus.
3 h. e. ſaltim non ita aperte, ſed caute me feſelliſſe debebas.
4 Ad ſpectatores converſus loquitur.

D. Quid credas? quaſi non tibi renuntiata ſint haec, ſic fore.
S. Mihin' quiſquam [1]? *D.* eho! an tute intellexti hoc aſſimulari? *S.* irrideor.
D. Renuntiatum eſt. nam qui iſthaec tibi incidit ſuſpicio?
S. Qui? quia te noram. *D.* quaſi tu dicas, factum id conſilio meo.
S. Certe enim ſcio. *D.* non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.
S. Egone te? *D.* ſed, ſi quid narrare occoepi, continuo dari
Tibi verba cenſes. *S.* falſo [2]. *D.* itaque hercle nihil iam mutire audeo.
S. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. *D.* intellexti [3].
Sed nihilo ſeciu' mox deferent puerum huc ante oſtium.
Id ego nunc tibi renuntio [4], here, futurum, ut ſis ſciens:
Ne tu hoc mihi poſterius dicas, Davi factum conſilio, aut dolis.
Prorſus a me opinionem hanc tuam eſſe ego amotam volo.

1 Favet ſibi ſenex in eo, quod ſe vult perſpicaciorem videri.

2 Ironice pronuntiandum.

3 h. e. rem tenes.

4 Fingit ſe prodere, quod ipſe facturus eſt: ut non credat ſenex ab eo fieri, quod praedixerit fore.

S. Unde id ſcis? *D.* audivi, et credo. multa concurrunt ſimul,
Qui conjecturam hanc nunc facio. iam primum haec ſe e Pamphilo
Gravidam dixit eſſe. inventum eſt falſum [1]. nunc, poſtquam videt
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla illico
Obſtetricem arceſſitum ad eam, et puerum ut afferret ſimul.
Hoc niſi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiae.
S. Quid ais [2]? cum intellexeras
Id conſilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
D. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam miſere hanc amarit. nunc ſibi uxorem expetit.
Poſtremo id mihi da negoti. tu tamen [3] idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: et id ſpero adiuturos deos.
S. Imo abi intro: ibi me opperire, et quod parato opus eſt, para.
Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem.

1 Ex opinione Simonis dicit, & eius utitur errore.

2 Quaqua ſe verteret Davus, obvium infeſtumque invenit ſenem: & tamen ita verſute it obviam, ut etiam comprehenſus elabatur.

3 Mſ. Bodl. non agnoſcit το *idem*, neque ed. 1469.

Atque haud ſcio, an, quae dixit, ſint vera omnia [1].
Sed parvipendo. Illud mihi multo maxumum eſt,
Quod mihi pollicitu' eſt ipſus gnatus. nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem [2]: id ſi impetro,
Quid alias [3] malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitu' eſt, haud dubium eſt mihi,
Si nolit, quin eum merito poſſim cogere.
Atque adeo in ipſo tempore eccum ipſum [4] obviam.

ACTUS III. SCENA III.

SIMO, CHREMES.

S. IUbeo Chremetem [5]. *C.* oh! te ipſum quaerebam. *S.* et ego te. *C.* optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viſo, tune, an illi inſaniant.
S. Auſculta paucis: et quid ego te velim, et tu quod quaeris, ſcies.
C. Auſculto: loquere, quid velis.
S. Per ego te deos oro, et noſtram amicitiam, Chreme,
Quae incepta a parvis, cum aetate accrevit ſimul:

1 h. e. fortaſſis omnia ſunt vera.
2 Subint. ut det. cf. Sc. IV, 13.
3 h. e. cur alio tempore.
4 int. Chremetem.
5 int. ſalvere.

Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cuius tibi poteſtas ſumma ſervandi datur;
Ut me adiuves in hac re: atque ita, ut nuptiae
Fuerant futurae, fiant. *C.* ah, ne me obſecra [1]:
Quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim, quum dabam?
Si in rem eſt utrique, ut fiant, arceſſi iube.
Sed ſi ex ea re plus mali eſt, quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut conſulas:
Quaſi illa tua ſit, Pamphilique ego ſim pater.
S. Imo ita volo, itaque poſtulo, ut fiat, Chreme:
Neque poſtulem abs te, niſi ipſa res moneat. *C.* quid eſt?
S. [2] Irae ſunt inter Glycerium et gnatum. *C.* [3] audio.
S. Ita magnae, ut ſperem poſſe avelli. *C.* fabulae.
S. Profecto ſic eſt. *C.* ſic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae, amoris [4] integratio eſt.
S. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque eius lubido occluſa eſt contumeliis.
Priusquam harum ſcelera, et lacrumae confictae dolis,

1 Placabilis & lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad ultimum intereſſe poſſit.

2 Hoc laeto vultu pronuntiat Simo, ut contrarium ei, quod Chremes ipſe dixerat, Pamph. pro uxore habere hanc peregrinam.

3 Cum riſu reſpondet.

4 Al. codd. *reintegratio*; al. *redintegratio*.

Reducant animum aegrotum ad miſericordiam,
Uxorem demus. ſpero conſuetudine, et
Coniugio liberali devinctum, Chreme,
Dehinc facile ex illis ſeſe emerſurum malis.
C. Tibi ita hoc videtur: at ego non poſſe arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui ſcis ergo iſthuc, niſi periculum feceris?
C. At iſthuc periculum in filia fieri, grave eſt.
S. Nempe incommoditas [1] denique huc omnis redit;
Si eveniat, quod di prohibeant, diſceſſio.
At ſi corrigitur, quot commoditates [2], vide:
Principio amico filium reſtitueris:
Tibi generum firmum, et filiae invenies virum.
C. Quid iſtic [3]? ſi ita iſtuc animum induxti eſſe utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te ſemper maxumi feci, Chreme.
C. Sed quid ais? *S.* quid? *C.* qui ſcis eos nunc diſcordare inter ſe?
S. Ipſu' mihi Davus, qui intimu' eſt eorum conſiliis, dixit:

1 h. e. malum ſ. moleſtia. Molli verbo extenuat rem atrociſſimam. ſic & divortium ipſum *diſceſſio* lenius dicitur Simoni.

2 h. e. bona ſ. emolumenta. MSS. quidam addunt *inde.*

3 Formula concedentis poſt aliquam reluctationem. Sic Eunuch. 1, 2, 91, Heaut. 5, 5, 9. Adelph. 1, 2, 53.

Et is mihi ſuadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num cenſes faceret, filium niſi ſciret eadem haec velle?
Tute adeo iam eius audies verba. heus, evocate huc Davum.
Atque eccum, video ipſum foras exire.

ACTUS III. SCENA IV.

DAVUS, SIMO, CHREMES.

D. AD te ibam. *S.* quidnam eſt?
D. Cur non arceſſitur? iam adveſperaſcit [1]. *S.* audin' tu illum?
Ego dudum non nihil veritus ſum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod volgus ſervorum ſolet, dolis ut me deluderes.
Propterea quod amat filius. *D.* egon' iſtuc facerem? *S.* credidi:
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. *D.* quid? *S.* ſcies:
Nam propemodum habeo tibi iam fidem. *D.* tandem agnoſti, qui ſiem.
S. Non fuerant nuptiae futurae. *D.* quid? non? *S.* ſed ea gratia

1 Id vult, tempus nuptiarum iam inſtare. Quod quia erat veſpertinum, hinc toties de facibus mentio.

Sum. ſervon' fortunas meas me commiſiſſe futuli ?
Ergo pretium ob ſtultitiam fero : ſed inultum nunquam id auferet.
D. Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, ſi devito hoc malum.
P. Nam quid ego nunc dicam patri ? negabon' velle me, modo
Qui ſum pollicitus ducere ? qua fiducia id facere audeam ?
Nec quid [1] me nunc faciam, ſcio. *D*. nec [2] quid de me, atque id ago ſedulo.
Dicam, aliquid iam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. *P*. ohe.
D. Viſus ſum. *P*. ehodum, bone vir [3], quid ais ? viden' me tuis conſiliis
Miſerum impeditum eſſe ? *D*. at iam expediam. *P*. expedies ? *D*. certe, Pamphile.
P. Nempe, ut modo. *D*. imo melius ſpero. *P*. oh, tibi ego ut credam, furcifer ?
Tu rem impeditam et perditam reſtituas ? hem, quo [4] fretu' ſum ?
Qui me hodie ex tranquilliſſima re coniecisti in nuptias.

1 MS. Mark. & ed. Ven. 1490. *de me*. Sed & alibi *1. me* abſolute ponitur. cf. infra IV, 2, 26. Adelph. IV, 4, 2. & Plaut. Aul. IV, 10, 46.

2 Variant edd. Al. *nec quidem me*; al. *nec me quidem*.

3 ironia comminantis.

4 MSS. quidam & edd. *fretus ſiem*.

An non dixi hoc eſſe futurum? *D.* dixti. *P.* quid meritus? *D.* crucem.
Sed ſine paululum ad me redeam: iam aliquid diſpiciam. *P.* hei mihi,
[1] Cum non habeo ſpatium, ut de te ſumam ſupplicium, ut volo:
Namque hocce tempus, praecavere mihi me, haud te ulciſci, ſinit [2].

ACTUS IV. SCENA I.

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS.

C. HOccine eſt credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innatà cuiquam ut ſiet,
Ut malis [3] gaudeant [4] alienis, atque ex incommodis
Alterius ſua ut comparent commoda? ah,
Idne eſt verum [5]? imo id eſt genus hominum peſſumum,

1 Al. MSS. & edd. *cur.*

2 Tranſiiciuntur h. l. disiuncta, quod fit, ubi *το ſed* omittitur. *Sino* autem eſt *non veto*, & *haud ſino* eſt *veto.* Ita h. l. alterum iubet, alterum vetat tempus. Sic Phaedr. IV, 17, 31. *Non veto dimitti, verum cruciari fame.*

3 MSS. quidam *gaudeat*, & mox *comparet.* Ita & cum vett. nonnullae editiones Iuntinae.

4 Al. omittunt *alienis.*

5 Rei atrocitate percitus ſuſpirans quaſi dubitare ſecum videtur, fierine poſſit, ut homines ſint eiuſmodi, qualem ipſe Pamphilum expertus erat.

In denegando modo queis pudor paululum [1] adeſt:
Poſt ubi iam tempus eſt promiſſa perfici,
Tum coacti neceſſario [2] ſe aperiunt, et timent.
Et tamen res [3] cogit denegare. ibi
Tum eorum impudentiſſima oratio eſt:
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus,
Proxumus ſum egomet mihi. attamen, ubi fides?
Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus eſt [4],
Non verentur: illic, ubi nihil opus eſt [5], ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo iniuriam hanc expoſtulem?
Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nihil promoveris.
Multum moleſtus certe ei fuero, atque animo [6] morem geſſero.
P. Charine, et me et te imprudens, niſi quid dii reſpiciunt, perdidi.
C. Itane imprudens? tandem inventa eſt cauſa: ſolviſti fidem [7].
P. Qui tandem? *C.* etiam nunc me ducere [8] iſtis dictis poſtulas?

1 h. e. adeſt aliquis pudor, ne denegent; promiſſa non praeſtantibus abeſt pudor. cf. Plaut. Epid. II, 1, 1. Trinum. II, 4, 102.

2 Alias, coacti neceſſitate.

3 Variant MSS. & edd. Al. *cogit eos* (ed. 1503). MS. Mark. *res permit den.*

4 Ubi promiſſis ſtare debuerunt.

5 Ubi promittere aut denegare poterant.

6 Sc. irato.

7 Ironice.

8 h. e. deludere. MSS. qui-

P. Quid iſthuc eſt? *C.* poſtquam me amare dixi, complacita eſt tibi.
Heu me miſerum, cum tuum animum ex animo ſpectavi meo.
P. Falſu' es [1]. *C.* non tibi ſatis eſſe hoc viſum ſolidum eſt gaudium,
Niſi me lactaſſes amantem, et falſa ſpe produceres?
Habeas [2]. *P.* habeam? ah neſcis quantis in malis verſer miſer,
Quantaſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſollicitudines
Meus carnufex. *C.* quid iſthuc tam mirum, ſi de te exemplum capit [3]?
P. Haud iſthuc dicas, ſi cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio [4], cum patre altercaſti dudum, et is nunc propterea tibi
Succenſet, nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
P. Imo etiam, quo [5] tu minus ſcis aerumnas meas,

dam & edd. vett. etiam anni 1469. *ſeducere*; al. *ſubducere*. male.

1 h. l. falleris.

2 Irate loquitur.

3 h. e. ſi tuo exemplo uſus contra te, itidem fallit te, ut alii a te falluntur.

4 Ironia, uti & mox.

5 Eſt *quo* caſus ſextus, quaſi *ob id*, quod haec ſcire te putas, minus ſcis, ſ. tantum abeſt, ut id ſcias, ut potius neſcias rem. Similem conſtr. vide ap. Cic. pro L. Manil. 19. *Quo mihi etiam indignius videtur* &c.

Hae nuptiae non apparabantur mihi,
Nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare.
C. Scio: tu coactus tua voluntate es. *P.* mane,
Nondum ſcis. *C.* ſcio equidem [1] illam ducturum
eſſe te.
P. Cur me enecas? hoc audi. nunquam deſtitit [2]
Inſtare, ut dicerem eſſe ducturum patri:
Suadere, orare, uſque adeo donec perpulit.
C. Quis homo iſthuc? *P.* Davos. *C.* Davos? *P.* [3]
interturbat omnia.
C. Quamobrem? *P.* neſcio, niſi mihi deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.
C. Factum hoc eſt, Dave [4]? *D.* factum. *C.* hem
quid ais, ſcelus?
At tibi dii dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, ſi omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent, quod, niſi hoc, conſilium darent?
D. Deceptus ſum, at non defatigatus [5]. *C.* ſcio [6].
D. Hac non ſucceſſit, alia [7] aggrediemur via:

1 Hoc ſerio dicit.

2 Pamphilus l. taedioſe demonſtrat digito Davum, non advertente Charino; l. perturbatus nomen omittit.

3 Reiiciunt quidem Heinſ. & Bentl. ſed Donat. tamen approbat verbum *interturbat.* Vulg. *Davus omnia.*

4 Percuſſus rogat Charinus.

5 Mox ipſe Dav. explicat: *alia aggrediemur via.* Cic. de Orat. III. *Profecto nunquam defatigabor, nunquam conquieſcam;* & Brutus in ep. 16. *ne defatigere, neu diffidas in praeſentibus malis prohibendis.*

6 Deridet Davum nova promittentem.

7 MSS. quidam & edd. vett. *aggrediamur.*

Niſi id putas, quia primo proceſſit parum,
Non poſſe iam ad ſalutem converti hoc malum.
P. Imo etiam: nam ſati' credo, ſi advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſervitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies
Capitis periculum adire, dum proſim tibi.
Tuum 'ſt, ſi quid praeter ſpem evenit, mihi ignoſcere.
Parum ſuccedit quod ago, at facio ſedulo.
Vel melius [1] tute reperi, me miſſum face.
P. Cupio. [2] reſtitue in quem me accepiſti locum.
D. Faciam. *P*. at iam [3] hoc opus eſt. *D*. hem, [4] ſt, mane: concrepuit a Glycerio oſtium [5].
P. Nihil ad te. *D*. quaero. *P*. hem, nunccine demum? *D*. at iam hoc tibi inventum dabo.

1 MSS. Bodl. ed. Ven. 1490 & Iunt. 1505. *tute aliud.* Edd. Argent. 1496. Ald. Steph. & Io. Fabrini *tu aliud.* ut & notante Faerno in quibusdam libb. legitur. Pendet autem hic verſus a v. 55.

2 Citat Faern. ex libb. ant. *reſtitue, quem*, omiſſo *in.* Et ita eſt in MS. Bodl. Sed Leid. 1. ed. Iunt. 1505 & 1565 *quo me &c.*

3 *Io iam* cum emphaſi pronuntiandum.

4 Guyet. *ſt* delet, utpote non ab auctore; ſed ab actoribus profectum. Al. edd. 1469 & 1496 habent pro eo *Sed.* *Sed* ſaepe in MSS. ſcribitur *ſet*; inde forſan *ſt.*

5 Athenis fores in publicum aperiebantur. Et ſic monendi erant forte praetereuntes, ne fores iis impingerent.

ACTUS IV. SCENA II.

MYSIS, PAMPHILUS, CHARINUS, DAVUS.

M. [1] IAm, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
P. Myſis. *M.* quid eſt? hem Pamphile, optume mihi te offers. *P.* quid eſt?
M. Orare iuſſit, ſi ſe ames, hera, iam ut ad ſeſe venias:
Videre ait te cupere. *P.* vah! perii: hoc malum integraſcit.
Siccine me, atque illam opera tua nunc miſeros ſollicitarier?
Nam idcirco arceſſor, nuptias quod mi apparari ſenſit.
C. Quibu' [2] quidem quam facile poterat quieſci, ſi hic quieſſet.
D. Age, ſi hic non inſanit ſatis ſua ſponte, inſtiga. *M.* atque aedepol,
Ea res eſt, proptereaque nunc miſera in moerore eſt. *P.* Myſis,

1 Al. *iam iam.*

2 int. Pamph. atque Glycer. *Quieſci* contrarium τῳ *ſollicitari.* Al. malunt *quibus* (*nuptiis*). Sed neque a nuptiis quieſcimus, niſi poſt nuptias, neque *nuptias quieſci* ſapienter dictum ſit.

Per omneis tibi adiuro deos: nunquam eam me deſerturum;
Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi; contigit: conveniunt mores; valeant,
Qui inter nos [1] diſcidium volunt: hanc, niſi mors, mihi adimet nemo.
M. Reſipiſco. *P.* non Apollinis magi' verum, atque hoc, reſponſum eſt.
Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quo minus hae fierent nuptiae: volo. ſed ſi id non poterit;
Id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.
Quis videor? *C.* miſer aeque atque ego. *D.* conſilium quaero. *C.* [2] fortis.
P. Scio, quid conere [3]. *D.* hoc ego tibi profecto effectum reddam.
P. Iam hoc opus eſt. *D.* quin iam habeo. *C.* quid eſt? *D.* huic, non tibi, habeo; ne erres.

1 *Diſcidium* eſt diſtractio amantium non volentium. Al. *diſſidium*. Noſtrum fortius eſt. *Diſſidium* magis eſt volentium.

2 Donat. citat *& fortis*, unde Tan. Faber leg. cenſuit *at fortis*, quaſi Char. ſermonem a Davo interruptum ſic finiverit: *at fortis es*. MSS. quidam & edd. vet. *fortis es*. Nos *to fortis* reſponſum credimus Davo, quem laudare velit Charinus.

3 h. e. Cognitum habeo, quales coneris fallacias. Diffidit ei Pamph.

C. Sat habeo. *P.* quid facies? cedo. *D.* dies hic mi ut ſit ſati', vereor,
Ad agendum: ne vacuum eſſe me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento eſtis.
P. Ego hanc [1] viſam. *D.* quid tu? quo hinc te agis [2]? *C.* verum vis dicam? *D.* imo etiam
Narrationis [3] incipit mihi initium. *C.* quid me fiet?
D. Eho tu impudens, non ſatis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *C.* Dave, attamen. *D.* quid ergo?
C. Ut ducam. *D.* ridiculum [4]. *C.* huc face ad me venias, ſi quid poteris.
D. Quid veniam? nihil habeo. *C.* attamen ſi quid. *D.* age, veniam. *C.* ſi quid,
Domi ero. *D.* tu Myſis, dum exeo [5], parumper opperire hic.
M. Quapropter? *D.* ita facto eſt opus. *M.* matura. *D.* iam, inquam, hic adero.

1 int. Glycerium.

2 Per interrogationem admonet Davus Charinum, ut & ipſe abſcedat.

3 Sc. quo eat; cuius velut prooemium eſt, *verum vis dicam.*

4 int. hominem, l. dictum.

5 Haec in aedes Glycerii intrans dicit.

ACTUS IV. SCENA III.

MYSIS.

NIl ne eſſe proprium [1] cuiquam? Dii voſtram fidem!
Summum bonum eſſe herae putabam hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum, in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc miſera quem capit
[2] Dolorem? facile [3] hic plus mali eſt, quam illic boni.
Sed Davus exit. mi homo, quid iſtuc obſecro eſt [4]?
Quo portas puerum?

ACTUS IV. SCENA IV.

DAVUS, MYSIS.

D. MYſis, nunc opus eſt tua [5]

1 h. e. ſtabile & perpetuum, non interruptum dolore; cf. mox v. 4 & infra V, 5, 5. MS. Bodl. *nihilne cuiquam homini proprium.*

2 Al. *laborem*, quod Weſterh. praefert.

3 *Hic-illic.* notantur tempora, *illic* praet. cum Glyc. frueretur Pamphilo; *hic* praeſens, quo *nunc miſera eſt metu.* Weſterhov. non ſapit, dum h. l. adv. loci putat, & *hic* refert ad Glycerii aedes, *illic* ad Simonis aedes.

4 Scilicet involutum puerum Davus geſtabat; quem poſtquam ille expedivit, interrogat Myſis, *quo portas puerum?*

5 Properantis & impenſe agentis Davi verba.

Mihi ad hanc rem expromta [1] memoria atque aſtutia.
M. Quidnam incepturus? *D.* accipe a me hunc ocius
Atque ante noſtram ianuam appone. *M.* obſecro,
Humine? *D.* ex ara [2] hinc [3] verbenas tibi,
Atque eas ſubſterne. *M.* quamobrem id tute non facis?
D. Quia, ſi forte opus ſit ad herum [4] iusiurandum mihi
Non appoſuiſſe, ut liquido poſſim. *M.* intellego.
[5] Nova nunc religio in te iſthaec inceſſit, cedo?
D. Move ocius te, ut, quid agam, porro intellegas.
Pro Iuppiter! *M.* quid? *D.* ſponſae pater intervenit.
Repudio conſilium, quod primum intenderam.
M. Neſcio quid narres. *D.* ego quoque hinc ab dextera
Venire me aſſimulabo. tu, ut ſubſervias
Orationi [6], utcunque opu' ſit verbis, vide.
M. Ego, quid agas, nihil intellego: ſed, ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quod voſtrum remorer commodum.

1 Al. *Malitia*, pro quo poſt Faernum Tan. Faber pugnat, ſed fruſtra.

2 Quae erat in veſtibulo ex more Graec. & Rom.

3 int. ſume. feſtinantius ſc. loquitur.

4 Quidam MSS. & edd. vett. *iurandum*, & ſic legit Donat. cf. Plaut. Ciſt. II, 1, 26. ubi al. *iurando*, al. *iureiurando*.

5 MSS. quidam & ed. vett. *unde nova* &c.

6 h. e. orationi meae tuam accommodes reſponſionem.

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES, MYSIS, DAVUS.

C. REvertor, poſtquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut iubeam arceſſi. ſed quid hoc [1]?
Puer hercle eſt. mulier, tun' appoſuiſti hunc? *M.* ubi
Illic [2] eſt? *C.* non mihi reſpondes? *M.* nuſquam eſt. vae miſerae mihi,
Reliquit me homo, atque abiit. *D.* di voſtram fidem!
Quid turbae eſt apud forum? [3] quid illic hominum litigant?
Tum annona cara eſt. quid dicam aliud, neſcio [4].
M. Cur tu obſecro hic me ſolam? *D.* hem, quae haec eſt fabula [5]?
Eho Myſis [6], puer hic unde eſt? quiſve huc attulit?
M. Satin' ſanus es, qui me id rogites? *D.* quem ego igitur rogem,

1 Interrogatio mirantis. Et apparet, eum non oculis prius, quam corporis offenſu, puerum animadvertiſſe.

2 h. l. *ille hic*. Davum quaerit, qui nunc abſceſſit, ut & ipſe de foro venire videatur.

3 MSS. quidam & edd. vett. *quot*.

4 Haec ad ſpectatores converſus.

5 h. e. quid hoc eſt miri? Similiter in re mira Eun. IV, 4, 22. *hem! quae haec eſt fabula*. Vulgi ſc. fabulae plerumque ſunt mirae & monſtroſae.

6 Repente cernentem ſe ſimulat.

Qui hic neminem alium video [1]? *C.* miror, unde ſit.
D. Dicturan' quod rogo? *M.* au [2]. *D.* concede ad dexteram [3].
M. Deliras, non tute ipſe [4]? *D.* verbum ſi mihi
Unum [5], praeterquam quod te rogo, faxis cave [6].
M. Male dicis [7]. *D.* unde [8] eſt? dic clare [9]. *M.* a nobis [10]. *D.* ha ha he.
Mirum vero, impudenter mulier ſi facit meretrix [11].
C. Ab Andria eſt ancilla haec, quantum intellego.
D. Adeon' videmur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis? *C.* veni in tempore.
D. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua.
Mane [12]: cave quoquam ex iſthoc exceſſis loco.

1 Callide affirmat, ſibi non viſum Chremem.

2 Exclamatio h. l. conſternatae.

3 Sc. ſiniſtra venit Chr. cui non vult proximam Myſin, ſed ſibi.

4 Submiſſa voce; & ſubaudi: eum mihi dediſti.

5 Hoc & ſenſim, & ut ſenex ſentiat, pronuntiandum & int. reſponderis.

6 His reddit comminationem geſtu & vultu.

7 h. l. comminaris. Minis ſc. aeque & conviciis laedimur.

8 h. l. a cuius domo. Primum enim reſcire voluit Chremetem, eſſe a Glycerio. Sic & ſupra v. 11.

9 Hoc ſubmiſſe pronuntiat.

10 Quod cum Faerno & aliis probamus. Al. MSS. & edd. vett. quos ſequitur Weſterh. legunt *vobis*. falſo. Necdum enim id rogare voluit. Mox vero *cuium—Pamphili*.

11 int. apponendo ſuum puerum ante ianuam alienae domus.

12 Et hoc ſubmiſſa voce.

M. Dii te eradicent. ita me miſeram territas.
D. Tibi ego dico, an non? *M.* quid vis? *D.* at etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic appoſuiſti, dic mihi.
M. Tu neſcis? *D.* mitte id, quod ſcio [1]: dic, quod rogo.
M. [2] Veſtri. *D.* cuius veſtri? *M.* Pamphili. *D.* hem, quid, Pamphili [3]?
M. Eho, annon eſt? *C.* recte ego ſemper fugi has nuptias.
M. O facinus animadvertendum! *M.* quid clamitas?
D. Quem ne ego heri vidi ad vos adferri veſperi [4]?
M. O hominem audacem! *D.* verum, vidi Cantharam
Suffarcinatam [5]. *M.* Diis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae [6].
D. Nae illa illum haud novit, cuius cauſa haec incipit.
Chremes, ſi poſitum puerum ante aedes viderit,

1 Lentius & ſubmiſſe.

2 Al. *noſtri;* aeque male, ut antea *vobis.*

3 Argute repetit, quaſi per indignationem, nomen Pamphili, quod lentius pronuntiaverat Myſis. Metuit enim, ne non audiverit ſenex.

4 Commento hoc ſe ipſe incredulum ſimulans, irritare ſtudet mulierem ad confirmanda, quae vult audire Chremetem.

5 Infirmo utitur argumento, ſ. palam mentitur Davus, ut non tam fidem Myſidi demat, quam addat apud Chremetem.

6 Servis enim non erat teſtimonii dictio, ut ait Geta in Phorm. II, 1, 63.

Suam gnatam non dabit [1]. tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. *D.* nunc adeo, ut tu ſis ſciens,
Niſi puerum tollis, iam ego hunc mediam in viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
M. Tu pol homo non es ſobrius. *D.* fallacia
Alia aliam trudit. iam ſuſurrari audio,
Civem Atticam eſſe hanc. *C.* hem! *D.* coactus legibus [2]
Eam uxorem ducet. *M.* au, obſecro an non civis eſt?
C. Iocularium in malum inſciens paene incidi.
D. Quis hic loquitur? o Chreme [3], per tempus advenis:
Auſculta. *C.* audivi iam omnia. *D.* anne tu omnia?
C. Audivi, inquam, a principio. *D.* audiſtin' obſecro [4]? hem
Scelera: hanc iam oportet in cruciatum [5] hinc abripi.
Hic ille eſt [6]: non te credas Davum ludere.

1 Per μιμησιν cogitata Glycerii narrat Davus.

2 Ex lege, virgo civis, ubi vitiata eſſet, poterat l. petere in nuptias, l. in mortis poenam coniicere hominem, qui vitium intulerat.

3 Aſtute, quaſi eum nunc primum viderit.

4 Repetit fortius, quaſi illis hoc iratior, quod confiсta audiverit Chremes, & ut, diſſimulando ſe vidiſſe praeſentem, ipſe ante in Myſidem invectus credatur id ſerio feciſſe, atque ſic omnem ſuſpicionem doli mali effugiat.

5 h. e. torquendam (ſerva enim erat), ut verum exſculpatur de Pamphili innocentia & ſimulato partu.

6 Digitum intendit in Chre-

M. Me miſeram : nihil pol falſi dixi, mi ſenex.
C. Novi omnem rem, ſed eſt Simo intus? *D.* [1] intus eſt.
M. Ne me attingas ſceleſte [2]. ſi pol Glycerio non omnia haec [3].
D. Eho inepta, neſcis quid ſit actum. *M.* qui ſciam?
D. Hic ſocer eſt. alio pacto haud poterat fieri,
Ut ſciret haec, quae volumus. *M.* hem, praediceres.
D. Paulum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de induſtria?

ACTUS IV. SCENA VI.

CRITO, MYSIS, DAVUS.

C. IN hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem,
Quae ſeſe inhoneſte optavit [4] parere hic divitias
Potius, quam in patria honeſte [5] pauper vivere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter, video. ſalvete. *M.* obſecro,
Quem video? eſtne hic Crito, ſobrinus Chryſidis?

mem, dicitque εμφατικως, quaſi ille potens ſ. metuendus: & eſt alias ſollemne adulatoribus, ſervis in Dominos.

1 Al. omittunt h. l. *intus.*

2 Davo dicit, qui, nunc ſolus cum ſola, ſubblandiri ei, & palpo percutere voluit, quam ante terruerat.

3 int. narratura ſum.

4 MSS. quidam & edd. *parare.* Sed & noſtrum eandem vim habet.

5 Ita Donat. Prob. Serv. Priſc. In quibuſd. Codd. & edd. eſt *paupera*, quod Plautinum eſt.

Is eſt. *C.* o Myſis ſalve. *M.* ſalvos ſis Crito.
C. Itan' Chryſis [1] ? hem. *M.* nos quidem pol miſeras perdidit.
C. Quid vos? quo pacto hic? ſati' ne recte [2] ? *M.* nosne? ſic [3].
Ut quimus, aiunt; quando, ut volumus, non licet.
C. Quid Glycerium? iam hic ſuos parentes repperit?
M. Utinam! *C.* an nondum etiam? haud auſpicato huc me attuli:
Nam pol, ſi id ſciſſem, nunquam huc tetuliſſem [4] pedem:
Semper enim dicta eſt eius haec atque habita eſt ſoror:
Quae illius fuerunt, poſſidet. nunc me hoſpitem
Lites ſequi, quam hic mihi ſit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. ſimul arbitror,
Iam eſſe aliquem amicum, et defenſorem ei: nam fere
Grandiuſcula iam profecta eſt illinc: clamitent

1 Subint. periit, & eſt commiſerantis, non interrogantis; ac plus gemendo ſignificantis, quam loquendo.

2 int. agitis.

3 h. e. mediocriter. cf. Phorm. I, 2, 95. & ineſt h. l. ſignificatio languoris, quem bonis dat miſeria.

4 Quod Donat. & h. l. & infra V, 1, 13. a charactere Comico alienum Criticis viſum obſcure dicit. *Tetuli* idem & ap. Plautum ſaepe legitur, ut ab antiquo *tulo*, (tollo) factum. Sed h. l. alii legunt *retuliſſem*, quod non diſplicet. Neque enim ſemper huic verbo ineſt vis τὸ *retro*.

Me ſycophantam hereditatem perſequi,
Mendicum. tum, ipſam deſpoliare non libet.
M. O optume hoſpes, pol, Crito antiquum [1] obtines.
C. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam.
M. maxume.
D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc [2] videat
ſenex [3].

ACTUS V. SCENA I.

CHREMES, SIMO.

C. Sati' iam, ſati', Simo, ſpectata erga te amicitia
eſt mea:
Sati' pericli coepi adire: orandi iam finem face.
Dum ſtudeo obſequi tibi, pene illuſi vitam filiae.
S. Immo enim quam maxume abs te poſtulo atque
oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re
comprobes.
C. Vide quam iniquus ſis prae ſtudio. dum id effi-
cias quod cupis,
Neque modum benignitatis [4], neque quid me ores,
cogitas:
Nam ſi cogites, remittas iam me onerare iniuriis.

1 Subaudi morem l. ingenium.

2 h. l. in his turbis, quae *mihi* male eveniant.

3 int. Simo.

4 Quem & ego retinere debeam, ne benignitate perdam me & filiam.

S. Quibus? *C.* ah rogitas? perpuliſti me, ut homini adoleſcentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in ſeditionem, atque incertas nuptias;
Eius labore atque eius dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetraſti: incepi, dum res tetulit [1]. nunc non ſert: ſeras.
Illam hinc civem eſſe aiunt: puer eſt natus: nos miſſos face.
S. Per ego te deos oro, ut ne illis [2] animum inducas credere,
Quibus id maxume utile eſt, illum eſſe quam deterrimum.
Nuptiarum gratia haec ſunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea cauſa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, deſinent.
C. Erras. cum Davo egomet vidi iurgantem ancillam. *S.* ſcio. *C.* at
Vero voltu; cum, ibi me adeſſe, neuter dum praeſenſerat.
S. Credo; et id facturas, Davus dudum praedixit mihi:
Et neſcio quid tibi ſum oblitus hodie ac volui dicere.

1 Tua mihi & mea tibi retulit. mox *ſert* : *ſeras*. Luſus ſit in varia ſignificatione.

2 int. meretricibus, ſervis, ancillis.

ACTUS V. SCENA II.

DAVUS, CHREMES, SIMO, DROMO.

Da. [1]. ANimo nunc iam otioſo eſſe impero [2].
C. hem Davom tibi.
S. Unde egreditur [3]? *Da.* meo praeſidio, atque
hoſpitis [4]. *S.* quid illud mali eſt?
Da. Ego commodiorem hominem, [5] adventum ad
tempus non vidi. *S.* ſcelus,
Quemnam hic laudat? *Da.* omnis res eſt iam in
vado. *S.* ceſſo alloqui?
Da. Herus eſt: quid agam? *S.* o ſalve bone vir.
Da. hem Simo, o noſter Chremes,
Omnia apparata iam ſunt intus. *C.* curaſti probe.
Da. Ubi voles, arceſſe. *S.* bene ſane. [6] id enimvero hinc nunc abeſt.

1 Haec domo egrediens.

2 *Imp.* pro volo, ſuperbe dictum, veluti ducis victoris.

3 Non interrogat: ſed cum admiratione, l. potius cum indignatione dicit.

4 int. Critonis.

5 Al. MSS. & edd. *adventum, tempus*, omiſſo *ad*. Al. teſte Iſ. Voſſio *ac temp*. Poeta innuit commoditatem *hominis* (quia eſt humanus), *facti*, quia adventus faciat ad conditionem Glycerii liberam cognoſcendam. Commoda l. apta erant tempori ſ. ad tempus, quo periculum erat Glycerio, Pamph. Davo cett. ex nuptiis cum Phil. quas urgebat Simo.

6 Al. MSS. & edd. *is*, ut referatur ad Pamphilum; male.

Etiam tu hoc [1] reſpondes, quid iſthic tibi negoti eſt? *Da.* mihin' [2]. *S.* ita.
Da. Mihine? *S.* tibi ergo [3]. *Da.* modo introii [4]. *S.* quaſi ego, quam dudum rogem.
Da. Cum tuo gnato una. *S.* anne eſt intus Pamphilus? crucior miſer [5].
Eho, non tu dixti eſſe inter eos inimicitias, carnufex?
Da. Sunt. *S.* cur igitur hic eſt? *C.* quid illum cenſes? cum illa litigat [6].
Da. Immo vero indignum, Chreme, iam facinus faxo ex me audias [7].
Neſcio qui ſenex modo venit: ellum, confidens, catus:

1 i. e. ad hoc. Eunuch. IV, 7, 22. MS. Mark. *reſponde.*

2 Iam turbatur Dav. ut omnes omittat fallacias, & oppreſſus prodat Pamphilum, dum malum cominus perhorreſcit. Vult enim iam poeta, cataſtrophen fieri.

3 Vehementius pronuntiat.

4 Aliud reſpondet Davus, ſui anxius, quam rogaverat Simo.

5 Me infelicem. Aeque dolet, ac iratus eſt.

6 Irridet Chremes, cui paene illuſum fuiſſet, Simonem, qui ſupra dixerat: *Irae ſunt inter Glyc. & gnatum.*

7 Ita loquitur, quaſi haec ſit cauſa, cur Pamph. ingreſſus: quod quaſi ei lis intendatur a Critone, hoſpite ducendae uxoris, quam civem Atticam vitiaverit. Et bene convertit orationem ad eum, qui a nuptiis erat deterrendus, & quem ſibi Davus precatorem deſtinat.

Cum faciem videas, videtur eſſe quantivis preti:
Triſtis ſeveritas [1] ineſt in voltu, atque in verbis fides [2].
S. Quidnam adportas [3]? *Da.* nil equidem, niſi quod illum audivi dicere.
S. Quid ait tandem [4]? *D.* Glycerium ſe ſcire civem eſſe Atticam.
S. Hem Dromo, Dromo [5]. *Da.* quid eſt? *S.* Dromo. *Da.* audi. *S.* verbum ſi addideris. Dromo.
Da. Audi, obſecro. *Dr.* quid vis? *S.* ſublimem [6] hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem [7]? *S.* Davom. *Da.* quamobrem? *S.* quia lubet [8]. rape, inquam [9]. *Da.* quid feci? *S.* rape.
Da. Si quidquam mentitum invenies, occidito. *S.* nihil audio.

1 In laude hic ponitur, & eſt in vultu, animi ſeveri indice. Tac. hiſt. 1, 14. *Aeſtimatione recta* ſeverus, *deterius interpretantibus* triſtior *habebatur.*

2 Auctoritas, quae eſt ex nuda veritate & integritate.

3 Simo, quem male habet illa viri commendatio, interrogat Davum, quem ulciſci cupit, quem novi nuntium ab iſto habeat perferendum.

4 Moram faſtidiens & ad ultionem feſtinans rogat vehementius.

5 Plenus irarum non reſpondet; lorarium repetendo ſaepius vocat.

6 h. e. ſublatum.

7 Ridicule ita interrogat ſtupidus, qui praeter Chr. & Dav. neminem videret aſtare Simoni. Neque enim Simo, ira commotus, Davum indigitarat.

8 Hoc Davo reponit.

9 Hoc Dromoni.

Ego iam te commotum [1] reddam. *Da.* tamen [2]; etſi hoc verum eſt. *S.* tamen.
Cura adſervandum vinctum : atque audin'? quadrupedem conſtringito.
Age, nunc iam ego pol hodie, ſi vivo, tibi
Oſtendam, herum quid ſit pericli ſallere, et
Illi patrem [3]. *C.* ah ne ſaevi tantopere. *S.* o Chreme,
Pietatem gnati [4]! nonne te miſeret mei :
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age Pamphile : exi Pamphile : ecquid te pudet?

ACTUS V. SCENA III.

PAMPHILUS, SIMO, CHREMES.

P. QUis me volt? perii! pater eſt. *S.* quid ais; omnium? *C.* ah.
Rem potius ipſam dic, ac mitte male loqui.
S. Quaſi quidquam in hunc iam gravius dici poſſiet:
Ain' tandem, civis Glycerium eſt? *P.* ita praedicant.
S. Ita praedicant? ingentem confidentiam!
Num cogitat [5], quid dicat? num facti piget?

1 cf. ſupra V, 1. ubi Davus dixerat: *animo nunc iam otioſo* &c. iam nunc praeceps in piſtrinum dandus, ibique agitandus.

2 int. ſiccine mecum ages, *etſi* &c.

3 Haec dicens, vehementiſſimus Simo adcurrit ad aedes Glycerii, evocaturus Pamphilum; & mox ingeminat, clamans de via.

4 Prae dolore loquitur per ellipſin. Subint. vide, & eſt *ἀντιφρασις* pro impietate.

5 Avertit orationem a ſe-

[1] Num eius color pudoris ſignum uſquam indicat?
Adeon' impotenti eſſe animo, ut praeter civium
Morem atque legem, et ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro?
P. Me miſerum! *S.* modone id demum ſenſti, Pamphile?
Olim iſthuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto [2] efficiundum tibi,
Eodem die iſthuc verbum vere in te accidit.
Sed quid [3] ago? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam ſenectutem huius ſollicito amentia? an
Pro huius ego ut peccatis ſupplicium ſufferam?
Immo habeat [4], valeat, vivat cum illa [5]. *P.* mi pater [6].
S. Quid, mi pater? quaſi tu huius indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi, invito patre:
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris [7].
P. Pater, licetne pauca [8]? *S.* quid dices mihi?

cunda ad tertiam perſonam, ut ſolent iraſcentes.

1 Faern. *vide*, *num* &c. & ſic eſt in MS. Bodl. videturque cum geſtu pronuntiatum.

2 h. e. quoquo modo.

3 Al. *ego*.

4 Subaudi illam.

5 Loquitur ſic iratiſſime, quaſi abdicans filium.

6 Appellat patrem ſic filius perculſus, ut iram ad miſericordiam convertat.

7 Fut. exact. & videtur eſſe: tua cauſa victrix eſto (ob adductos teſtes) meam vinci tandem patior, quod tuum ſit infortunium. Concludit ſic abdicationem.

8 Titubans & balbutiens oratio pudore & conſcientia.

C. Tamen, Simo, audi. *S.* ego audiam? quid audiam, Chremes? *C.* attamen dicat, ſine. *S.* age, dicat, ſino [1].
P. Ego me amare hanc [2] fateor. ſi id peccare eſt, fateor id quoque [3].
Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone: impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram [4].
Hoc modo te obſecro, ut ne credas a me allegatum hunc ſenem [5].
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *S.* adducas? *P.* ſine pater.
C. Aequum poſtulat: da veniam. *P.* ſine te hoc exorem. *S.* ſino [6].
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paulum ſupplicii ſatis eſt patri.

1 Hoc non tam ex animo permittentis eſt, quam aegre cedentis precibus Chremetis.

2 Bene *hanc*, non *Glycerium*, cuius nomine offendiſſet patrem: nec *peregrinam*, ignominiam ſc. vitans.

3 Mire & ſubdefendit culpam, & aſſentitur irato.

4 Obſequium ſine voluntate oſtendit: & multum valet ſub Chremetis praeſentia haec confeſſio ad recuſandas nuptias.

5 int. Critonem, & bene *ſenem*, ut ex hac appellatione pondus accedat teſtimonio, quod iſte dicturus eſt.

6 Iam Pamphilus domum intrat Glycerii.

ACTUS V. SCENA IV.

CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILUS.

Cr. MItte orare [1]. una harum quaevis cauſa me, ut faciam, monet,
Vel tu, vel quod verum eſt, vel quod ipſi cupio [2] Glycerio.
Ch. [3] Andrium ego Critonem video? et certe is eſt. ſalvos ſis, Crito.
Quid tu Athenas inſolens? *Cr.* evenit. ſed hiccine eſt Simo?
Ch. Hic eſt. *S.* men' quaeris? eho, tu Glycerium hinc civem eſſe ais?
Cr. Tu negas? *S.* itane huc [4] paratus advenis? *Cr.* qua de re? *S.* rogas?
Tune impune haec facias? tune hic homines adoleſcentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?

1 Pamphilo dicit. Is autem fingitur, a patre data venia arceſſendi Critonis, hunc oraſſe, ut quae ad Glyc. agnitionem pertinerent, confidenter ediſſereret apud patrem.

2 int. bene; quod uſitatum eſt.

3 Al. ſic ordinant. Ch. *Andrium ego--certe is eſt.* Cr. *Salvos ſis, Chreme.* Ch. *Quid tu* &c. Male videtur ortum ex integris nominibus colloquentium expreſſis in MSS. Notum autem Chremeti inducit Critonem poeta, properans ad cataſtrophen.

4 int. Athenis, ubi falſa vindicantur.

Sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas [1]? *Cr.* ſanusne es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
P. Perii! metuo, ut ſubſtet hoſpes. *Ch.* ſi, Simo, hunc noris ſatis,
Non ita arbitrere. bonus eſt hic vir. *S.* hic vir ſit bonus [2]?
Itane adtemperate venit hodie in ipſis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? eſt vero huic credendum, Chreme.
P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re [3], illum quod moneam probe.
S. Sycophanta. *Cr.* hem. *Ch.* ſic, Crito, eſt hic [4]: mitte. *Cr.* videat, qui ſiet.
Si mihi pergit, quae volt, dicere [5], ea, quae non volt, audiet.
Ego iſthaec moveo [6], aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?

1 Bene *lactas*, quaſi teneros animos. MS. Bodl. *iactas*. Neque id ſenſu caret, ſi ſit *concutis*, *proiicis*.

2 Cum contemtu rogat, l. potius exclamat ironice.

3 h. e. quod convenire huic rei queat.

4 int. Simo. Critonem, iam iratum conviciis Simonis, lenire aggreditur Chremes.

5 int. male, ſ. convicia.

6 h. e. iſtas nuptias perturbo. cf. ſupra III, 2, 36. Simo autem dixerat, Critonem adtemperare veniſſe in ipſis nuptiis. Hunc ſenſum dicti parum alii adſecuti ſunt. Donatus tamen bene: *Ego haec turbo, aut cogito, quemadmodum tu dicis, Simo?*

Nam, ego quae [1] dico, vera, an falſa audieris, iam ſciri poteſt:
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum eiectus eſt,
Et iſthaec una parva virgo. tum ille egens forte applicat
Primum ad Chryſidis patrem ſe. *S.* fabulam inceptat. *Ch.* ſine.
Cr. Itane vero obturbat? *Ch.* perge. *Cr.* tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo ſeſe eſſe Atticum.
Is ibi mortuus eſt. *Ch.* eius nomen? *Cr.* nomen tam cito tibi?
Phania [2]. *Ch.* hem, perii [3]! *Cr.* verum hercle opinor fuiſſe Phaniam.
Hoc certo ſcio, Rhamnuſium ſe aiebat eſſe. *Ch.* o Iupiter!
Cr. Eadem haec, Chreme, multi alii in Andro tum audivere. *Ch.* utinam id fiet,
Quod ſpero. eho dic mihi, quid eam tum, Crito?
Suamne aiebat eſſe? *Cr.* non. *Ch.* quiam igitur? *Cr.* fratris filiam.

1 Al. *dixi;* mox pro *audieris* Cod. Bemb. *audierim.*

2 Meditabundus & adhuc dubitans dicit.

3 Vox haec ſubito affecti non ubique eandem vim habet. Alias eſt l. deſperantis in ſubito terrore, l. dubitantis &c. h. l. affecti repentino bono, quod vix ſperari potuit. Ita enim mox: *utinam, id ſit, quod ſpero.*

Ch. Certe mea eſt. *Cr.* quid ais? *S.* quid tu ais? *P.* arrige aures Pamphile [1].
S. Qui credis? *Ch.* Phania ille, frater meus fuit. *S.* noram, et ſcio.
Ch. Is hinc bellum fugiens, meque in Aſiam perſequens, proficiſcitur.
Tum illam relinquere hic eſt veritus. poſt illa nunc primum audio,
Quid [2] illo ſit factum. *P.* vix ſum apud me: ita animus commotus eſt, metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Nae iſtam multimodis tuam inveniri gaudeo. *P.* credo, pater.
Ch. At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet. *P.* dignus es
Cum tua religione odio. nodum in ſcirpo quaeris. *Cr.* quid iſtuc eſt?
Ch. Nomen non convenit. *Cr.* fuit hercle huic aliud parvae. *Ch.* quod, Crito?

1 Pamph. ſibi hoc dicit, percuſſus ſubita ſpe. Aliis olim hoc Simo videbatur dicere, quod minus comicum ſit. Guyet. Chremetem dixiſſe vult: *tu quid ais? arr. aures P.* quod non aptum homini iam magis ſuis intento. Weſterh. ad Critonem ita refert: *quid ais' tu? quid ais? arr. a. P.* Sed iſthaec non curare ſe dixerat Crito, ſolum verum dicturus.

2 MSS. quidam & edd. *de illo*, int. fratre; ſed & bene omittitur praepoſ. aliis auctt.

Numquid meminiſti? *Cr.* id quaero. *P.* egone huius memoriam patiar meae
Voluptati obſtare, cum egomet poſſim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quaeris, Paſibula eſt. *Cr.* ipſa eſt [1]. *Ch.* ea eſt [1].
P. Ex ipſa millies audivi. *S.* omneis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. *Ch.* ita me dii ament, credo. *P.* quid reſtat pater [2]?
S. Iam dudum res reduxit me ipſa in gratiam. *P.* o lepidum patrem.
De uxore ita, ut poſſedi, nihil mutat Chremes [3]. *Ch.* cauſa optuma eſt:
Niſi quid pater ait aliud. *P.* nempe [4]. *S.* id ſcilicet [5]. *Ch.* dos, Pamphile, eſt
Decem talenta. *P.* accipio. *Ch.* propero ad filiam. eho mecum, Crito:
Nam illam me credo haud noſſe. *S.* cur non illam huc transferri iubes?
P. Recte admones. Davo ego iſtuc dedam iam negoti. *S.* non poteſt.

1 Simul loquuntur Cr. & Chr.

2 int. niſi ut ne amplius iraſcaris. cf. Hecyr. III, 1, 20.

3 Verba ſunt certi de voluntate Chr. neque bene alii rogantem faciunt, *nihil mutas Chremes?*

4 Confirmat, quaſi de patris voluntate non dubius ſit.

5 Subint. volo, aio. [illegible] *nempe* convenit.

P. [1] Qui? *S.* quia habet aliud magis ex ſeſe [2], et maius. *P.* quidnam? *S.* vinctus eſt.

P. Pater, non recte [3] vinctus eſt. *S.* haud ita iuſſi. *P.* iube ſolvi, obſecro.

S. Age fiat. *P.* at [4] matura. *S.* eo intro. *P.* o fauſtum, et felicem diem.

ACTUS V. SCENA V.

CHARINUS, PAMPHILUS.

C. PRoviſo, quid agat Pamphilus: atque eccum. *P.* aliquis forſan me putet

Non putare hoc verum: at mihi nunc ſic eſſe hoc verum lubet.

Ego deorum vitam propterea ſempiternam eſſe arbitror,

Quod voluptates eorum propriae ſunt. nam mihi immortalitas

1 Al. MSS. & edd. *qui non poteſt?*

2 Iocoſe dicit, Davum, cui negotium dare volebat Pamph. ex ſe habere negotia, h. e. quae ipſum propius tangant.

3 Ambiguitas eſt in τῷ *recte*; quod enim Pamph. improbat, ut *non recte* iuſſum, id ſenex (ex interpretatione Donati) iocans ad rem refert, quaſi eum recte h. e. diligenter vinciri iuſſiſſet (quem quadrupedem conſtringi iuſſerat). Aliis haec ambigui ſubtilitas minus arridet, videturque τὸ *ita* ad *non recte* referri, quaſi diceret, ſe omnino rectum iuſſiſſe. Sed & alii legunt *at ita iuſſi*, & explicant, ut recte vinciretur, h. e. vinctum ſe ſentiat, ut ſeſe commovere non poſſit.

4 Tan. Faber *mature*, ut Eun. II, 1, 2.

Parta eſt, ſi nulla aegritudo huic gaudio interceſſerit.
Sed quem ego mihi potiſſimum optem nunc, cui haec narrem, dari?
C. Quid illuc gaudi eſt? *P.* Davum video. nemo eſt, quem mallem, omnium:
Nam hunc ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum gaudia [1].

ACTUS V. SCENA VI.

DAVUS, PAMPHILUS, CHARINUS.

D. Pamphilus ubinam hic eſt [2]? *P.* Dave. *D.* quis homo 'ſt. *P.* ego ſum. *D.* o Pamphile.
P. Neſcis, quid mihi obtigerit. *D.* certe: ſed, quid mihi obtigerit, ſcio.
P. Et quidem ego. *D.* more hominum evenit, ut quod ſim nactus mali,
Prius reſciſceres tu, quam ego tibi quod evenit boni.
P. Mea Glycerium ſuos parentes reperit. *D.* o factum bene.
C. Hem. *P.* pater amicus ſummus nobis. *D.* quis? *P.* Chremes. *D.* narras probe.
P. Nec mora ulla eſt, quin [3] iam uxorem ducam. *C.* num ille ſomniat

1 h. e. ſolum, qui totus gaudeat.

2 Circumſpectans loquitur.

3 Al. MSS. & edd. *eam*, quod minus placet.

Ea, quae vigilans voluit? *P.* tum de puero, I *D.* ah deſine:

Solus eſt, quem diligunt dii. *C.* ſalvus ſum, ſi vera ſunt.

[1] Conloquar. *P.* quis homo eſt? o Charin tempore ipſo mihi advenis.

C. Bene factum. *P.* audiſtin'? *C.* omnia. age, tuis ſecundis reſpice.

Tuus eſt nunc Chremes: facturum, quae voles eſſe omnia.

P. Memini: atque adeo longum eſt, nos il exſpectare, dum exeat.

Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu, l abi domum,

3 Propera, arceſſe, hinc qui auferant eam: ſtas? quid ceſſas? *D.* eo.

Ne exſpectetis, dum exeant huc: intus de: debitur:

Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtet. plau

1 Quidam MSS. & edd. *Adibo & conl.*

2 Chremetem, qui cum Critone intraverat in aedes Glycerii.

3 Al. *propere*; idque l. iun-gunt prioribus *abi dom.* l. ſq. *arceſſe.*

PUBLII TERENTII
EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. POSTUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA, AEDILIBUS CURULIBUS. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODULAVIT FLACCUS CLAUDII TIBIIS DUABUS, DEXTRA, ET SINISTRA. GRAECA MENANDRU. ACTA II, M. VALERIO, C. FANNIO, COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.

PHAEDRIA adoleſcens.

PARMENO ſervus.

THAIS meretrix.

GNATHO paraſitus.

CHAEREA adoleſcens.

THRASO miles.

PYTHIAS ancilla.

CHREMES ſenex.

ANTIPHO adoleſcens.

DORIAS ancilla.

DORUS eunuchus.

SANGA ſervus.

SOPHRONA nutrix.

LACHES ſenex.

PERSONAE MUTAE.

STRATO militis ſervus.

SIMALIO ſervus.

DONAX ſervus.

SYRISCUS ſervus.

SANNIO ſervus.

PAMPHILA adoleſcentula, omnibus amica.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

Civis quidam Athenienſis filiam, cui Pamphilae, & filium, cui Chremeti nomen erat, habuit. ex iis Pamphilam adhuc infantulam praedones rapuere e Sunio, & mercatori cuidam Rhodio vendidere: qui, Rhodum advectam, meretrici, quam amabat, dono dedit. Haec acceptam puellam pari cura ac ſtudio, cum Thaide filia coepit educere: nemo ut eſſet, qui non utramque ex ipſa genitam eſſe arbitraretur. Thais, quae grandiuſcula erat, cum ad eam aetatem perveniſſet, ut viris placere poſſet; maternam, ut fit, vivendi rationem inſecuta, cum hoſpite quodam Athenas venit, qui eam poſtea moriens heredem reliquit. Interea miles, Thraſo nomine, ad eam adiecit animum: cumque cum ea per aliquod tempus conſueviſſet, in Cariam profectus eſt. Thaidis mater per eos dies vitam morte commutaverat, fraterque ipſius Pamphilam venalem propoſuerat, ſperans eam, quod & formoſa eſſet, & fidibus ſciret, praeclare a ſe venditum iri. Forte accidit, ut eo ipſo tempore Thaidis amator miles eſſet Rhodi: qui, harum omnium rerum inſcius, Pamphilam emit; ut eſſet, quod amicae, Athenas reverſus, dono daret. Thais, profecto milite, aliam conditionem quaeſierat, adiunxeratque ſibi Phaedriam, adoleſcentem Athenienſem, Lachetis filium. Inaudiverat interim etiam aliquid de Pamphila; iamque cum fratre ipſius Chremete, aliquoties collocuta,

eo pervenerat, ut non dubiis indiciis intelligeret, ſororem illius eſſe, quae ſecum in maternis aedibus educata foret. Summopere cupiebat igitur occaſionem ſibi aliquam dari, qua Pamphilam ſuis reſtitueret, eodemque facto, & puellam ſummo afficeret beneficio, & propinquorum illius amicitia fortunas canſtabiliret ſuas. Redit miles: ſed, cum cognoſſet de amore Phaedriae, puellam ſe, niſi eo repulſo, daturum negat. Thais, quid ageret, neſcire: nam & Phaedriam amabat ex animo, & Pamphilae recipiendae gratia quidvis ſibi faciundum putabat. tandem, cum ſperaret, ſe poſtea facile conſilium ſuum ei ipſi, cuius animum offenderet, probaturam; Phaedriam, ut militi gratificaretur, excludit. Poſtridie arceſſito ei, atque aegre ferenti, tandem ſe purgat, multiſque precibus ab eo impetrat, ut, per biduum, priores partes habere Thraſonem ſineret: ubi primum eripuiſſet puellam, nihil ſibi cum illo amplius fore. Phaedria, ut huius bidui moleſtiam aequiore animo ferret, rus ſibi abeundum eſſe ſtatuit. itaque abiens, mandat Parmenoni, ut Eunuchum & Aethiopiſſam ad Thaidem, cui eos emerat, duceret. Pamphilam, cum ex aedibus Thraſonis ad Thaidem deduceretur, conſpicatus in via, Phaedriae frater natu minor, Chaerea, ita eius amore flagrare coepit, nihil ut penſi haberet, dum ea potiretur: neque prius conquievit, quam eius rei cauſa ad Thaidem pro Eunucho deductus eſt. quid plura? Thaide ad coenam cum milite profecta, virgini a Chaerea per vim vitium offertur. Turbae undique mi-

rabiles, donec, tota re patefacta, Thais a Lachete in fidem & clientelam recipitur, Chaerea agnitam Pamphilam ducit uxorem. Thraſo diu illuſus, tandem in amoris meretricii partem, Gnathonis paraſiti opera, admittitur.

PROLOGUS.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, et minime multos laedere;
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.
Tum ſi quis [1] eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimavit eſſe, ſic exiſtimet,
Reſponſum, non dictum eſſe, quia laeſit prior,
Qui bene vertendo [2], et eas deſcribendo [3] male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri *Phaſma* [4] nunc nuper dedit,
Atque in Theſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius unde petitur, aurum quare ſit ſuum,
Quam ille, qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi [5],

1 *Luſcium Lanuvinum* ſignificat.

2 Cum Sarcaſmo dictum.

3 h. e. ordinando. Adverſarii diſpoſitionem reprehendit, ut in exemplo ſubiecto videre eſt.

4 Hanc fabulam totam damnare ſilentio videtur nonnullis: Theſaurum vero non totum, ſed ex uno loco. Quod cum minus probaret Dacieria, theſaurum voluit eam eſſe partem ſ. Scenam phaſmatis, quo agebatur de theſauro. Ceterum de *Theſauro*, fabula alia, a Philemone ſcripta, & a Plauto verſa, vide hunc in Prologo Trinummi.

5 Senſus eſt: Scripſit in

Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet;
Defunctus [1] iam ſum, nihil eſt quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, et deſinat laceſſere.
Habeo alia multa, quae nunc [2] condonabitur;
Quae proferentur poſt, ſi perget laedere
Ita, ut facere inſtituit. quam nunc acturi ſumus
Menandri Eunuchum, poſtquam aediles emerunt,
Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet copia.
Magiſtratus cum ibi adeſſet, occepta eſt agi [3].
Exclamat, furem, non poetam, fabulam
Dediſſe, et nihil dediſſe verborum tamen [4].
Colacem eſſe Naevi, et Plauti veterem fabulam,
Paraſiti perſonam inde ablatam, et militis.

Theſauro, eum, unde (h. e. a quo) aurum petitur (reum), prius dicere cauſam, quare aurum ſit ſuum, quam ille, qui petit aurum (h. e. actor), cauſam dixiſſet, unde ſibi ſit iſte theſaurus.

1 Int. reprehenſione. Sic ipſe auctor optime explicat, addendo: *nihil eſt quod dicat mihi* ſc. amplius.

2 MSS. Leid. 3, Lipſ. 2, Bodl. Beocleri omnes, Pal. 4, G. Fabr. Edd. Ven. 1490. Argent. 1496. Iunt. aliaeque vett. habent *condonabuntur*, quod & placuit Iul. Caeſ. Scal. Sed Glarean. maluit *condonabimus*. Vulgatum ferunt, graeciſmum admittentes. Et alias *condonare* accuſativo perſonae iungitur. v. Phorm. V, 7, 54 & Plaut. Perſ. V, 2, 56 *te condono*.

3 Agebantur enim privatim & ſpeciminis cauſa comoediae apud aediles curules, antequam publice agerentur.

4 h. e. neminem fefelliſſe. Furi alias conveniat, caute & latenter artem ſuam exercere. Sed Terentium arguebat ille palam furtum feciſſe ex Lat. poetis.

Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia [1] eſt
Poetae, non quo furtum facere ſtuduerit.
Id ita eſſe, vos iam iudicare poteritis.
Colax Menandri eſt: in ea eſt paraſitus Colax,
Et miles glorioſus: eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam [2]
Ex Graeca: ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iisdem uti aliis [3] non licet:
Qui magis licet currentem ſervum ſcribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervum ſenem:
Amare, odiſſe, ſuſpicari [4]? denique
Nullum eſt iam dictum, quod non ſit dictum prius.
Quare aequum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere,
Quae veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, et cum ſilentio animum attendite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit [5]!

1 Cic. de Invent II, 31. *Imprudentia eſt, quum ſciſſe aliquid is, qui arguebatur, negat.* Neque Terentius omnes Plautinas viderat.

2 int. fabulam.

3 *Iisdem—aliis* h. e. eaſdem inducere perſonas, quibus uſi veteres, aliis noc licet.

4 In his enim rebus verſantur omnes fabulae, ut vitae hominum imagines.

5 h. e. quodnam argumentum, quae eius exſecutio, quis finis ſit.

ACTUS I. SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

Ph.[1] QUid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem[2],
Cum arceſſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum[3] contumelias?
Excluſit, revocat. redeam? non, ſi me obſecret.
Pa. Si quidem hercle poſſis, nihil prius, neque fortius:
Verum ſi incipies, neque pertendes naviter:
Atque[4] ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non poſſe[5]: actum eſt: ilicet,
Periſti: eludet[6], ubi te victum ſenſerit.

1 Phaedria amator in ſcenam ingrediens multa iam ante in animo agitaſſe videtur de ſua ratione: & ingreditur dubitans, ita ut dum de re, quae conſilio non regitur, conſilium capere velit, ipſe mentis non ſatis compos videatur & ſervo & ſpectatoribus. Concluſurus iam deliberationem ſe ipſum rogat ſolenni formula, *quid igitur* (deinde) *agam?* qua & Menander uſus eſt: εἶτα τί ποιήσω. Quinctilianus XI, 3, tres priores verſus excitans addit: *Hic enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diverſos nutus actor adhibebit.* Integrum vero hunc locum pulchre reddit Horat. Serm. II, 3, 259-272. quem lege.

2 int. accedam.

3 Uni (Thaidi) iratus accuſat omnes.

4 h. l. ſtatim, continuo.

5 Int. deſiderium.

6 Abſolute dicitur. Sic gladiator proprie *eludit*, cum victor eſt. *Eludere aliquem*, eſt,

Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita;
Here, quae res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum [1], eam conſilio regere non potes.
In amore haec omnia inſunt vitia, iniuriae,
Suſpiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum. incerta haec ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Egone illam [2]? quae illum [3]? quae me [4]? quae non [5]?
ſine modo [6]:
Mori me malim: ſentiet qui vir ſiem.
Haec verba me hercule una falſa lacrimula,
Quam, oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: et te ultro accuſabis, et dabis ei
Ultro ſupplicium. *Ph.* o indignum facinus [7]! nunc ego
et
Illam ſceleſtam eſſe, et me miſerum ſentio:
Et taedet [8]: et amore ardeo: et prudens, ſciens,

arte effugere alicuius ictus; decipere.

1 ſ. cuius non certa ratio modusque fingi poteſt; quod ſibi non conſtet.

2 int. accedam.

3 int. recepit.

4 int. reliquit.

5 int. intromiſit. Ellipſes, quas amat ira, imitatur ſervus.

6 Formula comminantis, (qua & Plaut. utitur. cf. Pſeud. I, 2, 86.) infra IV, 6, 1 plenior: *ſine veniat.*

7 Iis, quae ſervus apte dixerat, percuſſus dolorem ſentit non ferendum, cum fortitudini repugnet amor.

8 Sc. me amoris (quia ſceleſta eſt Thais).

Vivus, videnſque pereo: nec, quid agam, ſcio.
Pa. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas
Minimo: ſi nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. *Ph.* itane ſuades? *Pa.* ſi ſapis:
Neque, praeterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas; et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipſa egreditur noſtri fundi calamitas [1]:
Nam quod nos capere oportet, haec intercipit.

ACTUS I. SCENA II.

THAIS, PHAEDRIA, PARMENO.

T. Miſeram me! vereor, ne illud gravius Phaedria
Tulerit: neve aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. *Ph.* totus Parmeno
Tremo horreoque [2] poſtquam aſpexi hanc. *Pa.* bono animo es:
Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis.
T. Quis hic loquitur [3]? tun' hic eras, mi Phaedria?

1 *Calamitas* Donato proprie eſt *grando*, quae comminuat calamum h. e. culmum ac ſegetem. Quemadmodum calamitas proprie ſpem agri intercipit: ita Thais hereditatem intercipiebat, quae morte patris pervenire debuit ad filium.

2 Uti ex ardore febris (& haec ab horrore incipit); ita aſpectus horrorem incutit amatori.

3 Simulat ſe non providiſſe Phaedriam.

Quid hic ſtabas? cur non recta [1] introibas? *Pa.* ceterum
De excluſione verbum nullum [2]. *T.* quid taces [3]?
Ph. Sane quia vero hae mihi patent ſemper fores [4],
Aut quia ſum apud te primus. *T.* miſſa iſthaec face [5].
Ph. Quid miſſa? o Thais, Thais [6], utinam eſſet mihi
Pars aequa amoris tecum; ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego iſtuc abs te factum nihil penderem.
T. Ne crucia te, obſecro anime mi, mi Phaedria [7].
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſed ita erat res: faciundum fuit.
Pa. Credo, ut fit, miſera prae amore excluſit hunc foras.
T. Siccine [8] ais, Parmeno? [9] age. ſed, huc qua gratia
Te arceſſi iuſſi, auſculta. *Ph.* fiat. *T.* dic mihi
Hoc primum, potin' eſt hic tacere [10]? *Pa.* egone? optume.

1 *Recta* mire additur.

2 Servus id dicit, ut Phaedria iniuriae memor non ſtatim victas manus det.

3 Callide: quaſi innocens ne ſuſpicetur quidem, quid ſucceuſeat adoleſcens.

4 Gravius & cum ironia dictum.

5 Haec molliter ridens.

6 Repetit aeque dolens & amans.

7 Haec amplectens adoleſcentem, & cum geſtu, quaſi in eo etiam ipſa crucietur.

8 Al. *agis.*

9 Lindenbr. & Par. ex MSS. citant *age ſis.*

10 Callide commendat, quae dictura eſt.

Verum heus tu [1], hac lege tibi meam aſtringo fidem:
Quae vera audivi, taceo, et contineo optume.
Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.
Plenus rimarum ſum, hac atque illac [2] perfluo.
Proin tu, taceri ſi vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi [3].
Pa. Poteſt taceri hoc. *T.* ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc [4] abreptam. *Ph.* civemne? *T.* arbitror:
Certum non ſcimus: matris nomen et patris
Dicebat ipſa: patriam et ſigna [5] cetera
Neque ſcibat, neque per aetatem etiam poterat [6].
Mercator hoc addebat, e praedonibus,
Unde emerat, ſe audiſſe, abreptam e Sunio;
Mater ubi accepit, coepit ſtudioſe omnia
Docere, educere, ita uti ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quicum tum uno rem habebam, hoſpite,

1 Aſtute ſervus reponit Thaidi vicem.

2 Bentl. emendat *perpluo*; quod nemini probatur.

3 Tacite ſignificat genus vivendi matris, quae Samia, Rhodi peregrina fuit. Peregrinae habebantur meretrices. Unde callide reſpondet ſervus: *Poteſt taceri hoc.*

4 *Hinc*, quia Athenis eſt conſtituta ſcena.

5 E quibus colligeretur, qua eſſet familia nata, aut ubi patris habitatio.

6 int. ſcire. Vulgo *potuerat.*

Abii huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo,
omnia.
Pa. Utrumque hoc falſum eſt: effluet. *T.* qui iſtuc?
Pa. quia
Neque tu uno eras contenta, neque ſolus dedit:
Nam hic [1] quoque bonam, magnamque partem ad
te attulit.
T. Ita eſt; ſed ſine me pervenire, quo volo.
Interea miles [2], qui me amare occeperat,
In Cariam eſt profectus: te interea loci
Cognovi. tute ſcis, poſt illa quam intimum
Habeam te, et mea conſilia [3] ut tibi credam omnia.
Ph. Neque hoc tacebit Parmeno. *Pa.* oh, dubiumne
id eſt?
T. Hoc agite, amabo. mater mea illic mortua eſt
Nuper. eius frater aliquantum ad rem eſt avidior.
Is ubi [4] hanc forma videt honeſta virginem,
Et fidibus ſcire [5], pretium ſperans, illico
Producit, vendit. forte fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,

1 Phaedriam indigitat.

2 Priorem amatorem facit militem, quam Phaedriam, ut peccatum minus videatur, quod eum rurſus admiſerit. Sed vide, quam illa ſtatim, ne offendatur Phaedria, blandimenta ſubiiciat.

3 Quae quidem ipſi nunc aperiat. Sed neque Phaedr. neque Parm. putant, eam *omnia* aperire.

4 Narrat haec, e quibus pateat, quanti pretii ſit munus, ob quod miles praeponi ad tempus meruerit.

5 Subint. canere.

Imprudens harum rerum ignaruſque omnium [1]:
Is venit: poſtquam ſenſit me tecum quoque
Rem habere, fingit cauſas, ne det, ſedulo:
Ait, ſi fidem habeat [2], ſe iri praepoſitum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim ab eo,
Seſe relinquam, velle ſe illam mihi dare;
Verum id vereri. ſed, ego quantum ſuſpicor,
Ad virginem animum adiecit [3]. *Ph.* etiamne amplius [4]?
T. Nihil: nam quaeſivi. nunc ego eam, mi Phaedria,
Multae ſunt cauſae, quamobrem cupio abducere [5]:
Primum, quod ſoror eſt dicta: praeterea, ut ſuis
Reſtituam, ac reddam. ſola ſum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum. quamobrem, Phaedria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id, amabo, adiuta me, quo id fiat facilius.

1 Gratificatur Phaedriae, ut quem ſecretorum faciat arbitrum, quae rivalis neſciat.

2 Sc. ſibi a me datam, h. e. ſi certam ſpem habeat.

3 An hoc addit, ut Phaedria iam minus oderit militem, a quo non tam ametur, quam ipſa virgo?

4 Int. rei quid fuit illi cum illa? Sed ellipſis magis decora. Quaerere autem videtur, ſuſpicans, a Thaide ob amorem militis expeti tantopere, ut virginem habeat ſuam, quod aemula ſit. Quare illa ſtatim negat, amplius quid fuiſſe, & cauſas honeſtiores ſubdit, cur eam ſibi habere cupiat.

5 Bene *abducere,* quaſi praedam ab hoſte, vel ab eo, qui cuſtodire nequeat virginem.

Sine illum priores parteis hoſce aliquot dies
Apud me habere. nil [1] reſpondes? *Ph.* peſſuma,
Ego quidquam cum iſtis factis tibi reſpondeam?
Pa. Eu noſter! laudo. tandem perdoluit: vir es [2].
Ph. [3] At ego neſcibam, quorſum tu ires parvola
Hinc eſt abrepta [4]: eduxit mater pro ſua:
Soror eſt dicta: cupio abducere, ut reddam ſuis.
Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Niſi quia illum amas plus, quam me: et iſtam nunc times,
Quae advecta eſt, ne illum talem [5] praeripiat tibi?
T. Egon' id timeo [6]? *Ph.* quid te ergo aliud ſolicitat? cedo.
Num ſolus ille dona dat? nuncubi [7] meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?

1 Al. MSS. & edd. vett. inſerunt *mihi.*

2 int. quod tibi illudi non pateris. cf. ſupra Sc. I, 21 *ſentiet, qui vir ſiem.*

3 Variant MSS. Leid. 3. & Bodl. *aut*; al. *haud.*

4 Amicam reprehenſurus, longam eius narrationem contrahit in brevitatem, qua cuncta, ex ſuſpicione detorta, ab irato celerius dicuntur, ad illam culpandam.

5 Tam excellentem donis ſuis? Ironia ſtomachantis amatoris.

6 Id ita dicit, quaſi magis timeret Phaedriae iram.

7 h. e. num alicubi ſ. num qua in re. Et ineſt C epenthet. ut in *ſicubi.* Sed Donatus praeferre videtur *num ubi*, quod & eſt in ed. 1496. Bentl. vult *num tibi*; male, quamvis ſit in MS. Mark. Noſtro & Varro utitur R. R. II, 5, 2; III, 2, 4.

Nonne [1], ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaeſivi? porro Eunuchum dixti velle te,
Quia ſolae utuntur his reginae [2]. repperi:
Heri minas viginti pro ambobus dedi:
Tamen, contemtus abs te, haec habui in memoria [3]:
Ob haec facta abs te ſpernor. *T.* quid iſtuc Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri poſſe maxume; verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut iuſſeris.
Ph. Utinam iſtuc verbum ex animo, ac vere diceres,
Potius quam te inimicum habeam: ſi iſtuc crederem
Sincere dici, quidvis poſſem perpeti.
Pa. Labaſcit, victus uno verbo, quam cito [4]!
T. Ego non ex animo miſera dico? quam ioco
Rem voluiſti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum

1 Opponit ſua munera, quibus magis tangi debeat Thais, niſi militem pluris faceret. Id certe Phaedria colligit.

2 h. l. divites & potentes ſeminae.

3 Tamen, contemtus (licet) a te, haec, quae tibi grata forent, efficere non oblitus ſum. Neſcimus quid ſibi velit Weſterh. qui verba *abs te. haec*---interpunxit.

4 Victoriam praedixerat ſervus I, 22. Sed non vicit falſa lacrimula. Verior eſt Thais verboque vincit. Mox victoria ſapienter utitur.

Saltim ut concedas ſolum. *Ph.* ſiquidem biduum.
Verum ne fiant iſti viginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut. *Ph.* aut [1] ? nihil moror.
T. Non fiet [2]. hoc modo ſine te exorem. *Ph.* ſcilicet
Faciundum eſt, quod vis. *T.* merito te amo: bene facis.
Ph. Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum eſt: mos gerundu' eſt Thaidi.
Tu Parmeno huc fac illi adducantur. *Pa.* maxume.
Ph. In hoc biduum, Thais, vale. *T.* mi Phaedria,
Et tu [3]. numquid vis aliud? *Ph.* egone quid velim?
[4] Cum milite iſto praeſens, abſens ut ſies:
Dies, noctesque me ames: me deſideres:
Me ſomnies: me exſpectes: de me cogites:
Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis:
Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus.
T. [5] Me miſeram, forſitan hic mihi parvam habet fidem,

1 Iratus interrumpit, & pro imperante dicit *nihil moror*: h. e. nolo. In iis, quae iucunda ſunt, moramur. cf. Hor. Ep. II, 1, 264. *Nil moror officium quod me gravat: ac neque—nec—opto.*

2 Quam obſequens videtur, ut conſequatur, quod velit.

3 Elliptice. Oſculans ſc. valedicit.

4 Oratio Phaedriae, amore capti, eum tota ſpirans.

5 Recte Thais poſt diſceſſum amatoris argumenti quod

Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicat.
Ego pol, quae mihi ſum conſcia, hoc certo ſcio,
Neque me finxiſſe falſi quidquam, neque meo
Cordi eſſe quemquam cariorem hoc Phaedria:
Et quidquid huius feci, cauſa virginis
Feci: nam me eius ſpero fratrem propemodum
Iam repperiſſe, adoleſcentem adeo nobilem: et
Is hodie venturum ad me conſtituit domum.
Concedam hinc intro, atque exſpectabo, dum venit.

ACTUS II. SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

Ph. FAc ita, ut iuſſi, deducantur iſti. *Pa.* faciam. *Ph.* at diligenter.
Pa. Fiet. *Ph.* at mature. *Pa.* fiet. *Ph.* ſatin' hoc mandatum eſt tibi?
Pa. Ah rogitare [1]? quaſi difficile ſit.
Utinam tam aliquid invenire facile poſſis, Phaedria,
Hoc quam peribit. *Ph.* ego quoque una pereo, quod mi eſt carius.
Ne iſtuc tam iniquo patiare animo. *Pa.* minime: quin
Effectum dabo. ſed numquid aliud imperas?

reliquum eſt exſequitur, quod tacuerat apud Phaedriam ob praeſentem ſervum. Sic facit poeta, ut neſcius rei ſervus audeat ad vitiandam virginem ſubornare Chaeream.

1 Plenius Plaut. Mil. III, 48. *Rogare mirum eſt.*

Ph. Munus noſtrum ornato verbis, quod [1] poteris : et
Iſtum aemulum, quod poteris, ab ea pellito.
Pa. [2] Memini, tametſi nullus moneas. *Ph.* ego rus ibo, atque ibi manebo.
Pa. Cenſeo. *Ph.* ſed heus tu. *Pa.* quid vis? *Ph.* cenſen' poſſe me obfirmare, et
Perpeti, ne redeam interea? *Pa.* tene? non hercle arbitror :
Nam aut iam revertere; aut mox noctu te [3] adigent horſum inſomnia.
Ph. Opu' faciam, ut [4] defatiger uſque, ingratiis ut dormiam.
Pa. Vigilabis laſſus: hoc plus facies [5]. *Ph.* ah, nihil dicis [6], Parmeno.
Eiiciunda hercle haec eſt mollities animi: nimis [7] me indulgeo.

1 h. e. *quoad*, & ſic habent MSS. Mark. Leid. & ed. Argent. 1496. cf. & infra Heaut. III, 1, 7.

2 MSS. Lipſ. & edd. vett. *au* (quod eſt h. l. ſilentium iniungentis, cf. IV, 4, 13) *memini.*

3 Donat. Par. Faern. teſtantur, & legi *adiget*, ut *inſomnia* ſit ſing. Antiquis *inſomnia* dicitur pro vigilia, *ἀϋπνία*. Inſomnium vero eſt *ἐνύπνιον*.

4 Donat. quem ſequitur Weſterh. *defetiger*; male.

5 h. e. *πλεονεκτήσεις*, lucraberis.

6 h. e. garris.

7 Rectius mſ. & MSS. quidam & edd. *mihi*. Sed edd. retinent *me*, ut antiquius; uti infra Heaut. V, 2, 35. Terentius alias dativo iungit.

Tandem non ego illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum? *Pa.* hui,
Univorſum triduum? vide, quid agas. *Ph.* ſtat ſententia.
Pa. Dii boni, quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeverus quiſquam, nec magis continens.
Sed quis hic eſt, qui huc pergit? at at, hic quidem eſt paraſitus Gnatho
Militis: ducit ſecum una virginem dono huic; papae!
Facie honeſta. Mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho. haec ſuperat ipſam Thaidem.

ACTUS II. SCENA II.

GNATHO, PARMENO.

G. [1] DI immortales, homini homo quid praeſtat? ſtulto intellegens!
Quid intereſt? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:

1 Aliquantulum conſiſtit & intuetur ſpectatores, dum haec ſecum loquitur glorioſe.

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis [1],
Hominem haud impurum [2], itidem patria qui [3] abligurierat bona [4].
Video ſentum, ſqualidum, aegrum [5], pannis annisque obſitum.
Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? quoniam miſer, quod habui, perdidi: hem
Quo redactus ſum? omnes noti me atque amici deſerunt.
Hic ego illum contemſi prae me. quid homo, inquam, ignaviſſime?
Itan' paraſti te, ut ſpes nulla reliqua in te [6] eſſet tibi?
Simul conſilium cum re amiſti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, [7] nitor, veſtitus [8], quae habitudo eſt corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nihil cum eſt, nihil deſit tamen.

1 Eugraph. *loci* intelligit pauperem, *ordinis* paraſitum.

2 h. e. non avarum, non improbum. Prodigus ſui ſimiles honeſtis nominibus ornat.

3 Al. MSS. & edd. vett. *obligurierat*. Vulgatum fortius.

4 Hoc ioculari vultu dicitur.

5 *Aegrum* ad maciem refertur.

6 Bene ſic: nemo enim cum re, quae eſt fortunae, etiam conſilium amittere debet.

7 Cave cum Bentleio coniungas *nitor veſtitus*. Inerat in eo *color*, ſanitatis index, *nitor* corporis, a cultu. Cic. de Sen. 59. *Tum intuentem eius purpuram & nitorem corporis.*

8 int. decorus.

At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
Poſſum [1]. quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quaeſtus apud ſeclum prius.
Hoc novum eſt aucupium [2]: ego adeo hanc primus inveni viam [3].
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt, hos conſector: hiſce ego non paro me, ut rideant,
Sed his ultro arrideo, et eorum ingenia admiror ſimul.
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: poſtremo imperavi [4] egomet mihi,
Omnia aſſentari. is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus.
P. Scitum hercle hominem: hic homines prorſum ex ſtultis inſanos facit.

1 Duplex olim paraſitorum genus, unum, quod ridiculis cibum alienum captabat (*γελωτοποιοὶ*, *ridiculi*, h. e. faceti, qui riſum moverent); alterum, quod verbera aliaſque indignitates ultro patiendo victum quaeritabat. Hi Plauto *plagipatidae* nuncupantur. Neutro generi ſe idoneum dicebat infelix ille. Tertii generis, ſc. aſſentatorum, auctorem ſe fert ſtatim Gnatho.

2 Sic appellat artem ſuam, qua venatur homines.

3. int. agendi ſ. methodum.

4 Glorioſe hoc verbo utitur, quaſi non tam alteri pareat, quam ſibi ipſe; quod viri eſſe videtur, non ſervilis ingenii.

G. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus [1],
Concurrunt laeti mihi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, [2]
Quibus et re ſalva et perdita profueram, et proſum ſaepe:
Salutant: ad coenam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miſer, famelicus, videt me [3] tanto honore, et
Tam facile victum quaerere; ibi homo coepit me obſecrare,
Ut ſibi liceret diſcere id de me. ſectari iuſſi:
Si potis eſt, tanquam philoſophorum habent diſciplinae ex ipſis
Vocabula, paraſiti item ut Gnathonici vocentur.
P. Viden' otium, et cibu' quid faciat alienus. *G*. ſed ego ceſſo

1 *Advenimus*, praeſentis temporis eſt.

2 Vulgo addunt *aucupes*. Sed neque Cic. Off. L. I. nec Donatus, nec liber Bemb. habent; & omittit iubente Faerno Bentleius.

3 Vulg. *me eſſe in tanto honore*, *Et tam*--quae lectio nullis libris nititur. Liber Bemb. a prima manu *mihi eſſe tantum honorem*. Et Iuntae, Rob. Stephanus, Fabrini aliique ediderunt *in tantum hon*. Sed praep. *in* ab omnibus vett. libris abeſt. Stat. de ultima parte noctis Theb. X, 327. *Cum vacuae nubes & honos* (h. e ſplendor) *non omnibus aſtris* ſc. eſt. Bentl. *me eſſe tanto hon*. Poſſit placere Bembina lectio, ſi pro *mihi* legas *mi*, ac dein intelligas *&* (me) *tam f.* Sed melius invenit Faern. *me tanto honore & tam*--quem ſequimur.

Ad Thaidem hanc deducere, et rogare ad coenam ut veniat.
Sed Parmenonem ante oſtium [1] Thaidis triſtem video,
Rivalis ſervum. ſalva res eſt. nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum eſt ludere. *P.* [2] hice hoc munere arbitrantur [3],
Suam Thaidem eſſe. *G.* plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum [4] impertit Gnatho. quid agitur? *P.* ſtatur. *G.* video:
Numquidnam quod nolis vides? *P.* te. *G.* credo. at numquid aliud?
P. Quid dum [5]? *G.* quia triſti' s. *P.* [6] nil equidem [7]. *G.* ne ſis: ſed quid videtur

1 Faern. metri cauſa mutat in *Thaeidis*, Muret. in *meretricis*. Spernit haec Bentl. et quod ſimul nomine repetito offenditur, reſcribit *opperiri*, cf. V, 2, 51. Malimus *contractum triſtem* &c. Contrahimur triſtitia, metu, frigore, aliorum incommodis; mox *hic hom. frigent.*

2 Al. *hicce—arbitratur*; al. *hiſce*. Priſc. *hiſce* nomin. plur. eſſe vult euphoniae cauſa pro *hice*.

3 Gnathonem deridet Parmeno, ut qui penitus noverat Thaidis conſilium.

4 int. amicum. Et eſt ſalutatio haec plena paraſiticae elegantiae, & ſimul ironiae.

5 h. e. quare quaeris hoc?

6 Hoc dicens mutat vultum Parm. in laetitiam. Hinc Gnatho facete: *ne ſis*. Scil. ridet, quem mox triſtitiae reddere vult.

7 int. dixiſti, h. e. falſiſſimus es; l. nil. eq. triſtis ſum.

Hoc tibi mancupium [1]? *P.* non malum hercle. *G.* uro hominem [2]. *P.* ut ſalſus animi eſt [3]!
G. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare eſſe [4]? *P.* hoc nunc dicis,
Eiectos hinc nos. omnium rerum heus viciſſitudo eſt.
G. Sex ego te totos, Parmeno, hos menſes quietum reddam;
Ne ſurſum, deorſum curſites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? *P.* men'? papae [5]. *G.* ſic ſoleo amicos. *P.* laudo.
G. Detineo te fortaſſe: tu profectus alio fueras [6]?

1 Puellam dono dandam, eamque formoſam, ſic appellat, ut ſe tanto ſuperiorem oſtendat, quanto viliori nomine utatur. Sed & Parm. mox leviter ſatis laudat, quae magis laudanda fuit; quod Gnatho invidiae tribuit. *Uro* enim h. l. eſt: invidiam incendo.

2 Haec ad ſpectatores converſus, & geſtu vultuque, quo quid ſibi velit, intelligit Parmeno.

3 Parm. ſecum; & geſtu ad Gnathonis deſpicientiam ſuique ſecuritatem apto. Sed plerique Codd. *falſus animo*, h. e. fallitur, quod me valde commotum iri putavit.

4 Inſultare pergit Gnatho Parmenoni, qui adhuc ſat fortis fuit. Sed iam hic aliquantum movetur.

5 Simulat bene ſe mirantem id quod dixerat Gnatho, ut ſibi ſupra ſpem nuntiatum.

6 h. e. alio ire inſtitueras, a me interceptus. Sed & al. Codd. ac vett. edd. *profecturus*. Omni modo tentat Parmenonem, iamque deridet, quod is ad Thaidem iverit, ſed intromiſſus non ſit.

P. Nuſquam. *G*. tum tu igitur paululum da mihi operae: fac ut admittar
Ad illam [1]. *P*. age modo [2], nunc tibi patent [3] fores hae, quia iſtam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras [4]? *P*. ſine, biduum hoc praetereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Nae tu iſtas, faxo [5], calcibus ſaepe inſultabis fruſtra.
G. Etiam nunc his ſtas, Parmeno [6]? eho numnam tu hic relictus cuſtos,
Ne quis forte internuntius clam a milite ad iſtam curſitet?
P. Facete dictum [7]. mira vero, militi quae placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid ex Piraeo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nunc [8]:

1 Hoc quaſi ſupplicantis vultu ad irriſionem dicit.

2 Et hoc Parm. ſecum, ac ſub lingua murmurans. Sic & proxime ſequentia.

3 Bentl. hic & 53 ob metrum reponit ſing. *foris haec*, *forem* (quod certe Plautinum eſt), & dein 54 *iſtanc* pro *iſtas*.

4 Haec domum Thaidis ingrediens ironice interrogat ſervum.

5 h. l. ſimpliciter ponitur, uti illa *credo*, *opinor*, pro *ut* ſ. *quod credo*, *quod faxo*.

6 Haec ex aedibus Thaidis regreſſus dicit.

7 Ironia. dein quaſi dicens: nil mirum, te, hominem inficetum, poſſe placere inſulſo militi. Tum illo deſpicienter omiſſo, aliorſum verſus videt ea, quibus propius tangitur.

8 Adverſus praedonum incurſus illic excubabat iuventus Attica. Poeta oſtendit cauſam, quare ignotus vicinis, dein potuerit pro eunucho deduci.

Non temere eſt: et properans venit. neſcio quid circumſpectat.

ACTUS II. SCENA III.

CHAEREA, PARMENO.

C. Occidi [1].
Neque virgo eſt uſquam, neque ego, qui illam e conſpectu amiſi meo.
Ubi quaeram? ubi inveſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam?
Incertus ſum: una haec ſpes eſt; ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres:
Taedet quotidianarum [2] harum formarum. *P.* ecce autem alterum.
Neſcio quid de amore loquitur. o infortunatum ſenem!
Hic vero eſt, qui ſi occeperit, ludum iocumque dices
Fuiſſe illum alterum, praeut huius rabies quae dabit.
C. Ut illum dii deaeque ſenium [3] perdant, qui me hodie remoratus eſt;

1 Alias *perii*; & eſt h. l. dolentis, quod ſpes ſubito occiderat.

2 h. e. vulgarium; vide dein v. 21 *haud ſimilis virginum noſtrarum*, & 25 *nova figura oris*.

3 Convicii cauſa ſic dicit ſenem incommodum. Sic vero Donat. & ed. 1496. Al. *ſenem*; & *omnes* vel ante l. poſt.

Meque adeo, qui reſtiterim: tum autem [1] quin illum floccifecerim.
Sed eccum Parmenonem. ſalve. *P*. quid tu es triſtis? quidve es alacris?
Unde is? *C.* egone? neſcio hercle, neque unde eam, neque quorſum eam:
Ita prorſus oblitus ſum mei.
P. Qui quaeſo? *C*. amo. *P*. ehem. *C.* nunc, Parmeno, te oſtendes, qui vir ſies.
Scis te mihi ſaepe pollicitum eſſe; Chaerea, aliquid inveni
Modo, quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
P. Age inepte [2]. *C*. hoc hercle factum eſt. fac ſis [3] nunc promiſſa appareant,
Sive [4] adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum: quas matres ſtudent

1 Sic legendum putamus pro vulg. *qui*, ne cum Donato poſtulemus *flocciſ.* eſſe h. l. non flocciſacere, ſ. unius flocci pretio dignum habere. Tum noſtrum metro aptius. & quidam MSS. *qui illum non fl.* Miramur, Bentleium id transmiſiſſe.

2 *Ineptum* dicit, quod rem parvam exaggerat.

3 h. e. ſi vis (al. *faxis*) ut *prom. app.* quia promiſſo teneris.

4 *Sive* (quia) *adeo digna* &c.

Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut gracilae [1] ſient.
Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum:
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas:
Itaque ergo amantur [2]. *P.* quid tua iſthaec [3]? *C.* nova figura oris. *P.* papae!
C. Color verus, corpus ſolidum, et ſucci plenum. *P.* anni? *C.* anni ſedecim.
P. Flos ipſe [4]. *C.* hanc tu mi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
P. Quid, virgo cuia eſt [5]? *C.* neſcio hercle. *P.* unde eſt? *C.* tantundem. *P.* ubi habitat?
C. Ne id quidem. *P.* ubi vidiſti? *C.* in via. *P.* qua ratione amiſiſti?
C. Id equidem adveniens mecum ſtomachabar modo:
Nec quemquam eſſe ego hominem arbitror, cui magis bonae

1 *Gracilae* antique, uti *imbecillus* & *imbecillis* dicitur. Sic vero legunt Val. Probus, Grammaticus nobilis, Donatus, Eugraphius, pluresque MSS. & edidere Ald. Par. Bentl. probantque alii prae *graciles*.

2 Et ſic merito amantur. Iron.

3 int. an formoſior?

4 Aetatis, dignus quo quis fruatur; cf. Liv. VIII, 28 & Lucret. IV, 1099. Bentleius nihil h. l. ſapit, qui haec verba exſulare velit, ne verſus ſenarium excedat.

5 i. e. cuius eſt filia, an ſerva?

Felicitates [1] omnes adverſae ſient.
Quid hoc eſt ſceleris [2]? perii. *P*. quid factum eſt? *C*. rogas?
Patris cognatum atque aequalem Archidemidem
Noſtine? *P*. quid ni? *C*. is, dum hanc ſequor, fit mi obviam.
P. Incommode hercle. *C*. immo enimvero infeliciter;
Nam incommoda alia [3] ſunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi deierare, his menſibus
Sex ſeptem prorſum non vidiſſe proxumis,
Niſi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc monſtri ſimile eſt [4]: quid ais? *P*. maxume.
C. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem [5],
Incurvus, tremulus, labiis demiſſis, gemens:
Heus, heus, tibi dico, Chaerea, inquit. reſtiti.

1 Parcae Deae ſunt, a quibus bona aeque ut mala. videatur Index.

2 Meminit cum dolore ſenis illius, quem obviam ſibi in itinere, cauſam dixit amiſſae virginis; & ſupra dixit *ſenium*. Uti Comicis *ſcelus* ſaepe dicitur pro *ſceleſto*, cf. Andr. V, 2, 3, ita h. l. pro *homine ſibi infeſto*. Andr. III, 5, 1 *Ubi illic ſcelus eſt, qui me perdidit*. Alii vero contra ethos dictum iſtud a Parmenone volunt, quem tamen lente haec audire videmus.

3 Sc. quae minus bene conveniunt, corrigi poſſunt; infelicitas vim noſtram ſuperat.

4 Monſtri ſimile dicit, quia occurſum illum ſenis vult eſſe praeter naturam.

5 h. e. eminus.

Scin', quid ego te volebam [1] ? dic [2]. cras eſt mihi
Iudicium. quid tum ? ut diligenter nunties.
Patri, advocatus mane mihi eſſe ut meminerit.
Dum haec dicit, abiit hora. rogo, num quid velit [3].
Recte [4], inquit. abeo. cum huc reſpicio ad virginem,
Illa ſeſe interea commodum [5] huc advorterat
In noſtram hanc plateam. *P.* mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quae data eſt dono [6]. *C.* huc cum advenio, nulla erat.
P. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem ?
C. Verum, paraſitus cum ancilla. *P.* ipſa eſt [7] : ilicet
Deſine : iam conclamatum eſt [8]. *C.* alias res agis [9].

1 Oſtendit odioſam tarditatem ſenis cum feſtinante Chaerea loquentis.

2 Ipſe Chaerea ſeni reſpondet *dic—quid tum* & *numquid velit*.

3 int. aliud.

4 h. e. nihil.

5 h. e. ipſo eodemque tempore.

6 Haec lente ſecum loquitur Parmeno.

7 Et haec ſecum; mox ad Chaeream converſus: *ilicet*&c.

8 Haud apte Donat. Serv. aliique Terentianum hoc traxiſſe volunt ex conclamatione illa funebri (qua tentabatur, an iis, qui pro mortuis haberentur, aliquid vitae reliquum eſſet, & qua finita poſt octo dies cremabantur funera). Conclamabantur enim & alia, vaſa, laetaque, (ut victoria.) Melius igitur Eugraphius ad h. l. ex voce *ilicet*, quae conclamabatur cauſa finita, collegit, *finem quaſi cognitionis* ſignificari. Ita exponimus, *Ire licet*, *deſine*, *conclamatum eſt*, h. l. viciſti, quod quo abducta ſit virgo, iam ſcio.

9 Me non audis, l. alia credo te cogitare, quam quae mea ſunt.

P. Iſtuc ago quidem. *C.* noſtin', quae ſit? dic mihi: aut
Vidiſtin'? *P.* vidi, novi: ſcio, quo abducta ſit.
C. Eho, Parmeno mi, noſtin'? *P.* novi. *C.* et ſcis, ubi ſiet?
P. Huc deducta eſt ad meretricem Thaidem: ei dono data eſt.
C. Quis is eſt tam potens [1] cum tanto munere hoc? *P.* miles Thraſo,
Phaedriae rivalis. *C.* duras [2] fratris partes praedicas.
P. Immo enim, ſi ſcias quod donum huic dono contra comparet [3],
Tum magis id dicas. *C.* quodnam quaeſo hercle? *P.* eunuchum [4]. *C.* illumne obſecro
Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri, ſenem, mulierem [5]?
P. Iſtunc ipſum. *C.* homo quatietur certe cum dono foras.

1 int. divitiis. Plaut. Epid. I, 2, 50.

2 Difficiles, quas agat, certando cum rivali tam potente & largo.

3 Quaſi aequum opponat. Locutio a gladiatoribus deducta.

4 Vide, quam molliter, neque advertentibus ſpectatoribus, argumenti propoſiti ordinem poeta eo dirigat, ut ex facta eunuchi mentione conſilium naſcatur ſupponendi Chaereae, neque quaeſita eſſe fallacia, ſed ipſa ſe obtuliſſe videatur.

5 Per convicium ſic dicit, ut mollem, ignavum, fragilem.

Sed iſtam Thaidem non ſcivi nobis vicinam [1]. *P.* haud diu eſt [2].
C. Perii. nunquamne etiam me illam vidiſſe? ehodum dic mihi,
Eſt ne, ut fertur, forma? *P.* ſane. *C.* at nihil ad [3] noſtram hanc. *P.* alia res.
C. Obſecro te hercle, Parmeno, fac ut potiar. *P.* faciam ſedulo,
Dabo operam, adiuvabo [4]. numquid me aliud [5]? *C.* quo nunc is? *P.* domum,
Ut mancipia haec, ita uti iuſſit frater, deducam ad Thaidem.
C. O fortunatum iſtum eunuchum [6], qui quidem in hanc detur domum.
P. Quid ita? *C.* rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi
Videbit, conloquetur, aderit una in unis aedibus,

1 Sic & Thaidi ignotus Chaerea, ut ſupra ad II, 60 monuimus.

2 int. vicina.

3 *Ad* inſervit comparationi. Sic Cic. pro Deiot. 8. *Nihil ad tuum equitatum.*

4 Mire in promiſſis poſterioribus difficultatem rei oſtendit.

5 MSS. quidam & edd. addunt *vis*. Sed feſtinanti aptior eſt ellipſis. Sic & melius omittitur *ac* ante *dabo operam*, & omiſit Bentl.

6 Quam molli deſcenſu pervenit ad conſilium. Res enim ipſi ſuggerit potius, quam Parmeno, ne ſervus illud ſuadendo nimis temere feciſſe videatur.

Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum pro ter dormiet.
P. Quid, ſi nunc tute fortunatus fias [1]? *C.* qua r Parmeno?
Reſponde. *P.* capias tu illiu' veſtem [2]. *C.* veſtem quid tum poſtea?
P. Pro illo te deducam. *C.* audio. *P.* te eſſe illum d cam. *C.* intellego.
P. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum diceb modo:
Cibum una capias, adſis, tangas, ludas, propt dormias?
Quando quidem illarum neque quiſquam te novit neque ſcit qui ſies.
Praeterea forma, aetas ipſa eſt, facile ut pro eunu cho probes [3].
C. Dixiſti pulchre: nunquam vidi melius conſiliu dari.
Age eamus intro: nunc iam orna me, abduc, du quantum potes.

1 Sic dicit Parm. potius ut iocetur, quam quod fieri poſſe cenſeat.

2 Servus iocandi cauſa loquitur, ſed ita paulatim ea profert de ſupponendo, quae ad libidinem Chaereae apta ab hoc mox in ſeria vertuntur. Sic ille ab hoc ſibi quaſi perſuaderi paſſus, non tam ipſe, quam Chaeream auctorem facinoris facere cupit.

3 int. te. Cic. Verr. V, 3 *Suppoſitum in eius locum, quem pro illo probare vellet.* Frigid & inepte Bentl. corrigit *form & aetate ipſa es* &c.

P. Quid agis [1]? iocabar equidem. *C*. garris. *P*. perii, quid ego egi miſer?
Quo trudis? perculeris iam tu me? tibi equidem dico, mane.
C. Eamus. *P*. pergin' [2]? *C*. certum eſt. *P*. vide, ne nimium calidum hoc ſit modo.
C. Non eſt profecto. ſine. *P*. at enim iſtaec in me cudetur faba [3]. ah
Flagitium facimus. *C*. an id flagitium eſt, ſi in domum meretriciam
Deducar, et illis crucibus [4], quae nos, noſtramque adoleſcentiam
Habent deſpicatam, et quae nos ſemper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius haec patri aequum eſt fieri, ut a me ludatur dolis [5]?

1 Quam bene ſimulat ſervus & ſimul incendit iuvenem repugnando!

2 Levius iam reſiſtit.

3 h. e. in me expetet, quidquid hic mali fiet. Locutio ſervilis, quae, unde trahat originem, obſcurum eſt. Forſan alludit ad ſervos ſub furca caedi ſolitos ſcutica, quam in ſummitate nodos in modum *fabae* habuiſſe tradit ſcholion Perſii (quod Geſn. in theſ. voce *faba* laudat poſt Biſciol.) Eandem poenam infra V, 7, 20 Pythias Parmenoni praedicit: *Tu iam pendebis*—uti Phorm. I, 4, 43 *Ego plectar pendens.*

4 Sic appellantur meretrices & Plauto Aul. III, 5, 48. cf. Lipſ. de Cruce I, 2.

5 An potius aequum eſt, me intendere fallacias pecuniae a patre auferendae, quam in

Quod qui reſcierint, culpent: illud merito factum omnes putent.
P. Quid iſtuc? ſi certum eſt facere, facias. verum ne poſt conferas
Culpam in me. *C.* non faciam. *P.* iubes ne? *C.* iubeo, cogo, atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem [1]. ſequere. *P.* dii vortant bene.

ACTUS III. SCENA I.

THRASO, GNATHO, PARMENO.

T. [2] MAgnas vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentis [3]. *T.* ain' tu, laeta eſt? *G.* non tam ipſo quidem
Dono, quam abs te datum eſſe: id vero ſerio
Triumphat. *P.* huc proviſo [4], ut ubi tempus fiet,
Deducam. ſed eccum militem. *T.* eſt iſtuc datum [5]
Profecto, ut grata mihi ſint, quae facio omnia [6].

amores et voluptates inſumam? At MSS. Mark. &, quod ad ultima, 2. Pal. & vett. edd. sit Argent. 1496 legunt, *an potius haec pati? aequum eſt fieri, ut a me lud. dolis. Quod qui reſc. nulli culpent. illud.* &c. Bentl. alia non pulchre audet. Feratur vulgata.

1 h. e. nunquam negabo, me auctore ſ. iubente te id feciſſe. Al. edd. dictum hoc inepte tribuunt Parmenoni.

2 Iam antequam in ſcenam prodirent, ſermocinati eſſe videntur.

3 Vide, quantum adiiciat paraſitus; mox etiam *triumphat.*

4 Haec intrans Parmeno, & ſecum loquitur.

5 int. a Diis ſ. natura.

6 h. e. pro iis gratia mihi habeatur, ut Heaut. II, 3. 21

G. Advorti hercle animum. *T*. vel rex [1] ſemper maxumas [2]
Mihi agebat, quidquid feceram; aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis ſaepe in ſe transmovet, qui habet ſalem [3],
Quod in te eſt. *T*. habes. *G*. rex te ergo [4] in oculis. *T*. ſcilicet [5].
G. [6] Geſtare. *T*. vero [7] credere omnem exercitum,
Conſilia. *G*. mirum. *T*. tum ſicubi eum ſatietas
Hominum, aut negoti ſi quando odium ceperat,
Requieſcere ubi volebat, quaſi [8]: noſtin'? *G*. ſcio:

tum cum gratum mihi eſſe potuit, nolui. Plaut. Amph. Prol. 48 *gratum arbitratur eſſe id a vobis ſibi.* Male igitur alii vocem *mihi* retrahunt ad *datum* eſt.

1 int. Darium, tertium Perſarum regem, Menandri aetate regnantem. Sic Heaut. I, 1, 65. Niſi malis cum Dacieria accipere de Seleuco rege Aſiae, ſc. quod Pyrrh. fit mentio infra, IV, 7, 13. *Strato* certe, praefecti eleph. nomen graecum eſt.

2 int. gratias.

3 Ridendum ſpectatoribus facit militem inſulſum, cui ignominioſa dicit, quae is non advertens pro laude habet ob ultima, *quod* (ſc. *ſalem habere*) *in te eſt.* Sic certe ſumit miles. Spectatores trahunt ad totam ſententiam. Male igitur alii *qui in te eſt.*

4 ἔργῳ, ea re, ſ. ob eam cauſam.

5 Laudari ſe cupiens non ſinit verba implere, quin praefeſtinet.

6 Sic Cod. Bemb. & duo vett. MSS. ap. Bentl. Al. MSS. & edd. *geſtire*; male.

7 *Vero* reſpondentibus ſollemne, ſi aſſeverare velint: profecto. Bentl. tamen ex ſuis libris muvult *verum*.

8 Grata ſpectatoribus ſtulti militis infantia, qui ante vult intelligi, quod ſentit, quam

Quaſi ubi illam exſpueret miſeriam ex animo. *T.*
tenes.
Tum me convivam ſolum abducebat ſibi. *G.* hui,
Regem elegantem narras. *T.* immo ſic homo
Eſt [1]: perpaucorum hominum [2]. *G.* immo nullorum [3], arbitror,
Si tecum vivit. *T.* invidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
Illi invidere miſere [4]. verum unus tamen
Impenſe, elephantis quem Indicis [5] praefecerat.
Is ubi moleſtus magis eſt, quaeſo, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?

ipſe dicat: aut qui ſaepe finire neſcit, quod ſtulte inchoaverit. Et proprium hoc eſt ſtolidi, ſive inepte mentientis.

1 Vide quomodo ſtolidus ille *regem*, appellando *hominem*, ad ſe comparet. Diſtinguimus vero a ſeqq. Sic noſter *Adelph.* I, 2, 63 *Nam ita eſt homo; quum placo.* ſupra Andr. V, 4, 16 *Sic, Crito, eſt hic*, & alibi. *Sic eſt*, int. ut dixiſti, ut vides.

2 Horat. paraſitaſtro reſpondens *Maecenatem* dicit *perpaucorum hominum, ut mentis bene ſanae*, quo illum deterreat. Ita dum h. l. miles Regem *perp. hom.* dicit, ſe ipſum laudare geſtit ſtolidus, in quo Rex ſapiens gaudeat, multorum faſtidioſus.

3 Gnatho haec ſeorſim dixiſſe Donato videtur. Sed adeo ſtolidus eſt miles, ut id ſibi laudi dictum putet, quod eum cum irriſione dixiſſe intelligebant ſpectatores. Homo enim nullorum hominum eſt ineptus; et ſic ſimilis ſimili gaudeat.

4 Haec expuncta vult Guyet. male. Repetitio enim infantiam inſulſi Thraſonis arguit.

5 Bene *Indicis*, utpote praeſtantioribus belloque aptis. Praefectus elephantis erat inter proceres ſummus. Gloriam ita ſibi captat Thr. cui cum tanto viro fuerit negotium.

G. Pulchre mehercle dictum, et ſapienter. papae!
Iugularas hominem [1]. quid ille? *T.* mutus illico.
G. Quidni eſſet? *P.* [2] dii voſtram fidem, hominem perditum
Miſerumque [3]: et illum ſacrilegum [4]! *T.* quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium [5] tetigerim in convivio,
Nunquam [6] tibi dixi? *G.* nunquam: ſed narra, obſecro.
Plus millies audivi [7]. *T.* una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adoleſcentulus.
Forte habui ſcortum: coepit ad id adludere,
Et me [8] irridere. [9] quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quaeris [10]. *G.* ha, ha, hae.

1 Quaſi armis ab ipſo petitis, quod ei *in belluas imp.* obieciſſet.

2 Parm. qui procul ſtans nec viſus haec audierat, ſeorſim ſic exclamat.

3 int. Thraſonem.

4 int. Gnathonem.

5 In eo magis gloriatur inſulſus, quod Rhodii eloquentia & artibus, opibus & re nautica clari, etiam elatiores animi erant. Et is eo ſtatim repetit *Rhodius adol.*

6 Sic MS. Bemb. pluresque alii, & edd. quos ſecutus Bentl. idque poſtulat reſponſum *nunquam*. Al. *numquid*.

7 Ab illo averſus ad ſpectatores dicit.

8 Bentl. refingit *irritare;* ſed & cetera turbat licentius pro more, quam quae digna ſint referri.

9 Vett. edd. *quid ais.*

10 Proverbium & Graecis uſitatum teſte Suida, *δασυπους κρεων επιθυμει*, & Ro-

T. Quid eſt [1] ? *G.* facete, lepide, laute: nihil ſupra.
Tuumne, obſecro te, hoc dictum erat? vetu' credidi [2].
T. Audieras? *G.* ſaepe; et fertur in primis. *T.* meum eſt.
G. Dolet dictum imprudenti adoleſcenti, et libero [3].
P. At te dii perdant [4]! *G.* quid ille, quaeſo? *T.* perditus.
Riſu omnes, qui aderant, emoriri [5]. denique
Metuebant omnes iam me. *G.* non iniuria.

manis, e quibus (teſte Vopiſco in Numer.) Livius Andron. id extulit. Varii vero in eo explicando Donatus & recc. interpr. Nos ſimplicius putamus: Tute is es, quem alii venentur: quid igitur alios venaris? Pulpamentum eſt cibus lautior, maxime e pulpa, parte leporis carnoſiore. Forſan & ineptius miles proverbium huc ingeſſit. Ovid. certe de Arte am. III, 660 monet puellam, ne credat ſodalibus ex invidia obloquentibus: *—Aliae tua gaudia carpent. Et lepus hic* (iuvenis amator) *aliis* (puellis) *exagitandus erit.* Sed non moremur amplius in re verbis melius tecta, quam aperienda. — Mox vide quomodo aſſentandi cauſa rideat Gnatho. cf. ſupra II, 2, 17, 19. ſqq. *Hiſce ego ultro arrideo.*

1 Interrogat geſtu, quo laudes audiat.

2 Laudans irridet. Spectatores profecto noverant id olim dictum. Sed paraſitus facit, ut fatuus priſcae ſapientiae laudem in ſe tranſmoveri putet.

3 Sic quaſi commiſerando intendit ſtultitiam militis, qui etiam e malignitate laudem captet.

4 Gnathonem dicit Parmeno, qui ſupra II, 2, 23 *hic homines prorſus ex ſtultis inſanos facit.*

5 *Emoriri* inſcitus ſermonis dicit miles, quod Atticus adoleſcens in Heaut. *emori.*

T. Sed heus tu, purgon' [1] ego me de iſthac Thaidi,
Quod eam me amare ſuſpicata eſt [2] ? *G.* nihil
minus:
Immo auge magis ſuſpicionem [3]. *T.* cur [4]? *G.* rogas?
Scin'? ſi quando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut ſi laudat, te ut male urat. *T.* ſentio.
G. Id ut ne fiat, haec res ſola eſt remedio.
Ubi nominabit Phaedriam, tu, Pamphilam
Continuo. ſi quando illa dicet, Phaedriam
Intromittamus commiſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. ſi laudabit haec
Illius formam: tu huius contra. denique
Par pro pari referto [5], quod eam mordeat.

1 Alius quam ineptus ſermonis miles dixiſſet *purgemne*, & ſic MS. Mark.

2 Ineſt hiſce ad litem futuram inter militem & Thaidem praeparatio. Suſpicionem vero, quam ea, I, 2, 62 coram Ph. protulit, etiam militi oſtenderit.

3 Suadet ex rationibus ſtatim allatis. Sed inde evenit militis eiectio.

4 Tardus nihil intelligit; identidem rogat.

5 Vulg. *par pari ref.* quod quidem nititur quorundam Codd. & Ter. & Cic. ac plurium edd. conſenſu. Sed noſtrum habent vetuſtus Cod. Vat. & D. Marci Flor. teſte Victorio, MS. Lipſ. & duo Leid. pariterque ii, quos laudat Faern. lectionis inde certus. Legunt & ſic Eugraph. edd. 1469. & quaedam poſt Lindenbr. Sic & a peritioribus legi dicit Sanct. Min. IV, 6, p. 780. ed. Periz. exemplisque firmat. Adſunt porro ad Cic. l. c. Cod. Medic. teſte P. Manutio, ſec. & tert. Pal. itemque Membranae Gruteri; indeque reſcripſit Cortius in ep. Cic. *par pro pari*, quod ibi Mart. & Vict. voluere. Tandem metri ratio repugnat vulgatae, trochaeum, cui in ſenariis non locus, admittenti.

T. Siquidem me amaret, tum iſtuc prodeſſet;
Gnatho [1].
G. Quando illud, quod tu das, exſpectat, atque amat;
Iam dudum te amat; iamdudum illi facile fit,
Quod doleat: [2] metuet ſemper, quem ipſa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Bene dixti: at mihi iſtuc non in mentem venerat [3].
G. Ridiculum [4]: non enim cogitaras. ceterum,

Senſit id Lamb. eoque praeter Codd. ullos fecit *par tu pari*, quod rec. Bentl. Sed quod antea per vices obtinet *illa-tu; haec-tu*, nunc ubi utraque perſona in *par—pari* vertitur, ſupervacuum foret. Vanus autem Bentl. non inveniri exemplum locutionis ſimile noſtro. Potuit enim plura reperire ap. Sanct. l. c. e quibus ultimum ſubdimus. Quod Hor. art. poet. v. 133. *reddere verbum verbo*, id Cic. de opt. gen. Or. 14 *verbum pro verbo reddere* plenius dixit; unde ellipſis in priori locutione, quae & uſitatior, clariſſime patet. Uti autem Manut. noſtrum ad graec. *αντιποιειν* comparat, ita propius huc facit *ανταμειβεσθαι*, l. illud Hermogenis *αμειβειν ονομα αντι ονοματι*, cum & alias dicatur *ισοις ισα αμειβεσθαι*.

1 Semel ſapit glorioſus in ſui contemtum, dubitans de amore; quem uti ipſe verum non habet, ita nec Thaidem habere ſtuduit niſi praemiis illectam. Sed is ſtatim ad ſe rediens ſibi perſuaderi patitur, tanquam amari poſſit ob fructum, quem capiat ab eo Thais.

2 Sic plures MSS. quod melius quam vulg. *metuit*, & quod edd. vett. habent *metuat*. Noſtrum iam edidere Fabrini, aliique; nec improbat Bentl.

3 Quod pro ſe dicit glor. ſed mente vacuus miles, id certe vere dicit.

4 h. e. res ridicula foret, id in mentem venire, quod non cogitaveris. Et ipſo hoc ridiculo & inaniter dicto, quo fruatur miles, riſum movet ſpectatoribus. cf. Adelph. IV, 5, 42.

Idem hoc tute melius quanto inveniſſes, Thraſo?

ACTUS III. SCENA II.

THAIS, THRASO, PARMENO, GNATHO, PYTHIAS.

Tha. Audire vocem viſa ſum modo militis:
Atque eccum. ſalve, mi Thraſo. *Thr.* o Thais mea,
Meum ſuavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac? *Pa.* quam venuſte! quod dedit
Principium adveniens. *Tha.* plurimum merito tuo [1].
G. Eamus ergo ad coenam [2]: quid ſtas? *Pa.* hem alterum [3].
Ex homine hunc natum dicas [4]. *Tha.* ubi vis, non moror.
Pa. Adibo, atque aſſimulabo, quaſi nunc exeam.
Ituran' Thais quopiam es? *Tha.* ehem Parmeno.
Bene feciſti [5]: hodie [6] itura. *Pa.* quo? *Tha.* quid hunc non vides [7]?

1 Thais amorem ſuum non ad avaritiam, ſed ad officium referri comiter fingens, corrigit invenuſte dicta a milite.

2 Decet paraſitum, de coena etiam graviter & inficete monere.

3 Parm. tangit pares Gnathonis inficetias, *eamus-quid ſtas.*

4 Quia inconditus & inſulſus uterque. Verius tamen Bentl. reſcripſit (pro *ex homine*) *abdomini.* Sic Cic. in Piſ. 17. *Ille gurges atque helluo, natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriae.*

5 Sc. quod in tempore adveniſti. Al. *bene pol fec.*

6 h. e. nunc, hoc ipſo momento.

7 Haec ſubmiſſe; Thraſo-

Pa. Video, et me taedet. ubi vis [1], dona adſunt tibi
A Phaedria. *Thr.* quid ſtamus [2]? cur non imus hinc?
Pa. Quaeſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua [3],
Dare huic quae volumus, convenire et conloqui.
Thr. Perpulchra credo dona [4], haud [5] noſtris ſimilia.
Pa. Res indicabit. heus iubete iſtos foras
Exire, quos iuſſi [6]. ocius procede tu huc [7].
Ex Aethiopia eſt usque [8] haec. *Thr.* hic ſunt tres minae.
G. Vix. *Pa.* ubi tu es, Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi [9].
Quam liberali facie, quam aetate integra?
Thr. Ita me di ament, honeſtus eſt. *P.* quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem Thraſo?

ne, ad conſpectum rivalis ſervi, paulum averſo.

1 Aegre militi facturus iisdem utitur verbis, quibus ille v. 7.

2 Iam miles, quem uſſit Parmeno, dolorem prodit.

3 Irridens dicit, quaſi penes Thraſonem ſit, permittere, quae Thaidis & heri ſui intereſſent.

4 Ironia vulgi utitur, ad elevanda dona aemuli, quem ipſe non per ſe elevet.

5 Al. MSS. & edd. *aut*. quod tuetur Faern. ut ironia continuetur. Tam ſapiens, credimus, non fuit miles.

6 Cum fiducia & alto vultu pronuntiat, & feſtinat, ne prius abeat miles, quam videat.

7 Callide ſervus ancillulam prius evocat, dein elegantiorem (ſed falſum) eunuchum.

8 *Ex—uſque* h. l. auget; uſque ex interiori Aethiopia. Simile illi *abuſque*.

9 Triumphat in eo iam Parmeno.

Tacent: ſatis laudant. fac periculum in literis [1],
Fac in palaeſtra, in muſicis. quae liberum
Scire aequum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.
Thr. Ego illum eunuchum, ſi opus ſiet, vel ſobrius [2].
Pa. Atque haec qui miſit, non ſibi ſoli poſtulat
Te vivere, et ſua cauſa excludi ceteros [3]:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices ſuas
Oſtentat: neque tibi obſtat [4]: quod quidam [5] facit.
Verum, ubi moleſtum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus erit, ſât habet, ſi tum recipitur.
Thr. Apparet ſervom hunc eſſe domini pauperis,
Miſerique [6]. *G.* nam hercle nemo poſſet, ſat ſcio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti [7].
Pa. Tace tu: quem ego eſſe infra infimos omnis puto
Homines: nam, qui huic animum aſſentari induxeris,
E flamma petere te cibum poſſe arbitror [8].

1 Haec ad Thaidem.

2 Ellipſis rei turpiſſimae. Convicians autem militariter Eunucho, neſciens laudat Eunuchum, & coram Thaide ſe turpem dat.

3 Modeſtia dono addita herum, ex adverſo comparans cum homine ineptiſſimo, victorem efficit.

4 importuna praeſentia, ut miles.

5 Contemtius praeſenti illudit.

6 Glorioſus & fatuus modeſtiam in vitio ponit.

7 Thraſo contra aemulum pugnat, & paraſitus contra ſervum.

8 Prov. ductum ab iis, quos fames ducat ad petendas dapes, quae pro inferiis in rogum mittebantur; quaſi canem dixiſſet. Catull. Carm. 57 *ipſo carpere de rogo coenam.*

Thr. Iamne imus [1]? *Tha.* hos prius introducam, et, quae volo,
Simul imperabo: poſtea continuo exeo.
Thr. Ego hinc abeo: tu iſtam opperire [2]. *Pa.* haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via [3].
Thr. Quid tibi ego multa dicam [4]? domini ſimilis es.
G. Ha, ha, he. *Thr.* quid rides [5]? *G.* iſtuc, quod dixti modo,
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. *Thr.* abi: praecurre, ut ſint domi
Parata. *G.* fiat. *Tha.* diligenter, Pythias,
Fac cures, ſi Chremes huc forte advenerit [6],
Ut ores, primum ut maneat. ſi id non commodum eſt,
Ut redeat: ſi id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. *Tha.* quid? quid aliud volui dicere?
Hem, curate iſtam diligenter virginem.

1 Fugam feſtinat profligatus.

2 Rudis & agreſtis homo! an offenſus Thaidi? cui grata viderat munera ab aemulo data.

3 Ridicule ſic appellat puſillum militem.

4 Praefatur, quaſi lepidum aliquid & quo ſervum iugulet dicturus; ſed redit inſipiens ad prius convicium: *apparet ſervum hunc eſſe domini pauperis miſerique.*

5 Rogat, ut laudetur. cf. ſupra III, 1, 37.

6 Iam nos praeparat poeta ad litem futuram, & exitum fabulae. Neque haec miles audit.

Domi adſitis, facite. *Thr.* eamus. *Tha.* vos me ſequimini [1].

ACTUS III. SCENA III.

CHREMES [2], PYTHIAS.

P. Profecto quanto magis magisque cogito,
Nimirum [3] dabit haec Thais mihi magnum malum [4];
Ita me video ab ea aſtute labefactarier [5].
Iam tum, cum primum iuſſit me ad ſe arceſſier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)
Ubi veni, cauſam, ut ibi manerem, repperit:
Ait rem divinam [6] feciſſe, et rem ſeriam.
Velle agere mecum. iam tum erat ſuſpicio,
Dolo malo haec fieri omnia. ipſa accumbere

1 Ad pediſſequas, quae mutae ſunt perſonae.

2 Perſona Chremetis, notante Donato, adoleſcentis ruſtici ap. Menandrum eſt, & inconcinna eius oratio. Suaviſſime autem in hac ſcena deſcribitur homo ſimplex, cui omnia, quae in urbe aguntur, & ipſae blanditiae, ſuſpiciones fraudis & doli movent. Quippe ruſtici, dum ſe ab urbanis hominibus contemni putant, ſuſpicioſi ſunt.

3 h. e. certiſſime daturam eſſe intelligo &c.

4 Amorem ſic deſignat.

5 Suſpicatur, id agere Thaidem, ut eum in amorem inducat; nec ſibi ipſi fidit. Ordo in Codd. variat. Al. *ita me ab ea aſtute video labeſ.* quod Bentl. placet.

6 Solebant res ſerias & magnas a ſacrificiis auſpicari aut a precibus.

Mecum [1], mihi ſeſe dare, ſermonem quaerere [2].
Ubi friget [3], huc evaſit, quampridem pater
Mihi et mater mortui eſſent. dico, iam diu.
Rus Sunii ecquod haberem, et quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: ſperat ſe a me avellere.
Poſtremo, ecqua inde parva periſſet ſoror;
Ecquis cum ea una; ecquid habuiſſet [4], cum perit;
Ecquis eam poſſet noſcere. haec cur quaeritet?
Niſi ſi illa forte, quae olim periit parvola,
[5] Eam ſeſe intendit eſſe, ut eſt audacia.
Verum ea ſi vivit, annos nata eſt ſedecim,
Non maior: Thais, ego quam ſum, [6] maiuſcula eſt.
Miſit porro orare, ut venirem, ſerio.
Aut dicat, quod volt, aut moleſta ne ſiet.
Non hercle veniam tertio. heus, heus. *P.* ecquis hic?

1 Quod mulieribus Thaidis ſimilibus condonabatur, id ille honeſtarum mores conferens, in deterius vertit.

2 Materiam ſermoni quaerere variam. Comiter Thais eum primo alloquebatur: paulatim ſermonem rectura, quo voluit, plura ſciſcitando, quo certior ipſa fieret, puellam ipſam eſſe Chremetis ſororem.

3 int. oratio. Frigere videbatur Chremeti, cum ſeria rogaret Thais, nihil intelligentem, quorſum ea ſpectarent. Inde & ei iam reputanti ſuſpiciones oriuntur.

4 Reſpiciuntur annuli, aliave monumenta, unde poſſet cognoſci.

5 Sic Eugraph. legit verſum, & recepit Bentl. quem ſequimur, reiecto vulg. *Soror*, (quae vox male repetita videtur ex ſup. *parva ſoror* v. 15.) *hanc ſe intendit* &c.

6 Sic Faern. & Bentl. ex Codd.

C. Ego ſum Chremes. *P*. o capitulum lepidiſſimum!
C. Dico ego mi inſidias fieri [1]? *P*. Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires [2]. *C*. rus eo.
P. Fac, amabo. *C*. non poſſum, inquam. *P*. at tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipſa. *C*. nihil minus. *P*. cur, mi Chremes?
C. Malam in rem hinc abi [3]! *P*. ſi iſtuc ita certum eſt tibi,
Amabo, ut illuc tranſeas, ubi illa eſt. *C*. eo.
P. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

1 Blandimentum ancillae ruſticus ad inſidias herae refert, & iam converſus ad ſpectatores, non audiente Pythia, loquitur. Solenni autem formula ruſticis hominibus utitur, *dico*, *dico ego*.

2 Thais cognito Chremetis ingenio prudens praeparaverat ad haec ancillam ſupra III, 2, 49. Sed haec, ut fit, inverſo ordine primum orat, ut redeat, dein maneat.

3 ſc. cum tuis blanditiis. An & illi palpata ſit, dubitamus. Al. MSS. & edd. variant, l. omittendo praep. *in*, l. legendo *ibis* aut *abis*. Weſterh. male etiam diſpungit *malam rem! hinc abis?* Bentl. *malam rem hinc ibis*. Donati turbas praeterimus, & retinemus formulam Latinis & ipſi Ter. alias ſuetam, nec h. l. metro adverſam.

ACTUS III. SCENA IV.

ANTIPHO.[1]

HEri aliquot adoleſcentuli [2] coimus in Piraeo
In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus. Chaerea ei rei
Praefecimus [4]: dati annuli: locus, tempus conſtitutum eſt.
Praeteriit tempus: quo in loco dictum eſt, para nihil eſt.
Homo ipſe nuſquam eſt: neque ſcio, quid dicam aut quid coniectem.
Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram.

1 Introducitur Antipho, cui narret Chaerea, quae a ſe poſt ſcenam facta ſunt, ne unus diu loquatur (ut ap. Menandrum, teſte Donato). Et ſpectatori narranda erant, quae ex oculis tollenda fuere.

2 Sic Codd. plurimi & vulg. Bentl. ex tribus Codd. *coiimus*.

3 Cic. ad Att. VII, 3 errorem grammaticum a ſe admiſſum excuſaturus provocat ad hunc verſum, legendo *in Piraeeum*. Sed is & in defenſione memoria lapſus videtur hodie omnibus. Omnes enim MSS. habent caſum ſextum & ſine *e* ſuperaddito *Piraei* & metro adverſum quadriſyllabum. Iuvenes autem ex iis qui Piraeo portui cuſtodes publice dati, aliquot ibi coierunt & convenerunt de ſymbolis ad epulas poſtridie ineundas.

4 Donat. quidem exponit ſυμποσιαρχον fecimus. Se curator, an idem, qui *magiſter* vulgo dictus; Varroni *modiperator*; Horatio *arbiter bibendi*; Plauto *dictator* l. *ſtrategus*; Macrobio *rex menſae* unde ap. Horatium *regna vini*

Ibo ad eum, viſam, ſi domi eſt. [1] quisnam hinc a Thaide exit ?
Is eſt ? an non eſt ? ipſus eſt. quid hoc hominis ? [2] quid hoc ornati eſt ?
Quid illud mali eſt ? nequeo ſatis mirari, neque coniicere.
Niſi quidquid eſt, procul hinc lubet prius, quid ſit, ſciſcitari.

ACTUS III. SCENA V.

CHAEREA, ANTIPHO.

C. NUm quis hic eſt ? nemo eſt. num quis hinc me ſequitur [3] ? nemo homo eſt.
Iamne erumpere hoc mihi licet gaudium [4] ? pro Iuppiter !

1 Al. Codd. & edd. *ſed quiſn.* Faernus *ſed* eiecit. Bentl. retinet, & eiicit *hinc*, quod unus Cod. non habeat.

2 Sic Bentl. ex aliquot Codd. rec. & ſupra II, 2, 6 ſimiliter. Vulg. *quis hic ornatus eſt* non aeque aptum.

3 Metuit primum & obvios, ob habitum turpem ; & inſequentes, ob ſcelus. Mox laetitia victus cupit intervenire ſibi, qui ſequatur, omniaque ſciſcitari non deſiſtat, cui ſua narret. Ita prae gaudio ex amore inſanit, ut ſibi non conſtet.

4 h. e. diu retentum cum vi emittere. Sic & Cic. Att. XVI, 3 tranſitive: *ſtomachum erumpere in quem.* Bentl. vexando haec legit *Iamne rumpere hoc mihi licet ? pro ſupreme Iuppiter !* Ex Nonio quidem laudat *rumpere gaudium*, ut ſit *retentum proferre.* Tum *gaudium* putat inſititium. Sed veremur, ut verum docuerit Nonius, aut potius ipſe *erumpere* legerit. *Gaudium rumpere* foret illud quaſi abrumpere,

Nunc eſt profecto, interfici cum perpeti me poſſum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
Sed neminemne curioſum intervenire nunc mihi,
Qui me ſequatur, quoquo eam; rogitando obtundat, enecet:
Quid geſtiam [1], aut quid laetus ſim, quo pergam, unde emergam, ubi ſiem
Veſtitum hunc nactus, quid mihi quaeram, ſanus ſim, an ne inſaniam?
A. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chaerea, quid eſt quod ſic geſtis [2]? quid ſibi hic veſtitus quaerit?
Quid eſt, quod laetus [3] es? quid tibi vis? ſatis ne ſanus? quid me
Aſpectas? quid taces [4]? *C.* o feſtus dies hominis [5]! amice,

frangere; quod contra ſenſum. h. l.

1 Geſtit totum corpus laetantis, perſultando &c. in vultu eſt laetitia.

2 Iucunde repetit dicta Chaereae, quaſi praeſcriptionem eius ſecutus; permiſcet tamen aliquantum, quaſi ſponte ſua rogans.

3 Vulg. *ſis*. Sed noſtrum rectius, ut ante *quid eſt q. geſtis*.

4 Urget, ut citius narret. Et Chaerea improviſo aſpectu primum ſtupet, ſtatim moras rumpet. Bentl. frigide reſcribit *quid dices?*

5 Longe laetius ſic appellat amicum, qui ipſi hilaritatem (qualem feſtus dies) afferat; quam ſi cum Plauto Caſin. I, 49 blandiendi cauſa dixiſſet: *Sine amabo te amari, meus feſtus dies*; l. ibid. III, 3, 14, *quid agis, mea feſtivitas*. Chaeream

Salve: nemo eſt hominum, quem ego nunc magis cuperem videre, quam te.
A. Narra iſtuc quaeſo, quid ſiet. *C*. immo ego te obſecro hercle, ut audias.
Noſtin' hanc, quam amat frater [1]? *A*. novi nempe [2], opinor Thaidem.
C. Iſtam ipſam. *A*. ſic commemineram. *C*. quaedam hodie eſt ei dono data
Virgo. quid ego eius tibi nunc faciem praedicem, aut laudem, Antipho,
Cum ipſum me noris, quam elegans formarum ſpectator ſiem?
In hac commotus ſum. *A*. ain' tu? *C*. primam dices, ſcio, ſi videris.
Quid multa verba? amare coepi. forte fortuna domi
Quidam erat Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:

ſc. putamus voluiſſe: Inſtar feſti diei advenis mihi, hodie primum homini. Hominem ſe ſenſit felicem amore, & amore nihil eſt humanius. Nihil igitur ſenſiſſe nobis videntur Critici, qui parum venuſte haec tentant. Guyet. etiam expungi voluit *hominis*. Bentl. pervertit, *o feſtus dies! o meus amicus! ſave*. Alios tacemus.

1 Ex fama, credit Donat. cum nec ipſe frater eam vultu noſſet.

2 *Nempe* reſpondentis eſt; uti Cic. Att. IX, 18 *Scimus nempe*. Alii, & ipſe Donatus, male intercidunt *novi; nempe—*.

Neque is deductus etiam tum ad eam. ſummomuit [1] me Parmeno
Ibi ſervus, quod ego arripui. *A.* quid id eſt? *C.* tacitus [2] citius audies:
Ut veſtem cum illo mutem, et pro illo iubeam me illuc deducier.
A. Pro eunuchon'? *C.* ſic eſt. *A.* quid ex ea re tandem, [3] ut caperes, commodi?
C. Rogas? viderem, audirem, eſſem una, qua cum cupiebam, Antipho.
Num parva cauſa, aut [4] parva ratio eſt? traditus ſum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, laeta vero ad ſe abducit domum,
Commendat virginem. *A.* cui? tibine [5]? *C.* mihi. *A.* ſatis tuto tamen.
C. Edicit, ne vir quiſquam ad eam adeat, et mi, ne abſcedam, imperat:

1 h. e. leviter tantum monuit; & int. quid facto uſus eſſet.

2 h. e. ſi taceas. Variant ſcripti & edd. Al. *tace ſis.* al. *tacitus ſis.* al. *tace tu.* Weſterh. mavult *tacedum;* ſed noſtrum melius videtur.

3 *Ut* & a novem Codd. teſte Bentl. & a vett. edd. abeſt. Sed ferri poteſt, ſi intelligas *erat,* & ſic conſtruas: *Quid commodi ex ea re* erat, *ut caperes,* pro *quod caperes.*

4 Bentl. Palmerium ſecutus *prava;* quod placeret, ſi referre liceat ad illud *quid--ut* (quomodo). Prava ratio ſit dolo, inepta. Tac. H. I, 47 *pravum induſtrio* opponit.

5 Iocoſe rogat & miratur.

In interiore parte [1] ut maneam ſolus cum ſola [2]: annuo,
Terram intuens modeſte [3]. *A.* miſer [4]! *C.* ego, inquit, ad coenam hinc eo:
Abducit ſecum ancillas: paucae, quae circum illam eſſent [5], manent,
Novitiae, puellae. continuo haec [6] adornant, ut lavet.
Adhortor [7] properent. dum apparatur, virgo in conclavi ſedet,
Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura haec, Iovem
Quo pacto Danaae miſiſſe aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare coepi. et quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,

1 Quam Gynaeceum vocat Phorm. V, 6, 23. cf. Nepot. in praef.

2 Dum diligentiam mandantis videtur ſignare, comice ironiam miſcet; ut mox: *adhortor properent.*

3 Quod ipſo vultu & geſtu denuo adſimulat.

4 Plurimum gratiae ineſt in eo, quod ironice dicit *innocentem*, quo ſenſu & vere adhibet Cicero.

5 h. e. praeſto eſſent ad curandam virginem; quod iuſſerat Thais ſupra III, 2, 52.

6 *Haec* l. pluraliter pro *hae*, ut ſaepius ap. Plautum, & ſic ad ancillas refertur; l. ad ipſam virginem, *haec ut lavet.*

7 Impatiens deſiderii ipſe hortator.

Deum ſeſe in hominem [1] convertiſſe, atque in alienas tegulas [2]
Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem deum [3]? qui templa coeli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? [4] ego vero illud faxim lubens.

1 h. e. in humanos affectus. Bentl. licentius, ut ſolet, haec & ſqq. mutat; *Deum ſeſe in pretium convertiſſe, & per al. teg. Veniſſe clanculum: per pluviam fucum factum mulieri.*

2 Unde decideret per impluvium; cf. Phorm. IV, 4, 26. Al. *per al. teg.* quod minus aptum videtur, niſi pro tecto ſ. domo accipias. Noſtrum eſt in pluribus Codd. & ipſi Donato legitur.

3 Subito aſſurgit vox ad exprimendam Iovis maieſtatem; & mox demiſſius ipſe *homuncio*, quo minus dubitaret, ſibi licere, in quo Iupiter praeiviſſet.

4 Laborant multum in hoc verſu, quem & ad ſenſum & ad metrum emendamus. MSS. variant. Ultima vulgo ſic ſe habent: *ego illud vero ita feci ac lubens.* Sed ſex Codd. ap. Bentl. *ego vero illud.* Dein *ita* pridem ut inculcatum omiſerunt Ald. & Heinſ. Ed. Arg. vetus legit *ego vero id ita*; unde ſuſpicamur *id ita* ortum eſſe ex *illut* (ſic ſcribebant *illud*). Inepte autem dici *feci* de eo, quod facturus eſſet, monuit Tan. Faber; neque tamen bene medetur Bentl. vulneri mala imponendo nova: *non fecerim: ego vero illud fecerim ac lubens.* Nos illud *facerem* non tentamus, ſed pro *feci ac* legimus *faxim*, h. e. faciam. Sic noſter Adelph. V, 5, 6, & 6, 8 *Tibi lubens bene faxim*, quocum cf. dictum a Plauto Trin. II, 2, 47 *Bene volo ego illi facere.* Infra Heaut. IV, 5, 15 *faciam tibi boni aliquid pro iſta re, ac lub.* Hinc dimanarunt turbae in hunc verſum; quas ſic componimus.

Dum haec mecum reputo, arceſſitur lavatum interea virgo.
It, lavit, redit: deinde [1] eam in lecto illae conlocarunt.
Sto exſpectans, ſi quid mihi imperent. venit una, heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, et ventulum huic ſic [2] facito, dum lavamus:
Ubi nos laverimus, ſi voles, lavato. accipio triſtis [3].
A. Tum equidem iſtuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Qui eſſet ſtatus, [4] flabellulum tenere te aſinum tantum.
C. Vix elocuta eſt hoc, foras ſimul omnes proruunt ſe:
Abeunt lavatum, perſtrepunt, ita ut fit, domini ubi abſunt.
Interea ſomnus virginem opprimit. ego limis [5] ſpecto
Sic per flabellum clanculum: ſimul alia circumſpecto,
Satin' explorata ſint. video eſſe: peſſulum oſtio obdo.

1 Sic MS. Graev. & ed. Tarv. melius quam vulg. *illam*.

2 Cum geſtu pronuntiat, uti mox v. 54.

3 Supra modeſte terram intuens coram Thaide, iam ſe ſervabus ſeverum falſus oſtendit, ut fallat.

4 Sic Cod. ap. Guyet. & Anteſign. Et ſic poſcit metrum; & voluere Faern. Guyet. Bentl. Vulg. *flabellum*.

5 int. oculis, h. e. venereis.

A. Quid tum? *C.* [1] quid? quid tum? ſatue? *A.*
teor [2]. *C.* an ego occaſionem

[3] Oſtentam, tantam, tam brevem, tam optata
tam inſperatam,

Amitterem? tum pol ego is eſſem vere, qui ſimulab

A. Sane, hercle, ut dicis. ſed interim de ſymbo
quid actum eſt [4]?

C. Paratum eſt. *A.* frugi es: ubi? domin'? *C.* imr
apud libertum Diſcum.

A. Perlonge eſt. *C.* ſed tanto ocius properem
A. muta veſtem.

C. Ubi mutem? perii: nam domo exſulo nun
metuo fratrem,

Ne intus ſit: porro autem, pater [5] ne rure redi
rit iam.

1 In antiquis libris geminatum *quid* ſic edidit Faern. Antea ſemel tantum *quid tum?* Bentl. pro lubitu *quid tum? quid ſatue?*

2 int. me fatuum, qui hoc quaeſierim.

3 Omittimus *mihi* ſ. *mi*, quo metrum impeditur ob ſyll. reman. prioris verſus; & praeferimus *oſtentam*, quod et Serv. ad Virg. Georg. I, 248 voluiſſe videtur. Phorm. V, 4, 7 plenius: *ni mi eſſet ſpes oſtenta huiuſce habendae.* -- *Tantam* (h. e. tanti boni) in Cod. Bemb. edd. Iunt. R. Ste Frob. cett. omiſſam, ſed p ribus ſcriptis agnitam, retir mus in cumulum, quem ſtı gaudii nimius Chaer. unde Faern. & Bentl. legunt *oſtentam, tantam* &c.

4 Poeta bene memor p ſonae, quam ſuperinduxi narrato omni gaudio, Ar phonem facit quaerentem ſymbolis; et inde invenit ſuf gium Chaereae; amicis in cium, ubi paratum conv.

5 Praeparatur iam int ventus ſenis.

A. Eamus ad me; ibi proxumum eſt ubi mutes. *C.* recte dicis.
Eamus: et de iſtac ſimul, quo pacto porro poſſim
Potiri, conſilium volo capere una tecum. *A.* fiat.

ACTUS IV. SCENA I.

DORIAS.[1]

ITa me dii [2] ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo miſera,
Ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam poſtquam iſte advenit, Chremes adoleſcens, frater virginis,
Militem rogat, ut eum admitti iubeat. ille continuo iraſci, neque
Negare audere: Thais porro inſtare, ut hominem invitet. id
Faciebat retinendi illius cauſa: quia, illa quae cupiebat
De ſorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat triſtis: manſit. ibi illa cum illo [3] ſermonem occipit.

1 Inducitur perſona, quae dum narrat geſta in convivio militis, terribilem facit militem: ut eo magis experiendo vanus et ridiculus exiſtat. Quod bene Donatus annotat.

2 Al. contra metrum & bonos Codd. inſerunt *bene*.

3 int. Chremete, neglecto ſc. Thraſone.

Miles vero ſibi putare adductum ante oculos aemulum,
Voluit facere contra huic [1] aegre: heus, inquit, puer, Pamphilam
Arceſſe, ut delectet hic nos. illa exclamat: minime gentium!
In convivium illam [2]? miles tendere [3] inde ad iurgium.
Interea aurum [4] ſibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc eſt ſigni, ubi primum poterit, ſe illinc ſubducet: ſcio.

ACTUS IV. SCENA II.

PHAEDRIA. [5]

Dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias [6],

1 int. Thaidi. Scilicet memor eſt praecepti Gnathonis ſupra III, 1, 50 ſqq.

2 int: adducas. Graecorum moribus honeſtae mulieres a conviviis virorum amovebantur; & Thais virginis famae conſultum voluit.

3 Donat. haec a ſequentibus diſtinguit, legendo: *miles tendere: inde ad iurg.*

4 int. annulos, inaures, armillas cett. ornamenta aurea, quae publice geſtare non licebat meretricibus.

5 Reducit Phaedriam ex amore aegrum ipſe amor, nihilo adhuc ſaniorem. Et ineſt in hac ſcena narratio vere παθητικὴ, oratione, geſtu, deliberatione conſpicua. Vide nunc luctam ſupra I, 2, 107 ſignificatam coll. cum I, 1, 27 & 28 *& taedet & amore ardeo: & prudens ſciens Vivus vidensque pereo: nec quid agam ſcio.* Iam intervalla; quo ipſum rapuit curarum & ſolicitudinis impetus: *praeterii imprudens viam*— quo revocavit memoria capti tanto apparatu conſilii: *ubi ad ipſum veni divorticulum, conſtiti* — quo cupiditas deſiderio incitata retraxit: *villam praetereo ſciens:* quantum habent l. ἐνεργείας, l. evidentiae, l. affectus!

6 h. e. inter ambulandum.

Ita ut ſit, ubi quid in animo eſt moleſtiae,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Peiorem partem. quid opu' eſt verbis? dum haec puto,
Praeterii imprudens villam. longe iam abieram,
Cum ſenſi: redeo rurſum, male vero me habens.
Ubi ad ipſum veni divorticulum, conſtiti:
Occepi mecum cogitare, Hem biduum [1] hic
Manendum eſt ſoli ſine illa? quid tum poſtea?
Nihil eſt [2]? quid nihil? ſi non tangendi copia eſt,
Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltim hoc licebit, certe extrema linea
Amare, haud nihil eſt. villam praetereo ſciens.
Sed quid hoc, quod timida ſubito egreditur Pythias?

ACTUS IV. SCENA III.

PYTHIAS, PHAEDRIA, DORIAS.

Py. [3] UBi ego illum ſceleroſum miſera atque impium inveniam? aut ubi
Quaeram? hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? perii. *Ph.* hoc quid ſit vereor.
Py. Quin etiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatu' eſt virginem,

Pariter Plaut. Aul. II, 8, 9 & Poen. V, 3, 43. Sic & Hor. *inter vina*, h. e. inter bibendum.

1 Supra I, 2, 107 *ibi hoc me macerabo biduum.* Longiſſimum igitur tempus.

2 Quae ratio contradicebat, ea ſtatim refellit amor.

3 Progreditur Pyth. tanquam perſecutura fugientem.

Veſtem omnem miſerae diſcidit: tum ipſam capill
conſcidit.
Ph. Hem. *Py.* qui nunc ſi detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem ve
nefico!
Ph. Neſcio quid profecto, abſente nobis, turbatu
eſt domi.
Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quaeri
Pythias?
Py. Ehem Phaedria, egon' quem quaeram? abi hin
quo dignu' es cum donis tuis
Tam lepidis. *Ph.* quid iſtuc eſt rei? 1
Py. Rogas me? eunuchum [1] quem dediſti nobis
quas turbas dedit?
Virginem, quam herae dono dederat miles, vitiavi
Ph. quid ais!
Py. Perii. *Ph.* temulenta es. *Py.* utinam ſic ſint [2]
qui mihi male volunt.
D. [3] Au, obſecro, mea Pythias, [4] quid iſtuc na
monſtri fuit?

1 *Eunuchum* ad verbum proximum refertur, pro is *Eunuchus, quem dediſti nobis, quas turbas dedit.*

2 ſcil. ebrii, non vino; ſed curis.

3 Trepidationem familiae amplius oſtenſurus, poeta iam introducit alteram Thaidis ancillam. Sed & neceſſ erat, intervenire Doriam quae, Phaedria mox in aede ſuas ingreſſo, ſubſerviret ora tioni Pythiae.

4 Al. Codd. *quidnam iſtu* Monſtrum vero dicit quod e contra nat. eviratum homi nem, in quo aliquid ſit viri.

Ph. Inſanis : qui iſtuc facere eunuchus potuit ?
Py. ego illum neſcio
Qui fuerit : hoc, quod fecit, res ipſa indicat.
Virgo ipſa lacrumat, neque, cum rogites quid ſit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nuſquam apparet. etiam hoc ſuſpicor,
Aliquid domo abeuntem abſtuliſſe [1]. *Ph.* nequeo mirari ſatis,
Quo ille abire ignavus [2] poſſit longius, niſi ſi domum
Forte ad nos rediit. *Py.* viſe, amabo, num ſit. *Ph.* iam, ſaxo, ſcies.
D. Perii, obſecro. tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
Py. At pol ego amatores mulierum eſſe audieram eos maxumos,
Sed nil poteſſe [3]: verum miſerae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo concluſiſſem, neque illi commiſiſſem virginem.

1 Bene Pyth. tanquam de fugitivo ſervo, furtum factum ſuſpicatur, utpote ex ancillis Thaidis ad rem familiarem attentior, & cui Th. domo digreſſa omnia curanda commendaverat.

2 Sic deſignat Eun. ut hominem non virilem, ſed timidum & inertem.

3 En veram indolem mulierum, praeſertim in domo meretricia, & de quibus rebus loqui ament!

Eo [1] rediges me, ut quid [2] emerim, egomet neſciam?
Eho tu, emin' ego te [3]? *Do.* emiſti. *Py.* iube mi denuo
Reſpondeat. *Ph.* roga. *Py.* veniſtin' hodie ad nos? negat [4].
At [5] ille alter venit annos natus ſedecim:
Quem ſecum adduxit Parmeno. *Ph.* agedum, hoc mi expedi
Primum: iſtam, quam habes, unde habes veſtem? taces [6]?
Monſtrum hominis, non dicturus? *Do.* venit Chaerea.
Ph. Frater ne? *Do.* ita eſt. *Ph.* quando? *Do.* hodie. *Ph.* quam dudum? *Do.* modo [7].
Ph. Qui cum? *Do.* cum Parmenone. *Ph.* noraſne eum prius?
Do. Non: [8] nec, quis eſſet, unquam audieram dicier.

1 Ita Cod. Bemb. & recepit Bentl. Vulg. *redigis*.

2 Sic legimus cum Cic. Att. I, 19 & ad mentem Donati; & rec. Bentl. pariterque eſt in ed. Arg. 1496. Vulg. *egerim*, quod non aptum ſqq.

3 Iratus interrogat.

4 Cur ipſum Dorum non audimus negantem? Sed nil auſimus, quamvis nec metrum ſatis in ſq. procedat. Putavimus ſic reſcribi poſſe; ſed nobis non ſatisfacimus: Do. *Non.* Py. *Negat* &c.

5 Bene inſtat Pyth. quaſi ex parte iam obtinuerit.

6 Metu Chaereae nolebat niſi adactus loqui.

7 *Modo* ad praeteritum reſpicit, ſed num quod vult Donat. ſignificet h. l. *iamdudum*, an potius *non equidem multo ante*, (quod affectui hominis metuentis magis conveniat) definire nolumus.

8 Quidam MSS. & edd. loco duorum verſum 32 &

Ph. Unde igitur, meum fratrem eſſe, ſcibas [1]? *Do.* Parmeno
Dicebat eum eſſe: is dedit mihi hanc. *Ph.* occidi [2].
Do. Meam ipſe induit: poſt una ambo abierunt foras.
Py. Iam ſatin' credis ſobriam eſſe me, et nil mentitam tibi?
Iam ſati' certum eſt virginem vitiatam eſſe? *Ph.* age nunc, bellua,
Credis huic quod dicat [3]? *Py.* quid iſti credam? res ipſa indicat.
Ph. Concede iſtuc paululum, audin'? etiam paululum [4]. ſat eſt.
Dic dum hoc rurſum, Chaerea tuam veſtem detraxit tibi?

33, unum conſtituunt, verba: *nec quis eſſet, unquam audieram dicier* eiicientes.

1 Haec ideo interrogat Ph. ut eludat confeſſionem eunuchi; fratrique conſulat.

2 Hoc ſecum Phaedr. ancillam celari cupiens, quae ipſe nunc ſero animadvertit. Sed illa promte arripiens, quae errorem in perſona retexerant, arguendo refert, iniuriam ſibi factam ante; cum temulentam & inſanam adeoque mentitam Phaedria reprehenderit.

3 Rerum argumentis victus Phaedria, fidem teſtimonio derogare cupiens, mox aſſimulata fiducia, vultuque ad ſeveritatem compoſito, denuo interrogat, ſed contentius, ſic ſperans poſſe Eunuchum terreri, ne perſeveret in illa confeſſione.

4 Ut remotior eſſet a Pyth. ſeorſim hoc dicit Eunucho. Ita melius ſuggerere poterat, quae poſtea ſuggerit.

Do. Factum. *Ph.* et ea eſt indutus? *Do.* factum. *Ph.* et pro te huc deductu' eſt? *Do.* ita.
Ph. Iuppiter magne, o ſceleſtum, atque audacem hominem [1]! *Py.* vae mihi,
Etiam nunc non credis, indignis nos irriſas modis?
Ph. Mirum ni tu credis, quod iſte dicat. quid agam, neſcio.
Heus tu, negato rurſum [2]: poſſumne ego hodie ex te exſculpere
Verum? vidiſtin' fratrem Chaeream? *Do.* non. *Ph.* non poteſt ſine
Malo fateri, video. ſequere me hac. modo ait, modo negat.
Ora me [3]. *Do.* obſecro te vero Phaedria. *Ph.* [4] i'n intro nunc iam? *Do.* oi, ei.
Ph. [5] Alio pacto honeſte quo modo hinc abeam, neſcio:

1 Haec in eunuchum tanquam falſa elocutum.

2 Haec ſubmiſſe. Inſtante denuo Pyth. eo flectit Phaedria, ut Eunuchum iubeat negare, quae affimaverit; dein ambiguo Eunucho tormenta minatur, ut ipſe ſic honeſte abeundi cauſam habeat.

3 Hoc in aures Dori, qui mox clara voce obſecrat herum.

4 Sic Faern. ex Bemb. ut veriſſimum edidit, & explicat *i'n* pro *isne*. Al. Codd. & edd. omittunt *nunc iam*. Rurſus alii *hoi*, *hei*. Eſt vero hoc eiulantis, forſan dum introiret, impulſi ab hero.

5 Hoc ſecum. Mox clare

Actum eſt, ſiquidem [1]. tu me hic etiam nebulo ludificabere?
Py. Parmenonis tam ſcio eſſe hanc technam, quam me vivere.
Dor. Sic eſt. *Py.* inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam [2].
Sed nunc quid faciendum cenſes Dorias? *Dor.* de iſthac rogas
Virgine? *Py.* ita: utrum taceam ne, an praedicem? *Dor.* [3] pol, ſi ſapis,
Quod ſcis, neſcis, neque de eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re et te omni turba evolves, et illi [4] gratum feceris.
Id modo dic, abiſſe Dorum. *Py.* ita faciam. *Dor.* ſed videon' Chremem?
Thais iam aderit. *Py.* quid ita? *Dor.* quia, cum inde abeo, iam tum coeperat

minas in Eunuchum continuat.

1 Nil ſapiunt, qui aliter interpungunt — *neſcio. Actum eſt, ſi quidem tu me.* Nos putamus dicere voluiſſe: *actum eſt, ſi quidem...* int. hic vera dixit. cf. Andr. III, 1, 7. Sed abrupto ſermone, inclamat miſerum Eun.

2 Iam praeparatur exitus fabulae. Nam dum ultionem parat Pythias, fit indicium patri Chaereae, & confirmantur nuptiae.

3 Al. *tu pol* praeter metrum. Quare Guyet. & Heinſ. delent *tu.*

4 int. Thaidi (non ut Don. *virgini*, aut Weſterh. *Phaedriae*). Ancillae heram vocant *illam;* unde Pythias dein V, 1 perplexe loquitur.

Turba inter eos. *Py.* tu aufer aurum hoc: ego ſcibo
ex hoc, quid ſiet.

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES, PYTHIAS.

C. [1] AT at, data hercle verba mihi ſunt: vici
vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quam videbar mihi eſſe pul-
chre ſobrius:
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens [2] ſatis
ſuum officium facit.
P. Chreme! *C.* quis eſt? ehem Pythias. vah quanto
nunc formoſior
Videre mihi quam dudum [3]? *P.* certe tu quidem po
multo hilarior.
C. Verbum hercle hoc verum erit: ſine Cerere et
Libero friget Venus [4].
Sed Thais multo ante venit? *P.* an abiit iam a milite?
C. Iam dudum: aetatem. lites factae ſunt inter eos
maxumae.
P. Nil [5] dixit, tu ut ſequerere ſeſe? *C.* nil, niſi abiens
mi innuit.

1 Chremes inducitur fere adpotus eoque hilaris; priorum memor, ſed titubans in praeſentibus.

2 Sic Ovid. de Art. am. I, 589.

3 Quantum mutatus ab illo III, 3, 30.

4 Laudatur dictum Cic. de N. D. II, 23. & Ovid. de Art am. I, 244 *Venus in vinis.*

5 Al. male *dixit tum, u*

P. Eho, nonne id ſat erat? *C.* at neſcibam id dicere [1] illam, niſi quia
Correxit miles, quod intellexi minus [2]? nam me extruſit foras.
Sed eccam ipſam: miror ubi huic ego antevorterim [3].

ACTUS IV. SCENA VI.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

T. [4] Credo equidem illum iam affuturum eſſe, ut illam a me eripiat: ſine veniat.
Atque ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur;
Uſque adeo ego illius ferre poſſum ineptias, et magnifica verba,
Verba dum ſint [5]. verum enim, ſi ad rem [6] conferentur, vapulabit [7].

&c. Al. omittunt *tu*, quod reſcribimus Cod. Bemb. aixi cum Bentl. & MS. Lipſ. *ut tu ſeq.*

1 h. e. velle ſ. ſignificare.

2 Sapientiorem fecit ex vino poeta. Ingenium enim facit vinum.

3 Scilicet timor feſtinavit curſum tuum, ſ. fugam.

4 Concitata & recens a litigio Thais, praevidens adverſus militis minas de eripienda virgine ſe parat; timidoque Chremeti mentem iraſque contra militem indere ſtudet, ut defenſorem virginis agat, quam ipſius ſororem eſſe nunc prodit.

5 Plaut. Curc. IV, 4, 22 *Ut ego magnifica tua verba, neque iſtas tuas magnas minas non pluris facio, quam* &c.

6 *Verba*, & *vim* ſ. *rem*, quae eſt in executione, diſtinguit.

7 h. e. miſer erit, eludetur.

C. Thais, ego iam dudum hic adſum. *T.* o mi Chreme, te ipſum exſpectabam:
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? *C.* ad me? [1] qui quaeſo iſtuc? *T.* quia dum tibi ſororem ſtudeo
Reddere, ac reſtituere, haec atque huius modi ſum multa paſſa.
C. Ubi ea eſt? *T.* domi apud me. *C.* ehem [2]! *T.* quid eſt?
Educta ita, uti teque illaque dignum eſt. *C.* quid ais [3]? *T.* id quod res eſt.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quidquam abs te pretii.
C. Et habetur, et referetur, Thais, ita uti merita es, gratia.
T. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:
Nam haec ea eſt, quam miles a me vi nunc ereptum venit..
Abi tu, ciſtellam, Pythias, domo effer cum monumentis [4].

1 Sic Acid. coniecit & Bentl. duobus Codd. firmatum recepit pro vulg. *qui? quaſi iſtuc*, quod parum aptum h. l. & ſqq.

2 Extimuit adoleſcens, quod ſoror in domo meretricia ſit; quare Thais eum ſtatim exſolvit cura.

3 *Quid ais?* percontativum eſt; uti illud *aisne?*

4 h. e. ſignis, quibus agnoſcatur.

C. Viden' tu illum, Thais [1]? *P.* ubi ſita eſt? *T.* in riſco. odioſa, ceſſas?
C. Militem ſecum ad te quantas copias [2] adducere?
At at. *T.* num formidoloſus obſecro es, mi homo? *C.* apage ſis.
Egon' formidoloſus? nemo eſt hominum, qui vivat, minus [3].
T. Atque ita opu' eſt. *C.* ah, metuo, qualem tu me eſſe hominem exiſtumes.
T. Immo hoc cogitato: quicum res tibi eſt, peregrinus [4] eſt,
Minus potens [5] quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.
C. Scio iſtuc: ſed tu quod cavere poſſis, ſtultum admittere eſt.
Malo ego nos proſpicere, quam hunc ulciſci accepta iniuria.
Tu abi, atque oſtium obſera intus [6], dum ego hinc tranſcurro ad forum:
Volo ego adeſſe hic advocatos nobis in turba [7] hac. *T.* mane.

1 Longe videre timoris eſt indicium, inquit Donat.

2 Timor auget. Sex erant homines, quos ille facit copias.

3 Etiam timidi non volunt videri tales.

4 Peregrinus tranquille agere debebat in civitate aliena; eique ſunt adverſus cives ipſos difficiles lites.

5 int. divitiis.

6 Metui ſuo ſpeciem prudentiae praetendit; eoque dat conſilium. cf. Sc. ſq. v. 14.

7 Ex metu augens dicit *tur-*

C. Melius eſt. *T.* mane. *C.* omitte, iam adero. *T.* nil opus eſt iſtis, Chreme:
Hoc modo dic, ſororem illam tuam eſſe, et te parvam virginem
Amiſiſſe, nunc cognoſſe: ſigna oſtende: *P.* adſunt. *T.* cape [1].
Si vim faciet, in ius ducito hominem: intellextin'? *C.* probe.
T. Fac, animo haec praeſenti [2] ut dicas. *C.* faciam. *T.* attolle pallium [3].
Perii, huic ipſi eſt opus patrono, quem defenſorem [4] paro.

ACTUS IV. SCENA VII. [5]

THRASO, GNATHO, SANGA, CHREMES, THAIS.

Thr. HAnccine ego ut contumeliam tam inſignem in me accipiam, Gnatho?

bam, ubi non erit niſi rixa inter paucos. Ubi multitudo rixae cauſa confluit, *turba* eſt.

1 int. ſigna.

2 Sic cum Donato multi ſcripti, quos ſequitur Bentl. Al. omittunt. *ut*.

3 ſ. collige; quod erat navi hominis, rem diligentius acturi. Alias in ſcena pallium demittere ſolebant Graeci, uti Romani togam. cf. Plaut. Capt. IV, 1, 12 ibique not. Taubm. & 2, 9.

4 Quem non decebat diſcedere. Sic dicebantur inter milites, qui nunquam ex acie exibant, ſed ordines ſemper ſervabant.

5 Eluditur hac ſcena ridiculus miles, qui adverſus mulierem quaſi cum exercitu ince-

Mori me ſatius eſt. Simalio, Donax, Syriſce, ſequimini.
Primum aedis expugnabo. *G.* recte. *Thr.* virginem eripiam. *G.* probe.
Thr. Male mulcabo [1] ipſam. *G.* pulchre. *Thr.* in medium huc agmen cum vecti Donax [2],
Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio eſt Sanga [3], et manipulus furum [4]? *S.* eccum adeſt.
Thr. Quid, ignave? periculon' pugnare, qui iſthunc huc portes, cogitas?
S. Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum:
Sine ſanguine hoc fieri non poſſe: qui abſtergerem volnera.

dit, magnas minas ad rem conferre trepidans, a muliere prudenter deluſus, a timido Chremete fortibus verbis impulſus, tandem ab ipſo paraſito, ſuo monitore, illuſus, ſeſe miſſo exercitu recipit, non niſi pacis ſuo ſumtu faciendae cauſa ſub finem fabulae rediturus. Multum autem ineſt delectationis in paratu militari magni militis & geſtis cum eo. Verſ. 1. *Ut*, quod male quidam libri omittunt, indignantis eſt, ut Phorm. IV, 3, 64 & Andr. I, 5, 29. & frequenter ap. Plautum.

1 h. e. proſtratam verberabo. Al. male enim edunt *multabo*.

2 *Donax* (latine arundo) *Simalio* (a ſimo l. ſimia) & *Syriſcus* (fiſtula parva) ridicula nomina ſervorum, qui milites eſſent.

3 *Sanga*, coquus erat.

4 h. e. militum expeditionum.

Thr. Ubi alii? *S.* qui, malum, alii? ſolus Sann
ſervat domi.

Thr. Tu hoſce inſtrue: hic ego ero poſt principi
inde omnibus ſignum dabo.

G. Illuc eſt ſapere: ut hoſce inſtruxit, ipſus ſ
cavit loco.

[1] *Thr:* Idem hoc iam Pyrrhus factitavit. *C.* viden'
Thais, quam hic rem agit?

Nimirum conſilium illud rectum eſt de occluden
aedibus.

Tha. Sane, [2] qui tibi nunc vir videtur eſſe, hic n
bulo magnus eſt:

Ne metuas. *Thr.* quid videtur? *G.* fundam tibi nu
nimis vellem dari,

Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facere
fugam.

Thr. Sed eccam Thaidem ipſam video [3]. *G.* qua
mox irruimus. *Thr.* mane.

1 Plerique MSS. omittunt nomen Thraſonis, ut totum ſit Gnathonis. Sed conveniunt bene in magnifice ineptum, qui ſummis nominibus ſuum miſcet; & infra V, 8, 3 ſe ad Herculem comparat.

2 Sic e pluribus Codd. & Donati MS. & edd. vett. (in quibus & eſt Argent. 149 reddidit Bentl. pro vulg. *qu* *videatur*.

3 Miles vultu geſtuqu tanquam ad certamen comp ſito, cum ſtrepitu hoc inſe Hinc paraſitus, *quam mox* *ruimus*?

[1] Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet [2].
Qui ſcis, an, quae iubeam, ſine vi faciat? *G.* dii voſtram fidem,
Quanti eſt ſapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
Thr. Thais, primum hoc mihi reſponde [3]: cum tibi do iſtam virginem,
Dixtin' hos mihi dies ſoli dare te? *Tha.* quid tum poſtea? *Thr.* rogitas,
Quae mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum?
Tha. Quid? cum illoc agas [4]. *Thr.* et cum eo clam te ſubduxti mihi?

1 Verſus hic, cui ſubveniendum, poſt *armis* intelligendo *experiri*, tentatur varie a Criticis. Nonius poſt *experiri* indit *conſilio*; Aldus, quem ſequitur Heinſius, *verbis*; Bentl. reſcribit *arma*; Guyet. *ſapientem* expungit. Nos putamus, conciliari leniſſime pacem, legendo: *O. p. exp. quam armis, ſapientia, decet.* In *ſapientia* ineſt ratio & lenitas.

2 Quantum delectant in Comoediis ſeverae ſententiae, cum a ridiculis perſonis proferuntur!

3 Non minus nunc inepti litigatoris, quam hactenus inepti militis, ſpecimen dabit Thraſo. Satis quidem ſpecioſe & graviter orditur, ut quae ſub pacto & conditione tradita erat, eam pacto non ſervato repoſcat.

4 h. e. cum ipſo Chrem. loquaris. Vult enim a ſe transmovere fixam ad eum, qui meliori iure utatur. Vulg. *quid cum illoc agas?* confuſum ſ. nullum ſenſum verum gignit. Unde & vet. ed. Argent. 1496 legebat *quid c. i. agis?* h. e. quid tibi rei eſt cum illo? Al. iſta verba etiam Thraſoni tribuunt, ſed praeter Codd. & ſenſum. Clericus volebat *quis*

Tha. Libuit. *Thr.* Pamphilam ergo huc redde, niſi ſi mavis eripi.
C. Tibi illam reddat [1]? aut tu illam tangas? omnium [2]. *G.* ah, quid agis? tace [3].
Thr. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? *C.* tuam autem, furcifer?
G. Cave ſis: neſcis, cui maledicas nunc viro. *C.* non tu hinc abis?
Scin tu, ut tibi res ſe habeat [4]? ſi quidquam hodie hic turpe coeperis,
Faciam, ut huius loci, dieique, meique ſemper memineris [5].
G. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
C. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. *G.* ain' vero canis [6]?

cum illo &c. quod quidem non abludit a ſenſu noſtro; ſed & ſic oporteat *agis.*

1 Iam ſumit animum Chr. contra eum, quem, Thais nebulonem dixerat.

2 Apoſiopeſis; & plus loquitur geſtu, quàm verbis.

3 Videtur Gnatho ipſe ſapientia experiri, cum lenius ſuum defendit.

4 Prius *non tu hinc abis?* paraſito; poſterius *ſcin tu* &c. militi Chremes dicit.

5 Ita ſe ex timore primo collegit Chremes, quum prima ei ſuccederent, ut nunc vehementius minetur ei, quem, nebulonem eſſe, iam viderat. Et dein magis magiſque augentur animi.

6 Hoc ſubmiſſa voce dixiſſe videtur Gnatho, & audiente magis Thraſone, quam Chremete. Mox clarius exclamat: *Siccine agis?*

Siccine agis ? *Thr.* quis tu homo es ? quid tibi vis ? quid cum illa rei tibi eſt ?
C. Scibis. principio eam eſſe dico liberam. *Thr.* hem. *C.* civem Atticam. *Thr.* hui.
C. Meam ſororem. *Thr.* os durum [1]. *C.* miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et ſigna oſtendam haec. *Thr.* tun' me prohibeas,
Meam ne tangam ? *C.* prohibeo, inquam [2]. *G.* audin' tu ? hic furti ſe alligat.
Satis hoc tibi eſt. *Thr.* idem hoc tu ais ? *Tha.* quaere, qui reſpondeat.
Thr. Quid nunc agimus ? *G.* quin redeamus : iam haec tibi aderit ſupplicans
Ultro. *Thr.* credin' ? *G.* immo certe : novi ingenium mulierum :
Nolunt, ubi velis : ubi nolis, cupiunt ultro. *Thr.* bene putas.

1 Male hoc dictum explicant docti viri inde a Donato, tanquam conviciando diceret *hominem impudentem.* Tantum non audebat Thraſo: ſed perculſus dictis Chremetis, uti ante exclamaverat *hem-hui-*ita tandem addit *os durum*, h. e. durius eſt id, quam quod molliatur ſ. concoquatur. Et eſt h. l. non *oris* ſed *oſſis* durum.

2 Illudit. Scil. Thraſoni *meam ne tangam ?* ſimpliciter reſpondet : *prohibeo*, quaſi *etiam ne tangas.*

G. Iam dimitto exercitum? *Thr.* ubi vis. *G.* Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domi focique fac viciſſim ut memineris [1].
S. Iamdudum animus eſt in patinis. *G.* frugi es [2].
Thr. vos me hac ſequimini.

ACTUS V. SCENA I.

THAIS, PYTHIAS.

[3] *T.* PErgin', ſceleſta, mecum perplexe loqui?
Scio, neſcio: abiit: audivi: ego non affui.
Non tu iſtuc mihi dictura aperte es, quidquid eſt?
Virgo conſciſſa veſte lacrumans obticet [4]:
Eunuchus abiit. quamobrem? quid factum eſt? taces?
P. Quid tibi ego dicam miſera? illum eunuchum negant
Fuiſſe. *T.* quis fuit igitur? *P.* iſte Chaerea.
T. Qui Chaerea? *P.* iſte ephebus frater Phaedriae.
T. Quid ais, venefica? *P.* atqui certo comperi.
T. Quid is, obſecro [5], ad nos? quamobrem adductu' eſt? *P.* neſcio,

1 Feſtive Sangam, coquum, iubet redire ad curam domi focique, ſcil. unum ex illis, qui cum pro aris focisque pugnare deberent, ad epulas tamen magis facti ſunt.

2 Coqui certe animos in patinis; uti paraſiti. Ita illis huic *frugi homo* dicitur.

3 Nunc demum virginem, quam defenderat tantopere Thais, vitiatam audit. Sed omnis contumelia & infortunium mox abibit in nuptias.

4 Obticemus, cum pudet.

5 Dolens interrogat.

Niſi amaſſe credo Pamphilam. *T.* hem, miſera occidi,
Infelix, ſi quidem tu iſthaec vera praedicas.
Num id lacrumat virgo? *P.* id opinor. *T.* quid ais, ſacrilega?
Iſtuccine interminata ſum hinc abiens tibi?
P. Quid facerem? ita ut tu iuſti, ſoli credita eſt.
T. Sceleſta, ovem lupo [1] commiſti. diſpudet,
Sic mihi data eſſe verba. [2] quid illuc hominis eſt?
P. Hera mea tace, obſecro, ſalvae ſumus:
Habemus hominem ipſum. *T.* ubi is eſt? hem, ad ſiniſtram,
Vides ne? *T.* video. *P.* comprendi iube, quantum poteſt.
T. Quid illo [3] faciemus ſtulta? *P.* quid facias, rogas?
Vide amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur [4]. *T.* non eſt. [5] *P.* tum, quae eius confidentia eſt.

1 Bentl. *commiſi;* male.

2 Conſpicata ſubito Chaeream, ſed non ſtatim agnoſcens, quaerit *quid illuc* &c.

3 Sic Faern. & alii optimi Codd. cf. Andr. III, 5, 8. IV, 2, 26. Ad. IV, 4, 2. ac Plautus paſſim *facere* ablativo iungit, ut in Mil. *quid illa faciemus concubina.* Sed multi ſcripti & edd. *illi*, uti mox V, 2, 10 & ſupra Andr. I, 1, 85. Itaque nec hoc damnamus.

4 Haud fere habens, quid reſpondeat, vult, credimus, heram incendere, ut ipſa quaerat, quomodo ulciſcendus ſit adoleſcens, cuius intemperantia vel ex ipſo vultu conſpicua ſit.

5 Al. & hoc a Pythia dictum tribuunt Thaidi praeter ſenſum. *Confidentia* h. l. eſt audacia. Sed quorſum Thais hanc arguat, cum mitiora conſilia iamiam agitet.

ACTUS V. SCENA II.

CHAEREA, THAIS, PYTHIAS.

C.[1] APud Antiphonem uterque, mater et pater,
Quaſi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire poſſem, quin viderent me. interim
Dum ante oſtium ſto, notus mihi quidam obviam
Venit. ubi vidi, ego me in pedes [2], quantum queo,
In angiportum quoddam deſertum, inde item
In aliud, inde in aliud. ita miſerrimus [3]
Fui fugitando, ne quis me cognoſceret.
Sed eſt ne haec Thais, quam video? ipſa eſt. haereo
Quid faciam. quid mea autem [4]? quid faciet mihi?
T. Adeamus. bone vir Dore, ſalve [5]: dic mihi,
Aufugiſtin'? *C.* hera, factum. *T.* ſatin' id tibi placet?
C. Non. *T.* credin' te impune habiturum? *C.* unam hanc [6] noxiam

1 Cauſam reddit poeta, quamobrem habitu Eunuchi, in quo facinus admiſerat, Chaerea reverteretur, adeoque agnoſceretur. Deprehenſus ſic & ad honeſtiora motus, nuptias vitiatae pollicetur.

2 int. conieci.

3 h. l. laſſus omnino.

4 Colligit ſe rurſus ex metu & incertitudine Chaerea.

5 Ironia iraſcentibus familiari orditur; eaque re occaſionem praebet lepori comico. Nam Chaerea, quaſi ſervus eſſet, compellatus, eadem figura ludens, pro ſervo ſe gerit: fatetur, cauſatur, deprecatur in modum ſervilem; cf. Andr. V, 2, 22.

6 MS. Lipſ. & Alciatus legunt male *noxam*. *Noxiam* h. e. culpam poſcit & ſenſus & metrum.

[1] Amitte: ſi aliam admiſero unquam [2], occidito.
T. Num meam ſaevitiam veritus es? *C.* non. *T.* quid igitur?
C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. Quid feceras? *C.* paululum quiddam. *P.* eho, paululum, impudens?
An paulum eſſe hoc tibi videtur, virginem
Vitiare civem? *C.* conſervam eſſe credidi.
P. Conſervam? vix me contineo [3], quin involem in
Capillum. monſtrum! etiam ultro deriſum advenit.
T. Abin' hinc inſana? *P.* quid ita vero [4]? debeam [5],
Credo, iſti quidquam furcifero, ſi id fecerim;
Praeſertim cum ſe ſervom fateatur tuum.
T. Miſſa haec faciamus [6]. non te dignum, Chaerea,

1 MSS. & edd. variant., *mitte*, *amitte*, *dimitte*, *omitte*. Metro quidem adverſatur *mitte*; unde prima litera abſorpta videtur priori voce *noxam*. Faern. & Bentl. ex Codd. ſuis dederunt *amitte*; quod & ſenſum *omittendi* ſ. *dimittendi* habet. Placeret tamen magis in hac inconſtantia *remitte*, quod Plaut. huic nomini iungit Moſtel. V, 2, 47. Si malis *amitte*, int. *ex animo*.

2 Al. poſt *unquam* ingerunt *ullam*, contra Codd.

3 Vide maiores iras Pythiae ob contemtam conditionem ſuam. Nemo eſt tam abiectus, quin doleat ſe ab aliis contemni, derideri. Minas & convicia iacit, dum licebat, h. e. dum Chaerea ſimulabat ſervum.

4 *Quid ita vero?* indignantis eſt, uti illud *itane vero?*

5 Cum ironia dicit, hac vi: an in eum peccem, ut iure ſuo a me poenas exigat, ſi id feci praeſertim cum &c. Haud ſatis diſſimulat, ſe Chaeream noſſe.

6 int. verborum ludibria, & ſerio loquamur in re ſeria.

Feciſti: nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maxime [1], at tu indignus [2] qui faceres tamen.
Neque aedepol, quid nunc conſili capiam, ſcio,
De virgine iſtac, ita conturbaſti mihi
Rationes omnes, ut eam non poſſim ſuis,
Ita, ut aequom fuerat, atque ut ſtudui, tradere, ut
3 Solidum parerem hoc mihi beneficium, Chaerea.
C. At nunc dehinc ſpero aeternam inter nos gratiam

1 Callide aggreditur Chaeream, perita animos adoleſcentum tractandi mulier; eumque ſublata ſtatim cauſa contumelioſe reſpondendi, impellit ad nuptias. Poeta vero ore mulieris adoleſcentes in vulgus monet, ut ne aliis, forſan dignis, contumeliam inferendo, ipſi contra dignitatem ſuam agant.

2 In laude eſt h. l. uti Hecyr. III, 5, 27. Hor. Serm. II, 2, 103.

3 Verſus, in quo nemo haeret, nobis conturbatus videtur. Senſus quidem non alius, quam quem ipſa Thais ſupra I, 2, 69 *cupio aliquos parare amicos beneficio meo.* Sed & verba diſplicent, nec procedit ſenarius. Ed. vet. c. figg. (quae ſaepius c. lectt. edd. Tarv. & Mediol. conſpirat) habet: *ut ſolidum hoc pararem mihi benef. Chaerea.* Arridet nobis verbum *parare;* ſed τὸ *ut* impeditam efficit conſtructionem; & nomen *Chaereae* (quod Don. blande additum putat) in blanda & clemente oratione tota ſupervacuum videtur. Itaque reſcribendum putamus: *&* (quod priorem verſum claudat) *Solidam hoc* | *pa-ra* | *re bene* | *ficio* | *mi gra* | *tiam.* Unde reponit ipſe Chaer. *At nunc-aeternam inter nos gratiam.* Gratia *ſolida* & *aeterna* optime conveniunt; quippe *ſolidum* opponitur *fragili* Hor. Serm. II, 1, 77. & *gratiam ſolidam* dicunt Ovid. Met. XII, 576 & Plaut. Curc. III, 35. Sic & totum hoc dictum verius refertur illi, *ut non poſſim–tradere &-parare.* Iudicent alii, an expellenda ſit vulg. ut peregrina, noſtraque civitatem mereatur.

Fore [1], Thais. ſaepe ex huiuſmodi re quapiam, et
Malo ex principio magna familiaritas
Conflata eſt. quid, ſi hoc [2] voluit quiſpiam deus?
T. Equidem pol in eam partem accipioque et volo.
C. Immo ita quaeſo. unum hoc ſcito, contumeliae
Non me feciſſe cauſa [3], ſed amoris. *T.* ſcio [4],
Et pol propterea magis nunc ignoſco tibi.
Non adeo inhumano ingenio ſum, Chaerea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, neſciam.
C. Te quoque iam, Thais, ita me dii bene ament, amo.
P. Tum pol ab iſtoc, tibi, hera, cavendum intellego [5].
C. Non auſim. *P.* nihil tibi quidquam credo. *T.* deſinas.
C. Nunc ego te in hac re mi oro, ut adiutrix ſies:
Ego me tuae commendo et committo fidei.
Te mihi patronam capio, Thais: te obſecro:
Emoriar, ſi non hanc uxorem duxero.

1 cf. cum dictis Chaereae, ea quae ap. Liv. I, 9. Romulus Sabinas nuptas ambiendo monet: *Mollirent modo iras: & quibus fors corpora dediſſet, darent animos. Saepe ex iniuria poſtmodum gratiam ortam: eoque melioribus uſuras viris, quod annixurus quiſque ſit &c.*

2 Virginis copiam, mihi factam. (cf. Plaut. Aul. IV, 10, 7) Inde ſpem facit nuptiarum, quas ipſe Deus praeiudicaverit.

3 Placatae iam Thaidi ipſe nunc comitatis vices reddit, gratuſque eſſe cupit.

4 Sc. ex eo quod adeo non dubitaverit Chaer. ſervilem induere formam.

5 Comice monet ſerva heram cavere ſibi ab homine, aeque illuſuro, ut Pamph. virgini.

T. Tamen ſi pater [1]. *C.* quid? ah volet, certo ſcio,
Civis modo haec ſit. *T.* paululum opperirier
Si vis, iam frater ipſe hic aderit virginis:
Nutricem arceſſitum iit, quae illam aluit parvolam:
In cognoſcendo tute ipſe aderis, Chaerea.
C. Ego vero maneo. *T.* viſne interea, dum venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante oſtium?
C. Immo percupio. *P.* quam tu rem actura, obſe-
cro, es?
T. Nam quid ita? *P.* rogitas? hunc tu in aedes cogitas
Recipere poſthac [2]? *T.* cur non? *P.* crede hoc meae
fidei [3],
Dabit hic aliquam pugnam denuo [4]. *T.* au, tace,
obſecro.
P. Parum perſpexe eius videre audaciam.
C. Non faciam, Pythias. *P.* non pol, credo, Chaerea,
Niſi ſi commiſſum non erit [5]. *C.* quin, Pythias,
Tu me ſervato [6]. *P.* neque pol ſervandum tibi
Quidquam dare auſim, neque te ſervare: apage te.
T. Optime adeſt ipſe frater. *C.* perii hercle: obſecro
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veſte videat. *T.* quamobrem tandem? an
quia pudet?

1 int. non volet.

2 h. e. poſt ea, quae facta ſunt.

3 h. e. mihi, quam veracem noſti.

4 Supra IV, 3, 11 *quas turbas dedit.*

5 int. quidquam facinoris.

6 Comice hoc dicit garrulae, eaque puellariter reſpondet.

C. Id ipſum. *P.* id ipſum [1] ? virgo vero [2]. *T.* i prae, ſequor.
Tu iſtic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

ACTUS V. SCENA III.

PYTHIAS, CHREMES, SOPHRONA.

P. [3] Quid ? quid venire in menten nunc poſſit mihi ?
Quidnam, qui referam ſacrilego illi gratiam,
Qui hunc ſuppoſuit nobis ? *C.* move vero [4] ocius
Te, nutrix. *S.* moveo. *C.* video, ſed nihil promoves.
P. Iamne oſtendiſti ſigna nutrici [5] ? *C.* omnia.
P. Amabo, quid ait ? cognoſcit ne ? *C.* ac memoriter.
P. Bene aedepol narras : nam illi faveo virgini.

1 Vulſum dictumque Chaereae imitatur Pythias.

2 Al. ironice ſic dictum ipſum Chaeream putant, quod tam pudens ſit. Al. rectius, ut credimus, trahunt ad virginem, cui vitium inferre ipſum non puduerit.

3 Cum ad cataſtrophen, ſ. Chaereae nuptias, opus ſit paterna voluntate, illa ita praeparat, ut quos meditatur Pythias, ultionis avida, & ſcena ſq. Parmenoni reddit ludos, delectationi ſpectatorum egregie compoſitos, ii Parmenonem ad indicium patri faciendum impellant; qui filio, ut putabat, periclitanti ſubventurus, ad Thaidem properat, & reſcita veritate in nuptias filii conſentit.

4 *Vero* h. l. indignantis, ob lentum nutricis gradum.

5 Feſtinantius haec ad Chremetem, quem bona brevius renuntiantem aeque ut nutricem amovet, ludendo Parmenoni intenta.

Ite intro: iam dudum hera vos exſpectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere.
Video: viden' ut otioſus it [1], ſi diis placet [2].
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum ſciam:
Poſt [3] exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum.

ACTUS V. SCENA IV.

PARMENO, PYTHIAS.

Pa. REviſo, quidnam Chaerea hic rerum gerat.
Quod ſi aſtu rem tractavit, dii voſtram fidem,
Quantam, et quam veram laudem capiet Parmeno?
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, et
Cariſſimum ab [4] meretrice avara, virginem
Quam amabat [5], eam confeci [6] ſine moleſtia,

1 Uti Davus in Andr. V, 2, 1, quaſi re bene geſta ſecurus animo otioſo eſſe imperabat. Sed Parm. ſtatim perturbabitur, ut illic Davus.

2 Formula indignantis l. aſpernantis, h. l. cum ironia; vid. Adelph. III, 4, 30. cf. Liv. VI. 40, 6. Cic. in Piſ. 16. Quint. VIII, 3, 44.

3 Bentl. reſcribit *exeo*, ut venuſtius h. l. uti ſupra III, 2.

4 *Ab* h. l. notat principium, l. unde fuerit illa difficultas & caritas. Colum. VIII, 5, 9, *a matre pulli non exiguis pretiis veneunt:* ſic amori ſ. virgini a meretrice eſt caritas; & Ter. Hec. VI, 4, 45, *neutra in re vobis difficultas a me erit.* Tacemus alia. Audacter vero, nec acute Bentl. edit *a mer. avara virginem quo amabat, eum conſ.* & vult *a mer. amare*, & huc trahit Plautinum illud: *amare a lenone* h. e. puellam e domo lenonis.

5 Appoſitio amoris. *Amatae* ſc. & dicuntur *amores.*

6 Plures MSS. & edd. vett.

Sine ſumptu, ſine diſpendio. tum hoc alterum,
Id vero eſt, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperiſſe, quo modo adoleſcentulus
Meretricum ingenia et mores poſſet noſcere,
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit [1].
Quae dum foris ſunt, nil videtur mundius,
Nec mage compoſitum [2] quidquam, nec magis elegans.
Quae cum amatore ſuo cum coenant, [3] liguriunt:

addunt *ut potiretur*; quod gloſſema huc ingeſtum ex Phorm. V, 5, 2 *curavi, propria ea ut Ph. potiretur*: atque ea vis ſane ap. noſtrum frequenter verbo *conficere* ineſt, ut ibid. v. 3. Adelph. IV, 5, 9 & paſſim *conficere* l. *efficere nuptias, argentum* &c. cf. & Cic. p. L. Manil. 10 & 20. ad fam. IX, 13, 9. & Suet. Caeſ. 5. pariter uti Graecorum *διαπράττεσθαι*. Invenuſte, pro more ſuo, Donat. & alii verbum trahunt ad virginem devictam & rem in ea confectam, proelium quaſi fuerit gladiatorium.

1 En, quam prudentiae ſpeciem praetendat flagitio. Sunt & hodie magiſtri tam callidi, ut adoleſcentes indulgendo, praeeundo perire ſinant.

2 int. in modum ſ. modeſtiam.

3 Al. *ligurriunt*. Male vero hunc verſum diſpungunt edd. a ſqq. cum pars antecedentis ſit, cui contraria ſunt conſeqq. Stultiſſime autem Bentl. hunc verſum ſtultitiae arguens expungit, ut ingeſtum. *Ligurire* eſt *multo faſtidio ſuaviora quaeque deguſtare*, uti Heaut. III, 1, 48 in coena Bacchidi data, inquit Chremes: *pytiſſando modo mihi quid vini abſumſit*. Sic certe bona facilius abliguriuntur (uti ſupra II, 2, 4 de homine *haud impuro* dictum) quam devorando. Inepte hanc vim ſubdit verbo Bentl. quum Cic. in Verr. III, 76 *lucra ligurire* & *pecuniam publ. devorare* diverſa faciat. Eſt noſtrum a λιγυς ſuavis, non a λιχνος guloſus.

Harum videre [1], ingluviem [2], ſordes, inopiam;
Quam inhoneſtae ſolae ſint domi, atque avidae cibi;
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent;
Noſſe omnia haec, ſalus eſt adoleſcentulis.
Py. Ego pol te pro iſtis dictis et factis, ſcelus,
Ulciſcar; ut ne impune in nos inluſeris [3].

ACTUS V. SCENA V.

PYTHIAS, PARMENO.

Py. PRo deum fidem, facinus foedum [4]! o infelicem adoleſcentulum,
O ſceleſtum Parmenonem, qui iſtum huc adduxit! *Pa.* quid eſt?
Py. Miſeret me: itaque, ut ne viderem, miſera huc effugi foras.
Quae futura exempla dicunt in eum indigna? *Pa.* o Iuppiter,

1 ſc. eſt ſalus, quod in fine dicitur.

2 Quod Faern. tuetur. Bentl. edidit *inluviem*, haud recte.

3 Pyth. regreſſa forſan v. 8 ſubſtitiſſe videtur, & ſecum loquenti Parm. aures praebuit, auditiſque haec ad ſpectatores dicit; dein exclamans de infortunio Chaereae propius accedit. Unde Bentl. ſcenam ſequenti coniungit. Sed tamen novum metrum incipit a clamore Pythiae.

4 Aptiſſime ſimulando perturbatam, Pythias ipſa ſtatim Parm. percellit; & orditur ab implorando Iove, quaſi nonniſi eius interventu averti poſſet ſummum infortunium a Chaerea.

Quae illaec turba eſt? numnam ego perii? adibo. quid iſtuc Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *Py.* rogitas audaciſſume?
Perdidiſti iſtum, quem adduxti pro eunucho, adoleſcentulum.
Dum ſtudes dare verba nobis. *Pa.* quid ita? aut quid factum eſt? cedo.
Py. Dicam: virginem iſtam, Thaidi quae hodie dono data eſt,
Scin' eam hinc civem eſſe? et fratrem eius eſſe adprime nobilem?
Pa. Neſcio [1]. *Py.* atqui ſic inventa eſt: eam iſte vitiavit miſer.
Ille ubi id reſcivit factum frater violentiſſimus:
Pa. Quidnam fecit [2]? *Py.* conligavit primum eum miſeris modis.
Pa. Conligavit? *Py.* atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
Pa. Quid ais? *Py.* nunc minatur porro ſeſe id, quod moechis ſolet:
Quod ego nunquam fieri vidi, neque velim. *Pa.* qua audacia

1 Potuit dicere *neſciebam;* ſed reſpondet quaſi: *quid haec ego ſciam?*

2 Violentia fratris audita terretur, ſtatimque rogat. Sed ſerva gradibus & dein utitur in torquendo Parmenone.

Tantum facinus audet? *Py.* quid ita tantum? *Pa.* an non hoc maxumum eſt?
Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia
Prendi quemquam? *Py.* neſcio [1]. *Pa.* at ne hoc neſciatis, Pythias,
Dico, edico [2] vobis, noſtrum eſſe illum herilem filium. *Py.* hem [3],
Obſecro, an is eſt? *Pa.* ne quam in illum Thais vim fieri ſinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? *Py.* vide Parmeno
Quid agas, ne neque illi proſis, et tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum eſt, ex te eſſe ortum. *Pa.* quid igitur faciam miſer [4]?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem ſenem.
Dicam huic, an non? dicam hercle: etſi mihi magnum malum
Scio paratum: ſed neceſſe eſt, huic ut ſubveniat. *Py.* ſapis:
Ego abeo intro: tu iſti narrato ordine, ut factum ſiet.

1 Reddit ſerva illud *neſcio*.
2 *Edico* h. l. Auxeſis.
3 Iam ſecum laeta ſimulat ſe aliquantum territam.
4 Iam ſibi ſimul magis timens, & deſperans de ſalute Chaereae, eius liberandi cauſa periculum adit, haud tamen adeo praeſens, quam quod a Thaide timuit. Serva vero, cum ſic ultione ſe expleſſet, regreditur diſſimulans laetitiam.

ACTUS V. SCENA VI.

LACHES, PARMENO.

L. [1] Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi ſatias coepit fieri, commuto locum.
Sed eſtne ille noſter Parmeno? et certe ipſus eſt.
Quem praeſtolare, Parmeno, hic ante oſtium?
P. Quis homo eſt? ehem [2], ſalvum te [3] adveniſſe, here, gaudeo.
L. Quem praeſtolare? *P.* perii: lingua haeret metu. *L.* hem,
Quid eſt? quid trepidas? ſati' ne ſalve [4]? dic mihi.
P. Here, primum te arbitrari id, quod res eſt, velim:
Quidquid huius factum eſt, culpa non factum eſt mea [5].
L. Quid? *P.* recte ſane interrogaſti, oportuit

1 Senis huius nomen, quod ap. Terentium non eſt, (ap. Menandrum *Simon*) a Grammaticis vett. appoſitum. Is vero iam otioſus, rus ſuum laudans, mox in curas coniicietur.

2 Servus quaſi de improviſo reſpicit ad herum, iam ante ſibi viſum.

3 Sic rectius ex Codd. et edd. vett. Bentleius. Vulg. *advenire*.

4 ſ. recte, int. ſunt omnia? ſ. agitis? Sic Plaut. Trin. V, 2, 53. Liv. I, 58. cf. Andr. IV, 6, 9. & Apul. Met. I *quam ſalve agit* &c. Al. malunt *ſalvae*, int. res ſunt. Sed Donat. per adv. exponit, laudatque Salluſtium, quem v. fragm. L. VI. ed Bip. p. 265.

5 Invertit, ſibi timens &

Rem praenarraſſe me. emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. *L.* cui? *P.* Thaidi.
L. Emit? perii hercle, quanti [1]? *P.* viginti minis.
L. Actum eſt. *P.* tum quandam fidicinam amat hic Chaerea.
L. Hem! quid? amat? an ſcit iam ille, quid meretrix ſiet?
An in aſtu venit? aliud ex alio malum.
P. Here, ne me ſpectes [2]: me impulſore haec non facit.
L. Omitte de te dicere. ego te, furcifer,
Si vivo. ſed iſtuc, quidquid eſt, primum expedi [3].
P. Is pro illo Eunucho ad Thaidem deductus eſt.
L. Pro Eunuchon'? *P.* ſic eſt. hunc pro moecho poſtea
Comprehendere intus, et conſtrinxere. *L.* occidi.
P. Audaciam meretricum ſpecta [4]. *L.* numquid eſt
Aliud mali, damnive, quod non dixeris,
Reliquom? *P.* tantum eſt. *L.* ceſſon' huc introrumpere?

ut ſe praemuniat, ordinem, ante ſe excuſando, quam rem narraverit.

1 Senis cura magis in re familiari verſatur, quam in filiorum moribus.

2 Alterum noxiae indicium, quod nec fugit ſenem.

3 Bene differt ſenex punitionem ſervi, cui ex nuptiis gratia erit. Et uterque feſtinant narrationis finem, unde exitum repetet fabula.

4 Iram ſenis in meretricem avertere ſtudet.

P. Non dubium eſt, quia mihi magnum ex hac re ſit malum,
Niſi quia [1] neceſſum fuit hoc facere; id gaudeo,
Propter me hiſce aliquid eſſe eventurum mali [2]:
Nam iamdiu aliquam cauſam quaerebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret iis: nunc repperit.

ACTUS V. SCENA VII.

PYTHIAS, PARMENO.

Py.[3] NUnquam aedepol quidquam iam diu, quod magis vellem evenire,
Mi evenit, quam quod modo ſenex intro ad nos venit errans.
Mihi ſolae ridiculo fuit, quae, quid timeret, ſcibam [4].
Pa. Quid hoc autem eſt? *Py.* nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi, obſecro, is eſt? *Pa.* me quaerit haec. *Py.* atque eccum video: adibo [5].
Pa. Quid eſt inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *Py.* perii.

1 h. e. praeterquam quod.

2 Perditis ex ultione etiam ſolatium. cf. Adelph. III, 2, 15.

3 Cachinnans ingreditur Pythias, & laeta ex ultione, quae ipſi evenerat, & narratura, quae intus in melius acta.

4 Denuo in riſum effunditur.

5 Cachinnans rurſum.

Defeſſa iam ſum miſera te ridendo. *Pa.* quid ita? *Py.* rogitas?
Nunquam pol hominem ſtultiorem vidi, nec videbo. ah,
[1] Non poteſt ſatis narrari, quos ludos praebueris intus [2].
[3] At etiam primo callidum [4] et diſertum [5] credidi hominem.
[6] Quid? illicone credere ea, quae dixi, oportuit te?
An poenitebat flagitii [7], te auctore quod feciſſet
Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuiſſe, ubi veſtem vidit
Illam eſſe eum indutum pater? quid eſt? iam ſcis, te periſſe?

1 Al. *non poſſum ſatis narrare;* quod Bentl. praefert. Al. *non ſatis pote.*

2 Quos dicit intus ludos praebitos, eos magis conficit in ſcena, Parmenonem eludens. Facta intus erat cataſtrophe, mox proferenda in ſcenam.

3 Haec pronuntiantur inter cachinnos.

4 Quo minus temere crederes.

5 h. e. nec tam futilem, ut quaevis accepta narrares.

6 Reddimus cum libb. ant. & edd. *to quid* Pythiae, ut inſerviat quaeſtioni irriſoriae; uti dein: *nam quid – credis;* & alibi *quid itane* &c. Vulg. hoc Parmenoni excidiſſe volunt.

7 h. e. an parvum tibi videbatur flagitium. Sic Heaut. I, 1, 10 *me, quantum hic operis fiat, poenitet.* Antea ſtultum deriſit, nunc & malum increpat.

Pa. Ehem, quid dixiſti peſſuma? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi viſum eſt, ſcelus, nos irridere? *Py.* nimium.
Pa. Siquidem iſtuc impune habueris [1]. *Py.* verum [2]. *Pa.* reddam hercle. *Py.* credo:
Sed in diem [3] iſtuc, Parmeno, eſt fortaſſe, quod [4] minare:
Tu iam pendebis, qui [5] ſtultum adoleſcentulum nobilitas [6]
Flagitiis, et eundem [7] patri indicas. uterque in te exempla [8] edent.

1 Supple ex Eun. IV, 7, 2 *emoriar.* Apoſiopeſis comminantium frequens.

2 *Verum* irridentis eſt, uti dein *credo.*

3 int. futurum eumque remotum. Sic Phorm. V, 2, 12. *In diem abiit malum, quod praeſens fuerat.* Cic. pro Cael. c. 24 *in diem poenas praeſentis fraudis dii reſervant.*

4 Quod ex antiquis libb. ap. Faern. & ex pleriſque ſuis reddidit Bentl. pro vulg. *minitare*, quod metro adverſum.

5 Bentl. refingit *ſtulte quid ad.* Sed iam ſatis ſtultitiam ſervo obiecerat: & credas *ſtultum* hic dici ex amore & ex prima aetate imprudentem Chaeream, nonniſi auctore ſervo ad haec impulſum.

6 h. e. inſignem facis, h. l. in peiorem partem, uti Cic. Off. II, 7 Phalaridis *nobilitata crudelitas*, & Plaut. Rud. III, 2, 5 *qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.* Quod quidam MSS. & edd. vett. *denobilitas* habent, a Grammaticis foedum eſt.

7 Sic duo Codd. Reg. & Acad. ap. Bentl. Vulg. omittit *patri;* unde vero ſic *uterque* (& filius & pater)? Bentl. vero expungit *eundem*, in quo & omnes libb. conveniunt, nec metrum laeditur.

8 h. e. poenas graviſſimas, quae ſint ad exemplum.

Pa. Nullus ſum. *Py.* hic pro illo munere tibi honos eſt habitus, abeo.

Pa. Egomet meo indicio miſer, quaſi ſorex, hodie perii [1].

ACTUS V. SCENA VIII.

GNATHO, THRASO.

G. [2] QUid nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus? quid inceptas, Thraſo?

T. Egone? ut Thaidi me dedam [3], et faciam quod iubeat. quid eſt,

Qui minus [4] huic, quam Hercules ſervivit Omphalae? *G.* exemplum placet.

1 cf. Auguſt. Ep. de ordine L. I, c. 3. ubi dictum hoc Ter. ſibi congruere dicit.

2 Inanis conſilio miles tentat redire ad Thaidem cum aſſecla ſuo, cuius ingenio utitur, quando ſe expedire nequit. Nec ſane miles placeat ſpectatoribus abſque comite & deriſore ſuo.

3 *Dedam-iubeat.* Militariter uſque loquitur. Deditis iubet victor.

4 int. *id faciam—quam*; & eſt *qui* antiquus ablat. Vulg. autem *Io quid eſt?* quaſi miranti Gnathoni tribuunt. Sed rectius ſic quaeſiſſet *quid ais?* quod Bentl. pro lubitu reſcripſit. Rectius vero Weſterhovii ſententiam amplectimur, qua is perſona Gnathonis omiſſa, Thraſoni & haec cum ſqq. tribuit. Thraſo nimirum viſo mirantis Gnathonis vultu quaerit *quid eſt* (uti ſupra III, 1, 37) ſtatimque ſtultitiae ſuae munimentum quaerit ab exemplo Herculis, uti ſupra ſe ad Pyrrhum comparavit IV, 7, 13. Glorioſa ſunt a milite, ioci a Gnathone. Quare miramur, G. Fabr. haec omnia *quid eſt—Omphalae* dicta voluiſſe a Gna-

Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput!
Sed fores crepuerunt ab ea. *T.* perii. quid hoc autem eſt mali?
Hunc [1] ego nunquam videram etiam: quidnam properans hinc proſilit?

ACTUS V. SCENA IX.

CHAEREA, PARMENO, GNATHO, THRASO.

C. [2] O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercle quiſquam. nam in me plane dii [3] poteſtatem ſuam
Omnem oſtendere [4], cui tam ſubito tot [5] contigerint commoda.

thone, quomodo & ed. recuſa 1580 ad rationem Melancht. & Eraſmi habet. Et iidem tribuunt verba *ex. pl.* Thraſoni; quod ineptum. Sunt verba adulantis in os ſtulti; ſed idem Gn. ad ſpectatores converſus & ſummiſſiori voce exemplum ad irriſionem militis exſequitur *Utinam* &c.

1 Chaeream miratur.

2 Cataſtrophen intus factam nuntiat, iam de nuptiis etiam magis & iuſtius exultans Chaerea, quam olim ſtulte laetus, cum virgine potitus eſſet. Unde & Parm. gaudio redditus. Sed & fratri Phaedriae amor Thaidis iam ſecurior evaſit a patre. Denique poeta Thraſonem intermedio Gnathone cum illis conciliat, quomodo dignus erat pro ſtultitia ſua. Sic tandem omnibus laeta evenerunt.

3 Quam h. l. diis tribuit, eam dein Fortunae Deae adſcribit, in qua omnis videtur Deorum poteſtas.

4 Deſcriptio ſummae felicitatis, qualis Andr. V, 5.

5 Al. Codd. & edd. Me-

Pa. Quid hic laetus eſt? *C.* o Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector [1], ſcin' me in quibus ſim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *Pa.* audivi. *C.* ſcis, ſponſam mihi?
Pa. Bene, ita me di ament, factum [2]. *G.* audin' tu, hic quid ait? *C.* tum autem Phaedriae,
Meo fratri, gaudeo eſſe amorem omnem in tranquillo: una eſt domus:
Thais patri ſe commendavit, in clientelam et fidem
Nobis dedit ſe. *Pa.* fratris igitur Thais tota eſt? *C.* ſcilicet.
Pa. Iam hoc aliud eſt, quod gaudeamus [3]: miles [4] pelletur foras.
C. Tum tu, frater, ubi ubi eſt, fac quamprimum haec audiat. *Pa.* viſam [5] domum.

diol. & vetus nobis ed. *contigere*, quod placet. Faern. praeter Codd. fecerat *congruerint*; quod huc non congruit.

1 Plene laudat Parmenonem ob ſapientiam *inv.* audaciam *inc.* conſtantiam *perf.* Ita cum malum iſtud Dii in tanta bona convertiſſent, honos melior redit illi, quam antea tribuerat Pythias.

2 Iam in veri gaudii ſocietatem ſe venire intelligit Parmeno.

3 Securo iam e primo gaudio accedit alterum ex felicitate Phaedriae ſui hoc maius, quod ſibi iam pro iniuriis a milite eiuſque comite factis ſatisfieri videt.

4 Al. *pellitur.*

5 Glarean. G. Fabr. & Guyet. praeferunt *domi*, quod & eſt in Codd. vett. & edd. quibuſdam. Sed & dicitur *viſere ad aliquem*, & ſupra III, 1, 4 *huc proviſo.* Abitio ſic Parmenonis mutat ſcenam. Re-

ACTUS V. SCENA X.

THRASO, GNATHO, CHAEREA.

T. NUmquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim [1]? *G.* ſine
Dubio, opinor. *C.* quid commemorem primum, aut laudem maxume [2]?
Illumne, qui mihi dedit conſilium ut facerem; an me, qui id auſus ſim
Incipere? an Fortunam collaudem, quae gubernatrix fuit,
Quae tot res, tantas, tam opportune in unum concluſit diem? an
Mei patris feſtivitatem [3] et facilitatem? o Iuppiter,
Serva, obſecro, haec nobis bona

ſtant ab altera parte Thraſo cum Gnathone, ab altera Chr. ſecum loquentes.

1 h. e. certiſſime exciderim ex domo Thaidis. Corrigit certe ſic Gnatho illud *perpetuo*.

2 Laudabit Parmenonis conſilium, ſuam audaciam, Fortem, quae eventum dat, & facilitatem patris annuentis.

3 Donat. eam eſſe ait in dictis, uti *facilitatem* in animo & factis. Sed non *feſtivitas* in dictis ſola verſatur; ſed generatim ea ineſt in homine, qui alios iucunditate perfundit. Sic Ad. V, 9, 26 *o mi pater feſtiviſſime*, & II, 3, 8 *illius opera nunc vivo. feſtivum capitulum.* Sic ſupra III, 5, 12 Antipho certe non ob ſermonem, ſed ob adventum opportunum Chaereae vocatur *feſtus dies hominis.*

ACTVS V. SCENA XI.

PHAEDRIA, CHAEREA, PARMENO, GNATHO, THRASO.

Ph. Di voſtram fidem, incredibilia
Parmeno modo quae narravit [1]. ſed ubi eſt frater ?
C. praeſto adeſt. *Ph.* gaudeo.
C. Satis credo. nihil eſt Thaide hac, frater, tua dignius,
Quod ametur: ita noſtrae omni eſt fautrix familiae. *Ph.* hui,
Mihi illam laudas [2] ? *T.* perii, quanto minu' ſpei eſt, tanto magis amo [3].
Obſecro, Gnatho, in te ſpes eſt. *G.* quid vis faciam ? *T.* perfice hoc
Precibus, pretio, ut haeream, in parte aliqua tandem, apud Thaidem.
G. Difficile eſt. *T.* ſi quid conlibuit, novi te [4]. hoc ſi effeceris,
Quodvis donum, praemium a me optato; id optatum feres.

1 Ellipſis mirum quantum affecti; int. *gaudeo*; quod fratri dein dicit.

2 Scil. quae niſi tam laudata ſit, tantopere profecto non a me ametur.

3 ſ. quod ſpei decedit, accedit amori. Sperat tamen aliquantulum, ſe intermedio Gnathone recipi poſſe: & haec ſpes ipſi eſt a pecuniae potentia. In eo quidem aeque ſapit ac ſtultus eſt. Et ipſum Gnathonem praemiis elicit.

4 int. id effecturum.

G. Ita ne? *T.* ſic erit. *G.* ſi efficio hoc, poſtulo, ut tua mihi domus
Te praeſente, abſente, pateat, invocato ut ſit locus
Semper [1]. *T.* do fidem, futurum. *G.* accingar [2]. *Ph.* quem ego hic audio [3]?
O Thraſo. *T.* ſalvete [4]. *Ph.* tu fortaſſe quae facta hic fient,
Neſcis [5]. *T.* ſcio. *Ph.* cur te ergo in his ego conſpicor regionibus [6]?
T. Vobis fretus [7]. *Ph.* ſcis quam fretus [8]? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac poſt unquam, [9] quod dicas mihi,
Alium quaerebam, iter hac habui: periiſti. *G.* eia [10], haud ſic decet.
Ph. Dictum eſt [11]. *G.* non cognoſco voſtrum tam ſuperbum [12]. *Ph.* ſic erit.

1 Dignas ſe conditiones paciſcitur paraſitus; qui uni ſui ſtudio obtendit ſpeciem obſequii erga illum.

2 ut operi magno.

3 Superba voce; & mox minante: *o Thraſo.*

4 Quam ſupplex eſt ſine gratia magnus olim miles!

5 Contemtius; & minae creſcunt perinde, ut timidus agit Thraſo.

6 h. e. in hac platea, a qua te longe abeſſe volo. Magnificis verbis utitur adv. glorioſum.

7 int. huc venio; cf. Plaut. Aul. III, 6, 50.

8 h. e. quam parum tibi a nobis ſperandum ſit.

9 Apodoſis ſit: nil tibi proderit, *quod dicas* &c. ſed *periiſti.*

10 *Eia* blande reprehendentis.

11 *Dictum eſt* minantis, quaſi ſtatim facturi, quod dixerit.

12 Cave, cum interpreti-

G. Prius audite paucis: quod cum dixero, ſi placuerit,
Facitote. *Ph.* audiamus. *G.* tu concede paulum iſtuc, Thraſo [1].
Principio ego vos ambos credere hoc mihi vehementer velim,
Me, huius quidquid faciam, id facere maxume cauſa mea [2]:
Verum ſi idem vobis prodeſt, vos non facere inſcitia [3] eſt.
Ph. Quid eſt? *G.* militem ego rivalem recipiendum cenſeo. *Ph.* hem!

bus putes, id ita dictum, ut arrogantem & contemtorem animum Phaedriae obiiceret. At blandiri pergit Gnatho ei, quem ſibi adiungere cupit. Nos exponimus: *in eo quod ſic agis non agnoſco ſ. video veſtrum tam magnificum, excellentem animum, olim in vobis perſpectum, quo facile vos militem rivalem patiamini, ſi quidem rem rectius putaveritis.* Hanc vim vocis *ſuperbum* cognoſcas ex Plaut. Amph. I, 1, 59. Sil. x, 513 *ſuperbas virtute & factis animas* dicit. Tacitus autem Hiſt. III, 66 appoſite: *nec tantam Veſpaſiano ſuperbiam, ut privatum Vitellium pateretur.* Ita vero magis laudat (quod innuit Don.) Phaedriam Gnatho, quam ſi cum Bentl. exponas: *hoc tam ſuperbum, non veſtrum eſt, non veſtri moris.* Phaedria mox mitius confirmat, tandem cedet Gnathonis conſiliis.

1 Abire iubet quaſi volentem, qui cum precibus & pretio rem ſibi confici velit, nolit tamen intereſſe.

2 Bene militi odioſo ſe minus ingratum ſubſtituit, & iucunde prodit ſuam agendi rationem, quam plerique omnes homines libenter ſequuntur. Utilitas ipſis pro honeſto; illiuſque ſtudium pro ſapientia.

3 Non ſapientia.

Recipiendum? *G.* cogita modo. tu hercle cum illa, Phaedria,
[1] Et libenter vivis, et enim bene libenter victitas,
[2] Quod des paululum eſt, neceſſe eſt multum accipere Thaidem,
[3] Ut tuo amori ſuppeditare poſſit ſine ſumptu tuo ad
Omnia haec, magis opportunus, nec magis ex uſu tuo
Nemo eſt: principio et habet quod det, et dat nemo largius:
Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctesque et dies:
Neque iſtum metuas ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.
Ph. Quid agimus[4]? *G.* praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto:
Accipit homo nemo melius prorſum, neque prolixius.
Ph. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus eſt. *C.* idem arbitror[5].

1 Bentl. ex uno Cod. contra ceteros omnes reſcribens *ut*, dein (*& enim-victitas*) intercludens, ſermonem interficit ſenſu, & ipſe Harii libita ad h. l. reprehendit. Sapientius disiungi vult Faern. *& enim*, ut reſpondeat hoc & priori. *Enim* h. l. *ſane;* quod rem eleganter auget. Iam verſum ſic exponimus: Non ſolum cum illa iucunde eſſe ſ. ea uti cupis, ſed & ſane laute ac large ſ. prolixe coenare amas. Sic Gn. dein de Thraſ. *accipit nemo melius, neque prolixius.*

2 *Et* quod male h. l. recepit Heinſ. abeſt a libb. antiquis, & a metro reſpuitur. Al. mox *paulum.*

3 Omiſſis nugis ſ. auſis Bentleii, ſubvenimus potius ſqq. aptius intercidendo.

4 Iam impellitur Phaedria, dum ſententiam quaerit a fratre. Bentl. fruſtra id Chaereae tribuit.

5 Profligata iam dubitatio.

G. Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in voſtrum gregem
Recipiatis: ſatis diu hoc iam ſaxum [1] volvo. *Ph.* recipimus.
C. Ac libenter. *G.* at ego pro iſtoc, Phaedria, et tu Chaerea,
Hunc comedendum et [2] deridendum vobis propino. *C.* placet.
Ph. Dignus eſt [3]. *G.* Thraſo, ubi vis, accede. *T.* obſecro te, quid agimus [4]?
G. Quid? iſti te ignorabant. poſtquam eis mores oſtendi tuos,

1 Quidam MSS. *verſo*, quod nec diſplicet; cf. Cic. Tuſc. quaeſt. I, 5.

2 MS. Lipſ. *bibendum* (quod Fabrini edidit) ſed ſupraſcriptum *deridendum*. Utrumque Nonius legit in voce *propinare*. Sed ſic verſ. ultra terminos excurrit. Solum *deridendum* eſt a cett. Codd. omnibus & ed. pr. ceteraeque omnes ſervant, (& Lindenbr. bene illuſtrat) praeter Bentl. qui dedit pro lubitu *ebibendum*. Sed illud *bibendum* ſine dubio eſt a Grammaticis, quibus ſuavius fuerat *bibere*, quam *deridere*; neque intellecta ſatis vis verbi προπινειν, *propinare*, h. e. proprie: poculum alicui tradere ebibendum, dein metaph. ut h. l. aliquem in alterius gratiam tradere perdendum. Schol. ad Pind. Ol. 7 προπινειν αντι του χαριζεσθαι Graecis dici teſtatur. Demoſth. προπινειν την πατριδα τοις εχθροις. Tandem *comedere* & ad vina refertur Comicis & al. auct. cf. noſtrum Heaut. III, 1, 45-55.

3 Tractata re pronuntiat ſententiam clariori voce, ut audiret Thr. ſe laudari: dignus eſt, quem recipiamus.

4 Minuti & anxii hominis quaeſtio.

Et collaudavi ſecundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. *T.* bene feciſti. gratiam habeo maxumam [1].
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
G. Dixin' ego [2] vobis, in hoc eſſe Atticam elegantiam [3]?
Ph. [4] Nil praeter promiſſum eſt. ite hac. vos valete, et plaudite.

1 Gnathoni ſuo gratias agit, quas civilius agere decuit Phaedriae & Ch. Tum ad ſuas laudes redit, nemini niſi ſibi idoneus; merito ſuo eludendus.

2 Al. *vobis* remittunt poſt *eſſe* (Weſterh. *ineſſe*). Nos ſequimur MS. Mark. cett. & edd. Tarv. Mediol. noſtram veterem, aliaſque.

3 *Elegantiam* (morum & ſermonis) *Atticam*, quae erat ſumma (uti Romanis *urbanitas*) ironice dicit pro ruditate hominis ineptiſſimi. Ex antiquis Codd. autem rectius ſuaſit Faern. *elegantiam* pro *eloquentiam*, quod in recc. MSS. eſt, & cum Donato edd. vett. habuerant.

4 Sic antiqui MSS. ap. Faern. & Bentl. plurimique edd. meliorum legunt. Al. MSS. & edd. vett. *nihil praetermiſſum eſt*, quod dedit Weſterh. Iocoſe autem & ambigue firmat dictum a Gnathone. Quod Thraſo ſibi laudi dictum putat, ſe praeſtitiſſe omnia, quae promiſerit h. e. praedixerit ille: id ſpectatores ridere debent. Ita quiſque pro ſuo ingenio & more gaudens diſcedit, nec minus laeti abeunt ſpectatores.

P. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. CORNELIO LENTULO, L. VALERIO FLACCO, AEDILIBUS CURULIBUS. EGIT AMBIVIUS TURPIO. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII. GRAECA EST MENANDRU. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS, DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA ETIAM TERTIO, TI. SEMPRONIO, M. IUVENTIO, COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.
CHREMES, ſenex.
MENEDEMUS, ſenex.
CLITIPHO, adoleſcens.
CLINIA, adoleſcens.
SYRUS, ſervus.
DROMO, ſervus.

SOSTRATA, matrona.
PHRYGIA, ancilla.
BACCHIS, meretrix.
ANTIPHILA, Chremetis filia.
NUTRIX.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

CHremes Soſtratae uxori gravidae imperat, ſi puellam pareret, ut eam ſtatim interficeret. Fuit haec immanitas in veterum moribus, ut, cum fera nulla ſit, quae foetus ſuos non diligat, ipſi quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent. Soſtrata puella enixa (ut eſt maternus ſemper animus clementior) vitam ei adimere non ſuſtinuit: ſed pauperculae cuidam anui Corinthiae, Philterae nomine, exponendam dedit: etiamque muliebri quadam ſuperſtitione, annulum de digito detractum ſuo, iuſſit, ut una cum puella exponeret. id, quod tum ſtulte factum videri poterat, poſtea puellae ſaluti fuit; eius enim annuli ope tandem agnita eſt a ſuis. Anus acceptam puellam, Antiphilam nominat, educatque ut ſuam. Eam, cum adoleviſſet, anusque illius filia putaretur, Menedemi filius Clinia perdite amare coepit, prope iam ut pro uxore haberet. quod ubi reſcivit pater, ita violenter tulit, ut filium, aſſiduitate iurgandi, clam militatum in Aſiam abire coegerit. Tum vero qui filii amorem iniquo animo tulerat, multo iniquiore eiuſdem abſentiam ferre coepit. Itaque ut de ſe ſupplicium abſenti filio daret, qui eum ſaevitia ſua exegiſſet ex aedibus, aedes, ſupellectilem, familiam vendit, praeter, qui ſervi ad opus ruri faciundum, utiles erant, ingentemque ſibi agrum com-

parat, ubi a prima luce ad noctem non ſervos modo exerceret, verum etiam homo ſexagenarius, ſenectutem miſeris modis excruciaret ſuam. Profecto Clinia, Philtera, quae, ut dixi, Antiphilae putabatur mater, extremum vitae diem morte confecit. Clinia, cum iam menſes tres abſuiſſet, amicae deſiderio reverſus, non auſus eſt patri ſe in conſpectum dare, antiquam illius aſperitatem veritus: ſed ad Clitiphonem, Chremetis filium, divertit, quicum magna ipſi a puero familiaritas interceſſerat. Clitipho, ſodalis reditu laetus, Syrum & Dromonem ſervos (iam autem adveſperaſcebat) in urbem, ad arceſſendam Antiphilam, mittit. Expoſuerat eo ipſo die Menedemus Chremeti, quanto ſibi deſiderio eſſet filius: parum ut abfuerit, quin Chremes, cum primum de reditu Cliniae accepit, mitteret qui ei nuntiaret. Continuit tamen ſe in diem poſterum; quod ita magis e re illius fore cenſeret Syrus. ſumma ſervus & audacia & aſtutia, qui cum Antiphilam tantum arceſſere iuſſus eſſet, etiam Bacchidem adduxit. erat haec meretrix, procax, potens, ſumptuoſa, nobilis, cuius ſe amore haud ita pridem irretierat Clitipho. Quo autem res Chremetem lateret, hoc conſilium capiunt; ut Bacchidem quidem amicam Cliniae, Antiphilam vero unam de illius ancillis eſſe ſimularent. Poſtridie mane Chremes ad Menedemum diluculo proficiſcitur; & rediiſſe Cliniam nuntiat. ille gaudio amens, filium iamiam videre, iamiam amplecti, iamiam ei ſe ſuaque omnia permittere cupiebat. at Chremes, cave, inquit, faxis: iſtoc enim modo &

te & eum, & rem una perdideris tuam. ſimul ei oſtendit, quot incommoda capturus ſit, ſi tam molli eſſe ſe, tamque infracto animo oſtenderit. Cliniae amicam (eam enim Bacchidem exiſtimabat) non iam pauperculam eſſe, aut parvo contentam, ut antea; ſed ſumptuoſam, gemmis atque auro collucentem, cum familia numeroſiſſima. Una, inquit, mihi nox tantum non paupertatem attulit, nedum tu te cenſeas oneri ferundo fore, ſi te illi perpetuo ſumptibus ſuppeditare oporteat. quin tu ita potius agito, humane quidem & comiter excipito filium: iſtud tamen tam impotens illius deſiderium occultum habeto. tum ſi ille, quod amicae det, ut habeat, machinam adverſum te aliquam ſtruet, falli te ſinito. ita & eum commodius retinebis apud te, & ſumptuum facies minus. Haec Chremes, neſcius (ut ſunt humana) oculatum foris eſſe ſe, caecum domi. Interea enim meditabatur Syrus, decem minas, quas Bacchidi pollicitus erat dare, eas quomodo illi a Chremete ipſo conficeret: iamque inibi erat, cum eum Chremes arreptum blande compellat, hortaturque, aliquam ad Menedemum fallaciam moliatur. Iniecit in ſermone Syrus mendacium a ſe pro tempore confictum: anum Corinthiam, Antiphilae (ita enim putabatur) matrem, mille drachmarum mutuo accepiſſe a Bacchide: ea mortua, puellam pro pecunia illa arrhaboni relictam. Dum haec aguntur, annulum ſuum agnovit Soſtrata, eiusque indicio, Antiphilam filiam ſuam eſſe cognovit. gaudio exſiliens, omnem rem defert ad virum; qui, ea leviter obiurgata,

repertam tamen filiam, ipſe quoque gaviſus eſt. iam omnia in tranquillo erant; absque Bacchide fuiſſet. ſed & illi quoquo modo decem excudendae erant argenti minae, & periculum erat, ne aliqua eam Chremes filii amicam eſſe reſciſceret. Ibi Syrus audax conſilium init, quomodo & utrique ſeni rem, ut erat, pateſaceret, & commode ſe tam impedito negotio expediret. Primum igitur Chremeti, Reperi, inquit, quomodo argentum a Menedemo eripiam. dicemus ei, Bacchidem hanc tui Clitiphonis amicam eſſe: orabimusque, ut eam domi ſuae dies aliquot eſſe patiatur, teque id celatum velit. porro Clinia filiae tuae, quae modo reperta eſt, formam ſibi complacitam eſſe dicet, eamque petet uxorem. Quid tum? pecuniam, inquit, petet a patre ſuo, qui novae nuptae ornamenta coemat. eam pecuniam numeraturus eſt Bacchidi. Iam autem ad Menedemum, Syri hortatu, tranſierat Bacchis, & eo pompam omnem ſuam transduxerat. Chremes, primo non ſatis conſilium illud probare: at illam certe, inquit Syrus, pecuniam, pro qua filia tua oppoſita erat pignori, quin diſſolvas, facere honeſte non potes. Ego vero, inquit Chremes, & libenter quidem. Immo vero, infit Syrus, dato eam Clitiphoni, qui ad Bacchidem deferat: ita enim facilius credet Menedemus, eam illius eſſe. Sit ita ſane. numeratur a patre Clitiphoni pecunia, quam ad meretricem perferret. Interea tota res detegitur: indignari Chremes, & fremere, & minitari ſe omnia atrociſſima exempla editurum tandem, cum prius Antiphilam Cliniae col-

locaſſet, partim Menedemi, partim uxoris precibus delenitus, ignoſcit. Clitipho ſe, relictis meretriciis amoribus, uxorem ducturum pollicetur. Cum autem ceterarum fabularum argumentum uno die contineri ſoleat, huius non niſi biduo explicari poteſt.

PROLOGUS.

Ne cui ſit voſtrum mirum, cur parteis [1] ſeni
Poeta dederit, quae ſunt adoleſcentium;
Id primum dicam [2]: deinde, quod veni, eloquar [3].
Ex integra Graeca [4] integram [5] comoediam
Hodie ſum acturus Heautontimorumenon;
Duplex quae ex argumento facta eſt [6] duplici.

1 Quae *Prologi* alias videntur.

2 Dicit ſtatim a v. 4 narrationem praemittendo, ex qua intelligatur, cur partes oratoris, non prologi, habeat.

3 a v. 16 orationem a poeta praeſcriptam recitando. Bentl. h. l. nihil intelligit, qui id demum fieri putat ipſa fabula peragenda (haud certe ab uno ſene).

4 h. e. ex Menandri comoedia integra, h. e. (quod antiquiſſimum gloſſema ex Donato in margine Cod. Bemb. adſcriptum habet) *a nullo* (Latinorum, Plauto, Naevio &c.) *tacta*. Itaque furti immunis, quod obiecerat Lanuvinus de Eunucho.

5 h. e. non contaminatam (uti *Eun.* ex duabus Menandri, Colace & milite glorioſo cf. Prol. *Andria* ex Menandri Andr. & Perinth. *Adelphi* ex eiuſdem Adelphis & alia Diphili, cf. Prol.); ſed erat velut integrae matris filia integra. Alio tamen modo integra intelligitur fabula Menandri ut exemplum, alio quae inde deſumta erat Latina.

6 Novam, ſed antiquiorem omnibus veramque lect. (libri ſc. Bemb. a prima manu) da-

Novam eſſe oſtendi, et quae eſſet. nunc qui ſcripſerit,
Et cuia Graeca ſit, ni partem maxumam

mus, eamque a nemine adhuc expreſſam. Menander nimirum (non Ter.) ex duplici argumento (h. e. amore, altero Cliniae, altero Clitiphonis) geminas fecerat perſonas ſenum, iuvenum, amicarum, ſervorum. Quae quidem duplicatio, tum quod ratio cuiuſque partita lenius miſcere poſſit ſpectantium animos, tum in variandis characteribus perſonarum, quarum aetas, conditio, ſtudiaque alias conveniunt, maiorem ingenii vim poſtulat. Quum Donati Commentarius in hanc fabulam interciderit, nutant magis, & in lect. ancipiti, & in interpretatione, recentiores inde ab Eugraphio & Calpurnio omnes. Hi vero inepte hunc verſum ad Terentii Latinam referentes varie errant. Cum ſic ſecunda manus interpretis alicuius in Bemb. illud *duplici* mutaſſet in *ſimplici*, ex hoc falſa fuit vulg. & credidere interpretes, ſimplex fuiſſe Menandri argumentum, ſed inde Terentium feciſſe duplicem fabulam, ſ. duplicaſſe perſonas; quod ſi feciſſet, certe non integram dediſſet latinam, ſed ſuo ingenio contaminatam. Tan. Faber emendans *Simplex—duplici*, (quod rec. Bentl.) verum falſo miſcet. Habet quidem fabula unitatem e contextu; ſed e duplici argumento ſ. geminato amore non poteſt non exiſtere duplex perſonarum ratio. Ita vero contextus eſt Clitiphonis amor amori Cliniae, ut intelligi nequeat, quomodo Menander abſque Clitiphone et Chremete fabulam Cliniae exequi potuerit. Unde & Menandro, non demum Terentio, auctore factam eſſe utriuſque contextionem, bene vidit ſummus in hac re Leſſingius, Dramaturg. Hamb. T. II, n. 87. ſed idem nihilo magis a vera lect. latinaque ratione deſcivit, contra omnes Codd. faciens: *ſimplex quae ex arg., eſt ſimplici*. Confundit nimirum ſimplicitatem cum unitate. Hecyra quidem argumentum ſimplex habet ex amore unius adoleſcentis: Heautontimorumenos duplex ex duplici amore; neque minus unitatem habet, quam illa. *Duplex* dicitur, cui aliud admiſtum eſt ſ. copulatum ſ.

Exiſtimarem ſcire voſtrum, id dicerem.
Nunc, quam ob rem has parteis didicerim, paucis dabo.
Oratorem [1] eſſe voluit me, non prologum:
Voſtrum iudicium fecit: me actorem dedit.
[2] Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturu' ſum.
[3] Nam quod rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Graecas, dum facit
Paucas Latinas [4]: factum hic eſſe id non negat,

concretum &c. (cf. Cic. Tuſc. I, 71 c. 29) Oſtendit igitur poeta h. l. primum, eſſe *novam* (int. Romanis), quam Aedilibus propoſuiſſet, dein *quae eſſet*, ſc. ex duplici argumento duplex. Ire iam licet.

1 int. cauſae, ſ. actorem. Prologus h. l. ipſa perſona eſt, quae praeloquitur fabulae, ut Hecyr. prol. alter v. 1. Alias ipſum proloquium ſic dicitur. Andr. prol. 5. Phorm. 5. Prologi vero erat commendare fabulam, quod demum fit a v. 35.

2 Oratoris cuiuſque duae ſunt partes, 1) ſcribere orationem, 2) eam memoriter cum actionis dignitate dicere; cf. Cic. de Or. 64. Eae h. l. facete dividuntur, ut cogitandi partes habeat poeta, alteras facundiae agat ipſe actor. Proterve autem & praeter ſenſum Bentl. reſcripſit *Si* pro *Sed*.

3 Incipit oratio. Iſtud *nam* enim vim habet incipiendi, ut in Ad. Prol. 12; Andr. I, 1, 23.

4 int. vertendo, cf. Eun. Prol. 7, 8. Aliud eſt ſcribere ſ. facere Comoedias, aliud facere Latinas. Contaminatio vertebatur vitio, non verſio integrarum integra.

Neque ſe [1] pigere, et deinde factūrum autumat.
Habet bonorum exemplum [2]: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Amicum [3] ingenio fretum, haud natura ſua:
Arbitrium [4] voſtrum, voſtra exiſtimatio
Valebit. [5] quare omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum [6] poſſit quam aequum oratio.
Facite, aequi ſitis, date creſcendi [7] copiam,
Novarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis [8]: ne ille pro ſe dictum exiſtumet,
Qui nuper fecit ſervo currenti in via
[9] Dixiſſe populum: cur inſano ſerviat?

1 Delemus *id* ante *pigere* cum Bentl. quod abeſt a Cod. Bemb. atque ex priori verſu fruſtra repetitum.

2 cf. Andr. Prol. 18 & 19.

3 Amicorum, ſcil. Scipionis & Laelii. cf. Ad. Prol. 15-21.

4 Quorum antea *iudicium* fecerat, eorum iam vult eſſe *arbitrium*. In priori, ut in certa, cauſa, ex formula iudicare debebant ſpectatores: in hac (quam comiter incertam facit) ex aequo & bono. Unde v. 28 *aequi ſitis*, qua quidem ratione ſe defendens verecunde cum ſummis viris agit.

5 Sic melius Bemb. quam vulg. *quam ob rem*.

6 *Iniqui* ſunt h. l. invidi, *aequi* faventes, maxime ipſi Scipio & Laelius, qui Terentio nil detractum volebant.

7 Laude & fortuna; l. uti Ad. Prol. 25 augendae ad ſcribendum induſtriae. cf. Hor. Carm. III, 30, 7. & Nep. XXV, 21.

8 Quae nihil abſurdi, a moribus alieni, aut monſtri habent, quomodo illae Lanuvini.

9 Vulg. *deceſſe* pro *deceſſiſſe*, quod & edd. priſcae habent.

De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, niſi finem maledictis facit.
[1] Adeſte aequo animo: date poteſtatem mihi,
Statariam agere ut liceat per ſilentium [2];
Ne ſemper ſervus currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem impudens,
Avarus leno, aſſidue agendi ſint mihi
Clamore ſummo, cum labore maxumo.
Mea cauſa, cauſam hanc iuſtam eſſe, animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi:
Nam nunc novas qui ſcribunt, nil parcunt ſeni:
Si quae laborioſa eſt, ad me curritur:
Si lenis eſt, ad alium defertur gregem.
In hac eſt pura oratio: experimini,
In utramque partem [3] ingenium quid poſſit meum.
Si nunquam avare pretium ſtatui arti meae,
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maxumum,

Sed nihil in eo vitii eſt, quod & Plaut. ſaepe fecerat, cf. Amph. III, 4, 1. Capt. IV, 2, 11. Itaque haerent interpretes. Bentl. vero pulchre coniecit, neque recepit ipſe verum *dixiſſe*. Populus certo non inducendus erat in ſcenam, qui rogaret ſervum curr. *cur inſano* (int. Domino) *ſerviat*. Ex vulgata hoc explicant: *cur inſano* (poetae Lanuvino) *ſerviat* (Terentius)?

1 Defunctus iam partibus oratoris, ſumit pro ſe partes prologi ad gratiam ſibi exorandam.

2 h. e. ne tumultus fiat, quo actores moveantur loco; cf. Phorm. Prol. 33.

3 Et quietae & laborioſae.

Quam maxume ſervire voſtris commodis:
Exemplum ſtatuite in me, ut adoleſcentuli [1]
Vobis placere ſtudeant potius, quam ſibi [2].

ACTUS I. SCENA I.

CHREMES, MENEDEMUS.

C. [3] QUamquam haec inter nos nuper notitia admodum eſt [4],
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei [5] fere ſane amplius quidquam fuit:
Tamen vel virtus [6] tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae [7] puto,
Facit, ut te audacter moneam, et familiariter,

1 int. actores.

2 Quod eſt adoleſcentium. Sed haec eorum arrogantia alios offendit.

3 Senes primi veniunt, quorum alter Mened. dolori ex abſentia filii, a ſe abire coacti, remedium quaerens perpetui laboris, l. filii labores ulciſcens ſuis, ut aperiret primam ex argumento duplici partem, ab altero ſene vicino, Chreme, varia oratione provocatur; cuius ſtatim repulſi humanitate ac miſeratione tandem victus prodit cauſam ſuae miſeriae, ſimul filii amorem. Inſignis vero eſt ſcena tota artificio ad naturam compoſito & ſenſibus humanitatis, ad audientium animos validis. Inde ſenum ſermones, quamvis longiores, ipſi ſibi faciunt audientiam. Exordio Chr. parare ſtudet ſibi gratiam.

4 cf. Cic. de fin. II, 4.

5 E qua coniunctiores eſſemus.

6 Sic blande dicit laborioſum vitae genus.

7 In propinquo amicitiae, ſ. ab ea proximum. Bentl. perperam reſcribit *in aliqua parte am.* Neque enim amicitiae pars eſt vicinitas; ſed

Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere et praeter quam res te adhortatur tua.
[1] Nam pro deum atque hominum ſidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? annos ſexaginta natus es,
Aut plus eo, ut coniicio. agrum in his regionibus
Meliorem neque pretii maioris nemo habet:
Servos complureis [2]: proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum revortor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre [3]. denique
Nullum remittis tempus, neque te reſpicis.
Haec non voluptati [4] eſſe, ſatis certo ſcio.

haec illi eſt propinqua. cf. Cic. de fin. V, 23. de Off. I, 18.

1 Exordio finito contollit orationem, velut iam familiarius illum reprehenſurus.

2 int. habes. Neque enim *complures* vim comparandi habet. Guyet. tentabat *ſervi complures* int. *tibi ſunt*. Bentl. reſcribit *ſervos non plures*. Quis hoc credat dicere voluiſſe.

3 int. ſ. oneris ſ. laboris ſervilis; cf. Cic. de fin. I, 1. qui totum verſum laudat; inde alii Io *denique* ad *ferre* referunt; & Donatus ad Phorm. I, 2, 71 legit *al. facere denique* quod Bentl. praefert. Sed *al. facere* non augendi cauſa dicitur, cf. Andr. I, 5, 24. Quare maluimus *ferre*, idque cum MSS. (ap. Weſterh.) ed. pr. Tarviſ. Mediol. Argent. c. figg. R. Steph. Fabrini, Rivio, Eraſmo, Mel. Heinſ. Weſterh. diſpungimus a *denique*; uti Eun. III, 1, 42.

4 Al. indunt *tibi*, quod e gloſſa in MSS. irrepſiſſe videtur; certe ſenarium interficit.

[1] At enim te, quantum hic operis fiat, poenitet.
Quod [2] in opere faciundo operae conſumis tuae,
Si ſumas in illis exercendis, plus agas.
M. [3] Chreme, tantum ne ab re tua eſt otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent?
C. Homo ſum: humani nihil a me alienum puto [4].
Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum eſt? ego ut faciam: non eſt? te ut deterream [5].

1 Sic e MSS. quibuſdam recipimus: ſic ſalvus eſt ſenarius: ſic & noſter infra IV, 3, 35. Ad. V, 3, 44 & ſic Cic. formulam *at enim* adhibet in obiectione, cui ſtatim reſpondeat. Pro gloſſa igitur nobis eſt, quod vulgo ingeritur *at enim dices me*. Sed liber Bemb. & Don. ad Eun. V, 7 non habent *me*, quod proinde omiſit Faern. alii intercludunt. Bentl. cum Mur. omittit *dices*, & retinet *me*. In hac inconſtantia noſtrum magis placet.

2 Metri cauſa malimus abeſſe *in*.

3 Menedemus de filio triſtis, unique adhuc labori intentus, ſatis moroſe Chremem, qui pro amico agit, refutat ut alienum & nimis curioſum. Cic. ad Att. XII, 6 verſum iocoſe transfert in Atticum.

4 Huic ſententiae theatra tota applauſiſſe refert Auguſtin. ep. 51. Interpretes adſunt Cic. de legg. I, 12. Off. I, 9 & Seneca ep. 95. Natura ſc. homines facti ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes. Iubet ratio, in qua eſt humanitatis vis, ut nemo hominum alterius res a ſe alienas putet, ſed quivis afficiatur iis perinde, ut bene maleve eveniant. Utinam & iudicio tales eſſemus! Sed prava conſuetudo homines facit utilitatis ſuae callidos, & ſic diſiungit, quos natura coniunxit. Omittimus falſam rationem, qua vulgus dicto Terentiano abutitur ad errores l. vitia excuſanda.

5 Sic diſtinguunt Faern. Weſterh. Bentl. alii; & ex-

M. Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus facto eſt, face [1].
C. An cuiquam eſt uſus homini, ſe ut cruciet [2]?
M. mihi [3].
C. Si quid laboris eſt, nollem [4]: ſed quid iſtuc mali eſt?
Quaeſo, quid de te tantum meruiſti? *M.* [5] heu hoi.
C. Ne lacruma, atque iſtuc, quidquid eſt, fac me ut ſciam.
Ne retice: ne verere: crede [6], inquam, mihi:
Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuvero [7].
M. Scire hoc vis [8]? *C.* hac quidem cauſa, qua dixi tibi.
M. Dicetur. *C.* at iſtos raſtros interea tamen
Adpone: ne labora. *M.* minime [9]. *C.* quam rem agis?

pone: Si rectum eſt, quod facis, puta me percontari, ut te ſequar: ſi non eſt, puta me monere, te ut deterream.

1 Lege Cic. de fin. V, 10.

2 Quam humane fert moroſitatem dolentis!

3 Cum ſuſpirio dicit.

4 Si quis tibi magnus labos (ex malo) domi obiectus eſt, cf. Andr. V, 2, 29. Hec. III, 1, 6. nollem, h. a. l. id doleret mihi, l. poeniteret me, tibi moleſtus eſſe monendo; unde ſtatim humane percontatur. Sed & verſus laborat; unde Bentl. omiſit *eſt*.

5 Vulg. *eheu*, non ſufficit metro. Lacrimans iam inter laborem exuit feritatem, faciliorque erit ad reſpondendum; quare Chr. ipſe permotus humaniſſime inſtat.

6 int. tua ſecreta, l. tuum animum.

7 Utitur verſu Cic. ad fam. VII, 10.

8 Mitior iam rogat dicturus. Chremes addit momentum ex ſua miſeratione. Mox in *qua* ineſt Graeciſmus.

9 Et in hoc cedet inſtanti Chremeti.

M. Sine me, vacivom tempus ne quod duim mihi
Laboris. *C.* non ſinam, inquam [1]. *M.* ah, non aequom facis.
C. Hui tam graveis hos quaeſo [2]? *M.* ſic meritum eſt meum.
C. Nunc loquere. *M.* filium unicum adoleſcentulum
Habeo. ah quid dixi habere me [3]? immo habui, Chreme.
Nunc habeam, nec ne, incertum eſt. *C.* quid ita iſtuc? *M.* ſcies.
Eſt e Corintho hic advena anus paupercula:
Eius filiam ille amare coepit perdite,
Prope iam ut pro uxore haberet: haec clam me omnia.
Ubi rem reſcivi, coepi non humanitus,
Neque ut animum decuit aegrotum adoleſcentuli,
Tractare, ſed [4] via pervolgata patrum.
Quotidie accuſabam: hem, tibine haec diutius
Licere ſperas facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?
Erras, ſi id credis, et me ignoras, Clinia.

1 Simul aufert ei raſtros.

2 int. tractas?

3 Lacrimabile eſt *habuiſſe & nihil habere*, l. *dubitare*, *an adhuc habeas*. Videtur amans filii, ſed magis eſt ſui. quod oſtendit Cic. de fin. I, 10. ex ipſius labore, & ex hac narratione magis colligimus, vid. v. 58 ſq. & 63 ſq.

4 Vulgata *vi & via* excedit ſenarium; & quid opus eſt *vi* ad accuſandum. Ortum nobis videtur *vi* ex ambigue lecto *via*. cf. vero Plaut. Merc. I, 1, 46 quem noſter imitatus eſt.

Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum, quod te dignum eſt, facies: ſed ſi id non facis,
Ego, quod me in te ſit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re iſtuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſtuc aetatis non amori operam dabam,
Sed in Aſiam hinc abii propter pauperiem, atque
[1] Ibi ſimul rem, et gloriam armis repperi.
Poſtremo adeo res rediit: adoleſcentulus
Saepe eadem et graviter audiendo victus eſt:
Putavit me et aetate et benevolentia
Plus ſcire, et providere, quam ſe ipſum ſibi:
In Aſiam ad regem [2] militatum abiit, Chreme.
C. Quid ais? *M.* clam me profectus, menſes treis abeſt.
C. Ambo accuſandi [3]: etſi illud inceptum tamen
Animi eſt pudentis ſignum, et non inſtrenui.
M. Ubi comperi ex his, qui ei fuere conſcii,
Domum revortor moeſtus [4], atque animo fere

1 Vulg. *ibi* iungitur verſui priori, qui ſic excedit. Igitur illud ſeq. initium eſſe iubemus, delendo *belli*, quod ſupervacuum. Vett. ſcr. & edd. habent *armis belli*; manifeſtum gloſſema, e quo Goveanus & Faern. perperam fecere vulgatum.

2 cf. ad Eun. III, 1, 7.

3 Bene dividit culpam Chremes, ut pater parte moleſtiae exoneretur: ſimul culpam in laudem filii vertit.

4 Primum dolorem exprimit ad naturam; & quomodo inde novam vitae rationem eamque duram in animum induxerit, ita deſcribit, ut amare magis crederès filium, in quo ſe ipſe amat, non tam rationem, quam animi impetus ſequens. Ipſe ſuo ingenio pronus ad ſaevitiam, quam nunc

Perturbato atque incerto prae aegritudine.
Adſido, accurrunt ſervi: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Coenam apparare: pro ſe quiſque ſedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Ubi video haec, coepi cogitare, hem, tot mei
Solius ſolliciti [1] ſint cauſa, ut me unum expleant?
Ancillae tot me veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea eſt,
Ego eum hinc eieci miſerum iniuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam uſque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea uſque illi de me ſupplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi ſerviens [2].
Ita facio prorſus: nihil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec veſtimentum [3]: conraſi omnia:
Ancillas, ſervos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumptum exercerent ſuum,
Omneis produxi ac vendidi: inſcripſi illico
Aedeis mercede. quaſi talenta ad quindecim
Coëgi: agrum hunc mercatus ſum: hic me exerceo.

in ſe vertit abſente filio.

1 Al. *ſunt*.

2 cf. aliam laborioſi ſenis deſcriptionem Ad. V, 3, 26 ſq.

3 h. l. non veſtes ſolas, ſed & ſtragulas, tapetas &c. cf. infra V, 1, 30.

Decrevi tantiſper me minus iniuriae,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer:
Nec fas eſſe ulla me voluptate hic frui,
Niſi ubi ille huc ſalvus redierit meus particeps.
C. Ingenio te eſſe in liberos leni puto [1], et
Illum obſequentem, ſi quis recte aut commode
Tractaret [2]. verum neque tu illum ſati' noveras,
Nec te ille. hocque fit, ubi non vere [3] vivitur.
Tu illum nunquam oſtendiſti quanti penderes,
Nec tibi ille eſt credere auſus, quae eſt aequom patri.
Quod ſi eſſet factum, haec nunquam eveniſſent tibi.
M. Ita res eſt, fateor: peccatum a me [4] maxumum eſt.
C. Menedeme, at porro recte ſpero [5]: illum tibi
Salvum affuturum eſſe hic confido propediem.

1 Chreme, non ſatis prudenter ex te iudicas de homine, qui non amare videtur filium, niſi ſui cauſa, neque alium participem ſuum habet. Inhumanus nobis eſt, qui non homines generatim habet participes.

2 Reprehenſionem abſolvit, ſed eam iterum miſcet laude aliqua. Laudat ingenium & patris & filii, accuſat mores.

3 h. e. non cum ratione, quae princeps ſit vitae & magiſtra; ſed ex inſtinctu & affectu animi inconſiderato.

4 Sic MSS. Bemb. & Vat. cett. Vulg. *maxime* eſt e Victoriano.

5 h. e. bona omnia ſpero. Delemus dein & ante *illum*, quod & metro adverſum, nec opus eſt. Praedicit vero Chremes, ſolatii cauſa, adventum. Et mox grata ſupervenit, quae non ſperabatur, hora.

M. Utinam ita di faxint! *C.* facient. nunc ſi commodum eſt [1],
Dionyſia [2] hic ſunt, hodie apud me ſis volo.
M. Non poſſum. *C.* cur non? quaeſo tandem aliquantulum
Tibi parce: idem abſens facere te hoc volt filius.
M. Non convenit, qui illum ad laborem [3] impulerim,
Nunc me ipſum fugere. *C.* ſiccine eſt ſententia?
M. Sic. *C.* bene vale. *M.* et tu. *C.* lacrumas excuſſit mihi [4],
Miſeretque me eius: ſed, ut diei tempus eſt,
Monere [5] oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam ut veniat: ibo, viſam, ſi domi eſt.
Nil opus fuit monitore: iamdudum domi
Praeſto apud me eſſe aiunt [6]. egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. ſed quid crepuerunt fores?
Hinc a me [7] quiſnam egreditur? huc conceſſero.

1 Bonus uſque Chremes diſtrahere vult Menedemum a laboribus.

2 int. in agris, quae celebrabantur autumno, neque tamen uno die per pagos ubique. Scena eſt in ſuburbano, ubi uterque ſenex vicini erant; cf. Dacieriam ad h. l.

3 Sic plura MSS. ſed verbi antepenultima laborat verſus. Et MS. Vat. habet a prima manu *impellerim*, quod cum Faernus ut antiquum propugnaſſet, non eviciſſet, nihilominus in vulg. abiit. Anteſig. voluit *impullerim*; quae epentheſis probatur Glar. & Weſterh.

4 Humanus vere eſt Chremes.

5 Iam ante invitatum.

6 int. ſervi.

7 Al. interponunt h. l. ſig-

ACTUS I. SCENA II.

CLITIPHO, CHREMES.

Cl. [1] NIhil adhuc eſt, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul cum nuntio tibi hic ego affuturam
Hodie ſcio. proin tu ſollicitudinem iſtam falſam, quae te
Excruciat, mittas. *Ch.* quicum loquitur filius? *Cl.* pater adeſt,
Quem volui. adibo. pater opportune advenis.
Ch. Quid id eſt? *Cl.* hunc Menedemum noſtin' noſtrum vicinum? *Ch.* probe.

num rogandi, & referunt *hinc a me* ad *crep. fores.* Nos ſequimur praeter Iuntinam, Aldinam & Steph. Dacier. Weſterh. &c. Et ſic iubent quaedam MSS. ac mos Terentianus.

1 Redux Clinia, Menedemi filius, in vicinam domum Chremis ad huius filium Clit. familiarem, diverterat, de amore ſuo ſollicitus ac de patre etiamnum timens in urbem ad ſuam miſerat ſervum, qui arceſſeret. Inde eius exſpectatio curarum plena, quas amor habet. Quum ipſe ſuos latere cupiat, prodit Clit. ad videndum, in patrem ſuum incidit, cui narrat Cliniae adventum. Chremes eo laetus ſe tamen reprimit, quo minus Menedemi animum prodat; utiliusque putans Cliniam in metu eſſe, ſimul ſui cauſa filium ex illo monens, ipſe alienis intentus, amoris filii ſui ignarus connectit alterum argumentum, cuius partem aperiet in ſqq. ipſe Clit. Is vero ſum Cliniam, egredi non auſum, alloquitur.

Cl. Huic filium ſcis eſſe? *Ch.* audivi eſſe in Aſia. *Cl.* non eſt, pater: apud
Nos eſt. *Ch.* quid ais? *Cl.* advenientem, e navi egredientem illico
Adduxi ad coenam: nam mihi magna cum eo iam inde uſque a pueritia
Fuit ſemper familiaritas. *Ch.* voluptatem magnam nuntias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiſcum eſſet hodie amplius,
Ut hanc laetitiam nec opinanti primus obiicerem domi:
Atque etiam nunc tempus eſt [1]. *Cl.* cave faxis: non opus eſt, pater.
Ch. Quapropter? *Cl.* quia enim incertum eſt etiam, quid ſe faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram, et animum amicae, ſe erga ut ſit, ſuae.
Eam miſere amat. propter eam haec turba, atque abitio evenit. *Ch.* ſcio.
Cl. Nunc ſervolum ad eam in urbem miſit, et ego noſtrum una Syrum.
Ch. Quid narrat? *Cl.* quid ille? ſe miſerum eſſe. *Ch.* miſerum? quem minu' credere eſt?
Quid reliqui eſt, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona,

1 int. ad eam rem ſ. ad invitandum. Bentl. temere corrumpit *ſatis tempori eſt.*

Parenteis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?
Atque haec perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet [1]:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
Cl. Immo [2] ille ſenex [3] fuit importunus ſemper: et nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus ſatis faxit pater.
Ch. Ille ne [4]? ſed reprimam me: nam in metu eſſe hunc, illi eſt utile.
Cl. Quid tute tecum? *Ch.* dicam [5], ut ut erat, manſum tamen oportuit.
Fortaſſe aliquanto iniquior erat [6] praeter eius lubidinem:
Pateretur. nam quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum?
Hunccine erat aequom ex illius more, an illum ex huius vivere? et

1 Ineſt accuſatio Cliniae; ſimul admonitio paterna.

2 Reſpondet pro amico, ab eoque culpam in huius patrem transmovet. Et eſt communis filiorum cauſa, uti patrum.

3 Non reverenter ſic illum vocat.

4 Paene proditurus fuit animum Menedemi in filium. Sed ſe reprimens ſecum ſqq. dicit. Inde erunt ludi.

5 Quae pro Menedemo dicet, ea & pro ſe dicit filio, ſaepe monendo.

6 h. e. adverſabatur.

Quod illum inſimulant [1] durum, id non eſt: nam parentum iniuriae [2]
Unius modi ſunt ferme: paulo qui eſt homo tolerabilis [3],
Scortari crebro nolunt: nolunt crebro convivarier:
Praebent exigue ſumptum: atque haec [4] ſunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus ſemel ſe cupiditate devinxit mala,
Neceſſe eſt, Clitipho, conſilia conſequi conſimilia [5]. hoc
Scitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu fiet.

1 int. Clinia cum amicis. Sic Cod. Bemb. & Bentl. Vulg. *inſimulat.*

2 Ex opinione filiorum. Sunt vero irae paternae ob filiorum peccata. cf. infra V, 2, 37-39.

3 Qui prioribus haec iungunt, ſingularem pro plurali ſumunt: *qui ſunt tolerabiles.* Sed illud *uniusmodi* fecit, ut al. MSS. & edd. vett. ex iiſque Argent. noſtra haec ſqq. coniungerent, dein legendo *ſc. crebro non vult, crebro convivarier: praebet* &c. Sed vulg. Bembino firmatur. Loquitur vero indulgentes in multis patres, qui tamen filios non plane perdi volunt. Illi quidem multa patiuntur, quae fert aetas & libido filiorum, ſed nolunt *crebro* ea fieri; cf. Adelph. I, 2, 23 ſq.

4 Scil. *το nolle* & *exigue praebere ſumptum.*

5 En uſum ſermonis, quem capere ſuum filium iubet pater, quamvis rerum eius ignarus. Repetit vero dicta v. ſq. cum deriſione filius Sc. ſq. v. 9.

Cl. Ita credo [1] *Ch.* ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid coenae ſiet,
Tu, ut tempus eſt diei, vide ſis, ne quo hinc abeas longius [2].

ACTUS I. SCENA III.

CLITIPHO.

[3] Quam iniqui ſunt patres in omneis adoleſcenteis iudices:
Qui aequom eſſe cenſent, nos a pueris illico naſci ſenes,
Neque illarum affines rerum eſſe, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quae eſt, non quae olim fuit.
Mihi ſi unquam filius erit, nae ille facili me utetur patre [4];
Nam et cognoſcendi et ignoſcendi dabitur peccati locus:

1 Leviter & cunctanter reſpondet, qui iſta invitus audiit.

2 In fine quidem ſcenae prioris Chr. iam dixerat, ſe convivas morari. Sed ante ipſam coenam ſacrificium fiebat, & convivae ſermone trahebant horam, donec accumberent. Supererat igitur tempus, quo abeſſe liceret filio, maxime amici cauſa, cui ſerviebat.

3 Clitipho patri monitori aſper ob amorem clandeſtinum, quem prodit; quod eſt alterum ex argumento duplici.

4 Qualis Micio in Adelph. cuius dicta I, 1, 23 ſqq. cf. ad verſ. ſq.

Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perii; is mihi, ubi adbibit plus paulo, ſua quae narrat facinora [1]?
Nunc ait, periclum ex aliis facito [2], tibi quod ex uſu ſiet.
Aſtutus, nae ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam [3].
Magis nunc me amicae dicta ſtimulant: *da mihi* atque *affer mihi*:
Cui quid reſpondeam, nil habeo: neque me quiſquam eſt miſerior;
Nam hic Clinia, etſi is quoque ſuarum rerum ſatagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae,
Mea eſt potens [4], procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis [5],

1 En cauſam, cur filii ſaepius parentibus minus dicto audientes ſint, impieque iis irrideant.

2 In ludibrium cadit ſententia patris.

3 *Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.* Propert. II, 16, 35.

4 Bentl. Terentio illudens contra Codd. dedit *petax*, *procax*. Et *procax* eſt aſſidue poſcens. *Potens* int. arte meretricia. Fuit vero & *potans*, v. infra III, 1 imaginem Bacchidis 40—52.

5 Moribus nobilium utitur, qui ſolent quos ſpernere? ſ. ferox, cf. Plaut. Mil. IV, 8, 14.

Tum, quod dem ei, *recte* eſt [1]: nam *nihil* eſſe mihi, religio eſt dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiam dum ſcit pater.

ACTUS II. SCENA I.

CLINIA, CLITIPHO.

Clin. [2] SI mihi ſecundae res de amore meo eſſent, iam dudum ſcio
Veniſſent: ſed vereor, ne mulier me abſente hic corrupta ſit.
Concurrunt multae opiniones [3], quae mihi animum [4] exaugeant;

1 h. e. bona verba ſunt, blanda promiſſa, quibus eam morer l. traham, cf. II, 2, 88. Vocem ipſam *recte* Don. ad Adelph. IV, 3, 18 ad *verba* refert, uti *verum* ad rem. *Non recte dicere*, pro maledicere alicui, Plautinum eſt. Andr. II, 2 *Recte dicis* h. e. lacta promittis. Et ſic forſan Eun. II, 3, 50 *Recte inquit* interpreteris: fauſta precatus ſ. valedixit. Cum ſic vox *recte* abiiſſet in formulam, ex conſuetudine inanem, idem fere ſonabat ac *nihil*. Unde & ſaepe adhibitum ab iis, qui abſque iniuria interrogantis ſ. poſcentis reticere cupiebant quae dicere nollent. Quem ſenſum & alii h. l. ſequuntur. Mox *rel. eſt dicere* h. e. ne dicam, cautio eſt. Nihil enim inde certius eſſet, quam me excludi. Ergo *Nihil* mali ominis verbum mihi ſit ap. illam.

2 Mire ſollicitus inducitur Clit. cui exſpectanti hora videtur aetas, annus. Amor eius ſuſpicioſus, & ad ſe torquendum ingenioſus eſt.

3 ſ. multa veriſimilia (h. e. veriſimilem ſuſpicionem facientia) uti Ad. IV, 4, 18. Neque igitur *opiniones* offendere debuerunt Bentleium.

4 Sic Cod Bemb. (quocum faciunt omnes ſcripti) idem-

Occaſio, locus, aetas, mater cuius ſub imperio eſt mala;
Cui nihil praeter pretium iam dulce eſt. *Clit.* Clinia. *Clin.* hei miſero mihi!
Clit. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens?
Clin. Faciam: ſed neſcio quid profecto mihi animus praeſagit mali.
Clit. Pergin' iſtuc prius diiudicare, quam ſcis, quid veri ſiet?

que gloſſam adſcriptam habet, *quae me terreant. animum autem dicit, quam illi praeſens efficit metus ſollicitam cogitationem.* Neque ſemper *animus augeri* dicitur ſpe, & re laeta. Etiam in re dubia Cic. ad Att. X, 14 adhibuit: *verum ea non animum eius* (in exilium abeundi) *augebant, ſed timorem.* Augentur, credimus, animi, perinde ut affectus fuit aut res eſt. Animus Cliniae praeſagus mali erat ob moram, & nunc augetur multis opinionibus. Plaut. Capt. IV, 2, 1 ſq. *Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto, Tanto mihi aegritudo auctior eſt in animo.* Sed aegritudine auctiori augeri ipſe animus videtur: quomodo & Galli dicunt *j'ai le cœur gros de dépit.* Itaque miramur, Gallis, maxime Palmerio, Guyeto & Dacieriae, verbum *exaugere*, valde augere, diſplicuiſſe, uti Acidalio Germano; & pro eo viſum *exangeant*, verbum novum, quod loco dubio ap. Plaut. Stich. I, 1, 54 parum firmetur. Bentl. noſtrum probans cetera ſic legi cupit: *concurrunt multa, opinionem hanc quae mihi animo exaug.* mollius fuiſſet *mi in animo.* Sed faceſſant haec. MS. Leid. 1 voci *exaug.* ſuperſcriptum habet *diminuant*, tanquam *ex* eſſet privativum. Nobis, ſi quid emendandum ſit, placeret *metum* pro *animum.* Sed feramus vulg.

Clin. Si nihil mali eſſet, iam hic [1] adeſſet. *Clit.* iam aderit. *Clin.* quando iſtuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longule eſſe? et noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum [2] comuntur, annus eſt [3]. *Clin.* o Clitipho,
Timeo. *Clit.* reſpira: eccum Dromonem cum Syro: una adſunt tibi.

ACTUS II. SCENA II. [4]

SYRUS, DROMO, CLINIA, CLITIPHO.

S. An' tu? *D.* ſic eſt. *S.* verum interea dum ſermones caedimus,

1 Sequimur plurimos Codd. & edd. vett. Al. *adeſſent-aderunt.* Noſtrum Cliniae amori magis convenit.

2 Nutant edd. in hoc verbo, quod Donato ad Hec. IV, 3, 5 & Servio ad Virg. Aen. IV, 133 debemus. Nullus enim MSS. ſic habet, ſed l. *conantur*, l. *comantur.* Illud quidem ex ſuis repoſuit pro *comuntur* Faernus, neſcimus quam bene, ut ſynonymum τῷ *moliuntur*, probatque Lindenbr. ac noviſſime revocat Bentl. Priſcae edd. Tarv. & Arg. c. ſigg. ex MSS. dedere *comantur;* unde facilis tranſitus ad *contantur*, librariis ſollenne pro cunctantur. Virgil. l. c. *Reginam thalamo cunctantem -- exſpectant.* Sed & in itinere dum movent, nihil promovent; quod aptum illi *moliuntur* h. e. parant egreſſum. Et ſic eſſet inter utrumque verbum quaedam varietas, quae ex τῷ *moliri* ſ. parare ſe & *conari* l. *com.* non apparet. Sed feramus vulg.

3 Pulchre Plaut. Mil. IV, 7, 9--11 *Mulier profecto nata eſt ex ipſa mora. Nam quaevis alia, quae mora eſt aeque, mora Minor ea videtur, quam quae propter mulierem eſt. Hoc adeo credo fieri conſuetudine.*

4 Scena hac argumentum

Illae ſunt relictae. *Clit.* mulier tibi adeſt; audin' Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo Clitipho [1].
D. Minime mirum: adeo impeditae ſunt: ancillarum gregem
Ducunt ſecum. *Clin.* perii! unde illi ſunt ancillae [2]? *Clit.* men' rogas [3]?
S. Non oportuit relictas: portant quid rerum [4]! *Clin.* hei mihi!
S. Aurum, veſtem: et veſperaſcit, et non noverunt viam.

duplex miſcetur in unum dolo Syri ſervi, qui effecerat, ut evocatam Cliniae amicam Antiphilam comitaretur potens illa et magnifica Bacchis, quam deperierat Clitipho, quaſi ipſa eſſet Antiphila. Inde mora itineris, e qua metus erat Cliniae; cui vix ob auditum ſuae adventum recreato redeunt graviores ſuſpiciones ex comitatu Bacchidis magnifico, quem putat eſſe Antiphilae, a virtute ad quaeſtum delapſae. Subvenit tandem errori Syrus, dolumque ſuum aperit; unde cum ſibi metuat Clit. varii dantur ludi; quos claudit Syrus admonitione Clit. ne is intemperantia ſua rem prodat omnem.—Servi in fronte Scenae ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in colloquio, quod ultro citroque in via conferebant; haec Calphurn.

1 De adventu ſuae iam certus, reficitur, qui ante defecerat animo & ſenſibus; ſed ſuperveniet nova ſuſpicio.

2 Quaeſtum ſuſpicatur ex amore promiſcuo. Alias honeſtae & potentes feminae non ſine comitatu tali in publicum prodibant. Sed unde illi pauperi tantum?

3 Quaſi ego haec ſciam.

4 Creſcit ſuſpicio ex iis, quae ſervus fortuito dicit.

Factum a nobis ſtulte eſt. abi dum tu, Dromo, illis obviam.
[1] Propera: quid ſtas? *Clin.* vae miſero mihi, quanta de ſpe decidi[2].
Clit. Quid iſtuc? quae res te ſollicitat autem? *Clin.* rogitas quid ſiet?
Viden' tu ancillas, aurum, veſtem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui. unde[3] eſſe cenſes[4]? *Clit.* vah, nunc demum[5] intellego.
S. Dii boni, quid turbae eſt[6]? aedes noſtrae vix capient, ſcio.
Quid comedent? quid ebibent? quid ſene erit noſtro miſerius?
Sed video, eccos, quos volebam. *Clin.* o Iuppiter, ubinam eſt fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletaſti te, Antiphila, et me in his deſeruiſti malis,

1 Al. *propere.*

2 Iam deturbatur mens.

3 Al. ingerunt *ea* poſt *unde.*

4 Niſi ex quaeſtu ſ. meretricio amore.

5 Tardus ſane ad intelligendum, ut quem nihil eius rei tetigerat, in alio occupatum amore.

6 Ex ſermonibus Syri maior uſque fides opinioni, quae Cliniam urget. Is vero haec non dicit, tanquam hero ſuo timeat, ipſe horum artifex; ſed gaudet in ludis, quos ſeni reddet. Servi enim plerique magis faciunt cum herilibus filiis, quam cum ipſis heris.

Propter quam in ſumma infamia [1] ſum, et meo patri minus obſequens [2]:
Cuius nunc pudet me, et miſeret, qui harum mores cantabat mihi,
[3] Monuiſſe fruſtra; neque potuiſſe eum unquam me ab hac expellere.
Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mihi eſſe potuit [4], nolui.
Nemo eſt miſerior me. *S.* hic de noſtris verbis errat videlicet,
Quae hic ſumus locuti. [5] Clinia, aliter tuum amorem, atque eſt, accipis:
Nam et vita eſt eadem, et animus te erga idem ac fuit [6],

1 ſ. infamis, ſc. amore puellae, quae peregrina habebatur. Flagitia ſc. inſequitur ſermo & fama.

2 Significatio pietatis nunquam ex animo dimiſſae. Supra & Andr. I, 5, 28 Pamphilo *patris pudor* eſt.

3 Infinitivi reguntur a *pudet*, *miſeret*.

4 cf. ſupra not. ad Eun. III, 1, 6.

5 Satis iam explorato amore vero Cliniae per credibiles ſuſpiciones, ſed falſas; ſubvenit iam ſervus errori Cliniae, eumque iam vere recreat narrando mores Antiphilae, etiam nunc integrae; & ſic, quaſi praeteriens, ſignificat, omnem iſtum paratum non eſſe Antiphilae. Exhilarató viciſſim tanto magis Clinia, quanto ante ſollicitior fuit, Syrus ſe convertit ad Clitiphonis amorem clandeſtinum, cui et hodie auxilium ferre cupit; de quo dein.

6 Haec eſt quaſi propoſitio; & bene ſibi conſtabit Syr. probando primum vitam parcam & pudicam, dein eundem animum ſ. amorem illius in Cliniam.

Quantum ex ipſa re coniecturam [1] fecimus.
Clin. Quid eſt obſecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium eſt,
Quod malim, quam me hoc falſo ſuſpicarier.
S. Hoc primum, ut ne quid huius rerum ignores: anus [2],
Quae eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipſa in itinere alterae [3]
Dum narrat, forte audivi. *Clit.* quaenam eſt altera?
S. Mane; hoc, quod coepi, primum enarrem, Clitipho:
Poſt iſtuc veniam. *Clit.* propera. *S.* iam primum omnium,
Ubi ventum ad aedes eſt, Dromo pultat fores:
Anus quaedam prodit: haec ubi aperuit oſtium,
Continuo hic ſe coniecit intro: ego conſequor:

1 Vulg. *cepimus*. Noſtrum cum Bemb. voluit Faern. ac rec. Bentl.

2 Bene Syr. probationem primam coeptat ab anu illa, quae dicta antehac mater Antiphilae credibilem fecerat ſuſpicionem. Scrupulo maximo exemto, ceteros tollit enarrandis vere & diſtincte eoque pulchre, quae viderat & e quibus caſtius ingenium & vitam laborioſam ipſe ſtatim collegerat.

3 *Alterae* antique pro *alteri*. Sic vero minus ambigue mulierem comitem innuens, & Cliniae ſcrupulum evellit de comitatu illo ancillarum, & ſibi viam quaſi praeſtruit ad alteram narrationis ſuae partem. Curioſi Clitiphonis animum ſuſpendit, donec Cliniae, de ſua potius quam de illa curioſo, ſatisfecerit. Et eius amor omni ex parte prior eſt.

Anus foribus obdit peſſulum, ad lanam redit.
Hic ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit [1]:
Ubi de improviſo eſt interventum mulieri.
Nam ea res dedit tum exiſtumandi copiam,
Quotidianae vitae conſuetudinem;
Quae, cuiuſque ingenium ut ſit, declarat maxume.
Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus,
Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Eius anuis cauſa, opinor, quae erat mortua:
Sine auro: tum ornatam, ita uti quae ornantur ſibi [2]:
Nulla mala re [3] interpolatam muliebri.
Capillus [4] paſſus, prolixus. circum caput

1 cf. Liv. I, 57. ſq. quibus nihil verius eſt & pulchrius. Collatinum, Lucretiae virum, ſic loquentem facit: *Quin-inviſimus praeſentes noſtrarum ingenia. Id cuique ſpectatiſſimum ſit, quod inopinato viri adventu occurrerit oculis.*

2 Hoc ipſo ornatam, quod aſcititia ornamenta neglexerat. At quae aliis placere geſtiunt, ſuperbius aut laſcivius ſe ornant.

3 Vulgo inepte *eſſe expolitam*; neque enim *to eſſe* convenit cum ſuperiori *oſtendimus*, & abeſt a Bemb. aliisque Codd. & edd. vett. unde & Faern. delevit. Sed ſic ſyllaba deeſt verſui, quam tandem bene explevit Bentl. ex Plautino illo in hac re *interpolatam*; v. Moſt. I, 3, 105 & 117. cf. Amph. I, 1, 116. Nonius inquit: *Interpolare* eſt *immittere, interponere,* et *novam formam e vetere fingere. Mala res* eſt venenum ſ. pigmentum; cf. Plaut. Trin. II, 4, 153.

4 Sic MSS. complures legitque Don. ad Phorm. I, 2, 56 & crines paſſi erant lugentium, cf. Virg. Aen. I, 480. Gellio XV, 15 *capillus paſſus* eſt porrectus & expanſus. Al. tamen MSS. *ſparſus*;

Reiectus neglegenter: pax [1]! *Clin.* Syre mi, obſecro,
Ne me in laetitiam fruſtra coniicias. *S.* anus
Subtemen nebat: praeterea una ancillula
Erat: ea texebat una pannis obſita,
Neglecta, immunda illuvie. *Clit.* ſi haec ſunt, Clinia [2],
Vera, ita uti credo, quis te eſt fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit ſordidatam et ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignum eſt, dominam eſſe extra noxiam,
Cum eius tam negleguntur internuntii [3]:
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier

quod nec inde abludit, & Auſon. Idyll. 12 firmare videtur; *Totum opus hoc ſparſum, crinis velut Antiphilae: pax.* unde id rec. Bentl. fruſtra vero idem mutat *prolixus* in *promiſſus*. Nos exponimus: qui ipſi erat capillus fluitans, multus longuſque capillus, is circum caput, a fronte negligenter reiectus, ſuo ingenio flexus per humeros ſeſe effundere videbatur.

1 Non longius audens progredi in pulchritudine deſcribenda, ſilentium ſibi indicit. Nec decebat ſervum, porro verbis exſequi, quae viderat. Hoc potius ſit elegantis alicuius formarum ſpectatoris l. amantis. Et quid opus huic illa laudare, qui iam ſatis admiratur, & dictis ſervi laetatur. Terentio nil prius decoro & oratione pura ſ. caſta.

2 Abrumpit in tempore Clit. narrationem de ingenio & vita, de qua ſatis dictum, & ipſe addit momentum ex ſuo ſenſu, quo diſcrimen inter verum honeſtumque amorem illius & ſuum malum clandeſtinum intelligit.

3 Gloſſa Bembini: *internuntios pro ſervis poſuit, ſed ſententia haec ita eſt: qui non neglegerentur, ſi eſſent internuntii* int. amatorum; cf. Eun. II, 2, 56. Plaut. Aſin. I, 3, 30. Mil. IV, 1, 40.

Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Clin. Perge, obſecro te [1], et cave ne falſam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
S. Ubi dicimus rediiſſe te, et rogare, uti
Veniret ad te; mulier telam deſinit
Continuo, et lacrumis opplet os totum ſibi [2], ut
Facile ſcires deſiderio id fieri tuo [3].
Clin. Prae gaudio (ita me dii ament) ubi ſim neſcio.
Ita timui [4]. *Clit.* at ego nil eſſe [5] ſcibam, Clinia.
Agedum viciſſim, Syre, dic quae illa eſt altera.
S. Adducimus tuam Bacchidem [6]. *Clit.* hem, quid
Bacchidem?

1 Securus de caſtitate Antiphilae redire iubet Clinia Syrum ad narrandum vere, quomodo Antiphila affecta fuerit nuntio ſui adventus, unde ſciat, an eundem animum erga ſe habeat etiamnum. Quamvis autem ex ingenio eius & adventu de animo eiusdem bene ſperet, primam tamen animi ſignificationem audire vehementer cupit, Syrumque obteſtatur, ut ea fideliter narret.

2 Nam lacrimae ſaepicule de gaudio prodeunt, Apul. Met. I.

3 Quid opus eſt aliis teſtimoniis? Quanto autem brevius dixit unum id, tanto citius in affectum dulciſſimum movet Antiphonem.

4 Timor mollit animum. Mollitus pertentatur fortius gaudio.

5 int. quod timeres. Satis frigide haec addit Clit. qui iamdiu ſuſpenſus nunc ſibi ſatisfieri cupit de altera. Quamvis vero Syr. curaverit, ut is & ſua hodie potiatur; ex hoc ipſo dolo, qui ſimul intenditur in patrem, non eſt verum gaudium, quale ex vero & honeſto amore habuit Clinia: ſed cum cupidine varia ſollicitudo Clitiphonem tenet, donec illam omni dubitatione ſuperiorem callidus efficit ſervus.

6 Brevius reſpondebit ad

Eho, ſceleſte, quo illam ducis [1]? *S.* quo ego illam?
ad nos ſcilicet.
Clit. Ad patremne? *S.* ad eum ipſum. *Clit.* o hominis impudentem audaciam [2]! *S.* heus
Tu [3], non fit ſine periclo facinus magnum et memorabile.
Clit. Hoc vide [4]: in mea vita tu tibi laudem is quaeſitum, ſcelus,
Ubi ſi paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo [5] facias? *S.* at enim [6]. *Clit.* quid enim [7]?
S. ſi ſinas, dicam. *Clin.* ſine.

omnia Syr. ſuperbus de ſuo conſilio; neque tempus ſupereſt narrandi plura. Addit vero *tuam*, ut hoc blandius alliciat Clitiphonis aſſenſum.

1 Non tam iratus expoſtulare videtur, quam timorem prodere. Sed eo quod ipſe Syrus non ſtatim ediſſerat conſilium, idque probari curet, creſcit indignatio in ſervum.

2 Exclamatio magis mirantis quam indignantis.

3 *Heus tu* revocantis ad conſiderandam ſententiam, quam a fortiter in bello audentibus mutuatur. Ea utitur Xerxes reſpondens Artabano ap. Herod. VII, 50.

4 Μιμησις τȣ *heus tu.*

5 Haerent in *illo* interpp. & Bentl. id temere mutat in *illa*. Hoc ſane ſervo non aptum. Neque illi aptius, qui ad Cliniam hoc dici volunt: *quid* (de) *illo* (Syro) *f.* Nos exponimus *illo* cum Eugraphio, Fabrini & Dacieria, *quid tum ſ. deinde facias, ubi praeter ſpem evenerint.* Quid enim *illo* non perinde ſit adv. temporis ac loci? cf. Eun. V, 1, 21. Sic & *illi* dicitur pro *illic*.

6 Additurus forſan, niſi interpelaret Clit. tutum eſt conſilium meum; ita mox v. 86.

7 Ex ambagibus Syri ſubit

Clit. Sino. *S.* ita res eſt, haec nunc quaſi cum --- [1]. *Clit.* quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? *Clin.* Syre, verum hic dicit. mitte: ad rem redi.
S. Enim vero reticere nequeo [2]: multimodis iniurius
Clitipho es: neque ferri potis es. *Clin.* audiendum hercle eſt: tace.
S. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici.
Tuum eſſe in potiundo periclum non vis. haud ſtulte ſapis:
Siquidem id ſapere eſt, velle te id, quod non poteſt, contingere.
Aut haec cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda ſunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etſi conſilium, quod cepi, rectum eſſe et tutum ſcio [3].
Nam tua apud patrem amica tecum ſine metu ut ſit, copia eſt:

ira Clitiphonem. Inde novae morae.

1 Ita ambit ſervus rem ipſam, quaſi cum eam illuſtrare velit prius ſimili aliquo, (ut Ad. IV, 7, 21) quam ediſſerat. Inde rumpitur Clit. Difficile vero ſit, explere ſententiam non quidem inchoatam.

2 Indignantem ſe ſimulat, & ferocius reſpondendo callide adoritur Clitiphonem, quo eius metum a patre pellat alio metu, ne a Syro deſeratur, immo ipſa Bacchide excidat. Tum cupido incenſa ſuperabit omnem metum.

3 Callide ſuum conſilium laudat, & in id inducit Clitiphonem duplici illecebra.

Tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando ſurdas iam aureis reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? *Clit.* ſiquidem hoc ſit [1]. *S.* ſiquidem [2] experiundo ſcies [3].
Clit. Age, age, cedo, iſtuc tuum conſilium quid id eſt? *S.* aſſimulabimus [4],
Tuam amicam, huius eſſe. *Clit.* pulchre: cedo quid hic faciet ſua?
An ea quoque dicetur huius, ſi una haec dedecori eſt parum?
S. Immo ad tuam matrem abducetur. *Clit.* quid eo [5]? *S.* longum eſt, Clitipho,
Tibi ſi narrem, quam ob rem id faciam: vera cauſa eſt. *Clit.* fabulae:
Nihil ſati' firmi video, quam ob rem accipere hunc mihi expediat metum.
S. Mane, habeo aliud, ſi iſtuc metuis [6], quod ambo confiteamini

1 Impulſus iam Clit. parum firme dein reſiſtit.

2 Vide quam irrideat repetendo eius verba.

3 Haud prius ſcias, quomodo proveniat conſilium, quam id ipſum ineas & experiaris.

4 Tantum de conſilio ſuo vix tandem aperit, quantum ab utroque iuvene in ea re fieri vult; cetera ſecum ſervat.

5 Calph. recte exponit: *quid tum?* uti nos ſupra *quid illo f.*

6 Iam profligaturus eſt omnem dubitationem Clitiphonis, & quidem iocoſe ſatis.

P 2

Sine periclo eſſe. *Clit.* huiuſmodi, obſecro, aliquid reperi [1]. *S.* maxume:
[2] Ibo obviam hinc: dicam, ut revortatur domum. *Clit.* hem,
Quid dixti? *S.* ademptum tibi iam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otioſe ut dormias [3].
Clit. Quid ago nunc? *Clin.* tu ne? quod boni [4]. --- *Clit.* Syre, dic modo
Verum. *S.* age modo hodie: ſero ac nequidquam voles.
Clin. Datur: fruare dum licet: nam neſcias ---
Clit. [5] Syre, inquam. *S.* perge porro, tamen iſtuc ago.

Bentl. fruſtra fecit *ſi iſte eſt metus.*

1 Quam ſtulte amans credit Syro iocanti, & potiri geſtit ſua ſine periculo!

2 Sic Bentl. edidit Cod. Mead. firmatum. Vulg. *ibo obv. hinc, d. u. revertantur.* Antiphila non reditura erat; neque Clin. tam patienter id audiſſet.

3 Prov. graec. ex Menandro; in quo & Plaut. ludit Pſeud. I, 1, 121. Elliptice Cic. ad Attic. XIII, 24 *in alteram aurem* int. dormio, h. e. ſecurus ſum.

4 Clinia continuat ſermonem v. 104 interea dum Clit. perturbatus cum Syro ſimul agit. Atque perturbatio Clitiphonis fere fecit, ut & in vulgg. diſturbarentur & divellerentur verba. Itaque verbis *quod boni*, interruptis quidem, ſed non diſiungendis, male additum *eſt*, quod Mur. delendum eſſe vidit, recteque omittunt Bentl. & Millerus, cum verbum ipſum mox ſequatur, *quod boni--datur.*

5 Vulg. ſeqq. duos verſus tranſpoſite reddit. Sed quod pridem edixerat Eugr. iterum

Clin. Eiu' ſit poteſtas poſthac, an nunquam tibi.
Clit. Verum hercle iſtuc eſt: Syre, Syre, inquam, heus, heus Syre [1]! .
S. Concaluit [2]: quid vis? *Clit.* redi, redi. *S.* adſum, dic quid eſt,
Iam hoc [3] quoque negabis tibi placere. *Clit.* immo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es iudex; ne quid accuſandus ſis, vide.
S. Ridiculum eſt, te iſtuc me admonere, Clitipho:
Quaſi iſtic minor mea res agatur, quam tua.
Hic ſi quid nobis forte advorſi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter haec res neutiquam neglectui eſt mihi.
Sed iſtunc exora, ut ſuam eſſe adſimulet. *Clit.* ſcilicet

ſermo per Clit. anxii & Syr. ludentis ſermonem praeciditur; id quod inter omnes edd. unus Bentl. ſequitur. Eius exemplo quae Clit. & Syr. inter ſe iecerint: Cl. *Syre iſtuc ago* interponimus, deinde eorum, quae Clin. dixit, finem reddimus *Eius ſit* &c. Ea tantum ratio eſt, qua Clit. iam aurem praebens Cliniae alteram, illi reſpondeat *verum hercle* &c. ac proinde Syrum anxius revocet *Syre, Syre.*

1 Omnis adeo confecta eſt haeſitatio, vincitque omnia amor ſ. Clit. cupido. Syrus vero ſimulans iam diſceſſerat, quaſi Bacchidi dicturus, ut reverteret.

2 Hoc ſecum ſervus, cui ſimulatio bene proceſſerat. Nunc ad Cliniam reſpiciens: *quid vis?*

3 int. de remittenda Bacchide.

Facturum me eſſe. in eum iam res rediit locum,
Ut ſit neceſſum. *Clit.* merito te amo, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. *S.* perdocta eſt probe.
Clit. At hoc demiror [1], qui tam facile potueris
Perſuadere illi, quae ſolet quos ſpernere [2].
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium eſt
Primum: nam quendam miſere offendi ibi militem
Eiu' noctem orantem. haec arte [3] tractabat virum,
Cupidum ut illius animum inopia incenderet,
Eademque ut eſſet apud te hoc quam gratiſſima.
Sed heus tu [4]: vide ſis, ne quid imprudens ruas.
Patrem noviſti, ad has res quam ſit perſpicax:
Ego te autem novi, quam eſſe ſoleas impotens:
Inverſa verba, everſas cervices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.
Clit. Laudabis. *S.* vide ſis. *Clit.* tutemet mirabere.
S. Sed quam cito ſunt conſecutae mulieres?
Clit. Ubi ſunt? cur retines [5]? *S.* iam nunc haec non eſt tua.

1 Securus iam Clit. rogat quae ad amorem ſuum pertineant. Gratum ſc. ipſi, quod nobilis ſ. ferox illa & magnifica mulier induxerit ad ipſum venire.

2 Eleganter & fortius pro: quae ſolet potentes amatores ſpernere.

3 Arte meretricia ſc. potens.

4 Concludit Syr. admonitione prudenti, quam patris filiique ingenia ſuppeditant.

5 Quam immodeſta eſt huius cupido, & decorus contra

Clit. Scio, apud patrem: at nunc interim. *S.* nihilo magis.
Clit. Sine. *S.* non ſinam, inquam. *Clit.* quaeſo pauliſper. *S.* veto.
Clit. Saltim ſalutare. *S.* abeas, ſi ſapias. *Clit.* eo. quid Iſtic? *S.* manebit. *Clit.* o hominem felicem! *S.* ambula.

ACTUS II. SCENA III.

BACCHIS, ANTIPHILA, CLINIA, SYRUS.

B. [1] AEdepol, te, mea Antiphila, laudo, et fortunatam iudico,
Id cum ſtuduiſti, iſti formae ut mores conſimiles forent:
Minimeque (ita me dii ament) miror, ſi te ſibi quiſque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,

amor Cliniae! Immemor monitorum ſtatim repellendus a Syro.

1 Oſtenſo, quae ſit inter amorem Cliniae verum honeſtumque, & malum Clitiphonis amorem diverſitas, poeta etiam mores amicarum, alterius bonae, alterius procacis componit hoc pulchrius, quod ipſa procax velut convicta, ſuos confitetur mores, & ſimul innocentes alterius laudat. Loquuntur in itinere, ſed iam appropinquantes.

Omniumque adeo voſtrarum [1], volgus quae ab ſe ſegregant [2]:
Et vos eſſe iſtiuſmodi, et nos [3] non eſſe, haud mirabile eſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis: nos, quibus cum eſt res, non ſinunt.
Quippe forma impulſi noſtra nos amatores colunt [4]:
Haec ubi imminuta eſt, illi ſuum animum alio conferunt.
Niſi ſi proſpectum eſt interea aliquid [5], deſertae [6] vivimus.
Vobis cum uno ſemel ubi aetatem agere decretum eſt viro,
Cuius mos maxume eſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant [7]:
Hoc beneficio, utrique ab utriſque vero [8] devincimini;

1 h. e. tui ſimilium.

2 Non vulgarium, ſ. a quaeſtu alienarum.

3 Male tuetur cauſam; quare enim non moribus bonis formam ornare didicit?

4 Non vere; ſed conferendo in nos ſtudium ſuum & pecuniam.

5 int. rei, ſ. rem fecerimus. Sic autem ex Codd. optimis Faern. reddidit verſum. Bentl deſciſcit: *niſi proſp. int. a nobis eſt.*

6 Adeoque in egeſtate. Sic Phorm. V, I, 24. Virg. Aen. 384 coniungit *Ipſe ignotus, egens Lybiae deſerta pererro.* Reſpondent ſibi *colunt* & *deſertae.* Nihil eſt damnoſius agro deſerto.

7 Imitatur Cic. in Lael. 9 & 14. In amore laſcivo eſt nonniſi applicatio oſculorum; in vero bonoque etiam & maxime animorum.

8 h. e. amore, quem ani-

Ut nunquam ulla amori veſtro incidere poſſit calamitas.
A. Neſcio alias [1]: me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *C*. ah [2].
Ergo, mea Antiphila, tu nunc ſola reducem me in patriam facis [3].
Nam, dum abs te abſum, omneis mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Praeterquam tui carendum quod erat. *S*. credo [4]. *C*. Syre, vix ſuffero [5].

morum ſimilitudo virtuſque coniungit. Sunt vero beneficia ab alienis, qui ceſſare potuerunt, nec volunt, uti officia tribuuntur a neceſſariis.

1 Applaudat tibi, optima virgo, aut poetae veriſſimo, omne theatrum! Admirabili brevitate, uno quaſi ductu, lineam virtutis, innocentiam expreſſit. Vitia aliarum haud noſſe, iam virtus eſt. Sed & ipſa peragit, quae ſint feminae propoſita, inſervire non ſibi, ſed bono viro.

2 Audivit certe quae Ant. reſpondit Bacchidi. An quidquam blandius & verius ab ipſa deſiderare potuit?

3 Quam iure, & cum affectu aeque tenero ac vero exclamans ſibi! Nec dum enim illa ipſum viderat.

4 Credimus tecum omnes, Syre.

5 Tan. Faber poſt Calph. haec, quae Clin. pergit, Clitiphoni cum tribuiſſet, ſecuti eum male filia Dacieria & Harius, aberrant a vero. Eugr. vero ad Cliniam refert. Clit. certe amandatus a Syro alibi deambulabat. Neque dicta ſunt ad licentiam ſalutandi; neque Clit. niſi forma Bacchidis impulſus eam colebat. Sed Cliniae dolet, patrem obſtare, quo minus ſuo modo h. e.

[1] Hoccine me miſerum non licere meo modo [2] ingenium frui?
S. Immo, ut patrem tuum vidi eſſe habitum [3], diu etiam duras [4] dabit.
B. Quiſnam hic adoleſcens eſt, qui intuitur nos [5]? *A.* ah! retine me obſecro.
S. Amabo, quid tibi eſt? *A.* diſperii, perii miſera [6]! *B.* quid ſtupes,
Antiphila? *A.* videon' Cliniam, an non? *B.* quem vides? *C.* ſalve, anime mi.
A. O mi exſpectate Clinia, ſalve [7]. *C.* ut vales?

honeſto connubio devinctus & ſecure fruatur ingenio bono amicae, quod vult Eugr. an ſuo.

1 Conſtrue: me miſ. n. licere frui hoc ing. meo m. Alii velint: hoccine (adeone) me miſ. &c. Illud honeſtius videtur: & cum gemitu dicitur.

2 Sic opt. Codd. Faern. & qui eum ſequuntur. Al. MSS. vetereſque edd. *ingenio*. Neque hodie omnibus probatur caſus quartus. Quidni vero pariter liceat *ingenium frui*, uti *operam abuti?* Noſter certe Phorm. I, 3, 13 *liceat quod amo frui.*

3 h. e. parce ac duriter ſe habentem, eoque & te durius habiturum. Sic Sall. Cat. 6 paſſive *Sicut pleraque mort. habentur*, h. e. ſe habent. Bentl. miſere cupiens omnia emendare l. vertere, non intelligens verba *eſſe hab.* delet, & iis ſupponit *partes.*

4 int. partes, tibi agendas; cf. Eun. II, 3, 62.

5 Prior circumſpectat meretrix. Et ſolus adeſt Clin. quo repens viſo prae amore & gaudio linquitur Ant. & excipienda cadit. Inde maior eloquentia apparet, quam in multis verbis. Cuncta modeſtam decent & egregie ad commovendum.

6 Sunt verba pereuntis ab animo; neque diu peribit.

7 Iam animum colligit ex alloquio amici.

A. Salvom veniſſe gaudeo. *C*. teneone te [1],
Antiphila, maxume animo exoptatam meo?
S. Ite intro [2]: nam vos iam dudum exſpectat ſenex.

ACTUS III. [3] *SCENA I.*

CHREMES, MENEDEMUS.

C. [4] LUciſcit hoc [5] iam: ceſſo pultare oſtium
Vicini? primum ex me ut ſciat, ſibi filium
Rediiſſe. etſi adoleſcentem hoc nolle intellego.
Verum, cum videam miſerum hunc tam excruciarier
Eiu' abitu, celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi [6] pericli nihil ex indicio fiet?

1 Amplexam tenet.

2 Id tum amplexantibus ſe praeter modum Cliniae & Ant. tum Bacchidi, otioſae ſpectatrici, dicit.

3 Bene Dacieria monet, prolationem huius actus, ex ipſis Dionyſiis, (uti in Pluto Ariſtoph. ex itinere ad Aeſculap.) eſſe natum; & quod licuerit Menandro, Terentium in fab. tempore ludi agenda recte ita ſecutum, ut ea per noctem divideretur: neque id eſſe contra artem, cum fabula incipiat veſperi ab hora VIII, & poſt coenam ac quietem intermediam a luciſcente coelo continuata tribus poſt horis abſolvatur; neque ſic XII hor. egrediatur: verum nec eo hiare comoediam, quod quidam putarunt, cum e geſtis inter coenam ludi reddantur per totum Act. 3.

4 Redit ad curam humaniter pro Men. ſuſceptam Chremes. Ab illius rebus neque convivii voluptate avocatus, neque ſomno retardatus, inſperatum nuptium afferet; multa quidem, quod ſenum eſt, ſed non minus bona ex animo humano & cum conſilio depromturus.

5 int. coelum, quod domo egrediens ſuſpicit, circumſpicit.

6 int. filio.

Haud faciam: nam [1], quod potero, adiutabo ſenem.
Item ut filium meum amico atque aequali ſuo
Video inſervire, et ſocium eſſe in negotiis:
Nos quoque ſenes eſt aequom ſenibus obſequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregio ad miſerias
Natus ſum [2], aut illud falſum eſt, quod volgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio aegritudo: et quanto diutius
Abeſt, magis cupio tanto, et magis deſidero.
C. Sed ipſum foras egreſſum video: ibo, alloquar.
Menedeme, ſalve: nuntium apporto tibi,
Cuius maxume te fieri participem cupis.
M. Num quidnam de gnato meo audiſti, Chreme?
C. Valet atque vivit. [3]. *M.* ubinam eſt, quaeſo?
C. [4] hic domi.

1 *Nam* adverſativum h. l.

2 Cantat primo mane ſenex labores ſuos ex deſiderio filii; quod tam impatienter fert, ut ad extremum e diverſo labens, etiam corruptis moribus filium habere, ſibique dolos pecuniae cauſa parari cupiat. Ineſt his praeparatio ad ipſos dolos, quibus Chr. facilius circumveniatur a Syro ſuo.

3 h. e. laetus agit--*hic domi.* (Sed interrumpit Men. quaerendo) Sic Andr. V, 3, 18 *habeat, valeat, vivat cum illa.* Plaut. Mil. IV, 8, 38 *Bene valete & vivite.* Et notum eſt *amici dum vivimus, vivamus;* quod plenius Hec. III, 5, 10 *vixit, dum vixit, bene.* Amatores autem cum amicabus vere vivere ſibi videntur; Catull. V, 1. Sic & *vita* ſaepius eſt *vitae tranquillitas, beatitudo;* Andr. V, 1, 3; V, 5, 3. Heaut. II, 3, 74 &c. Neque igitur Eugr. & Calph. bene exponunt h. l. *ſpiritum ducit*; neque cum Dacieria *ὕστερον πρότερον* quaſi ſapienter factum ſapimus.

4 Plerique MSS. & edd.

M. Meus gnatus? *C.* ſic eſt. *M.* venit? *C.* certe. *M.* Clinia
Meus venit? *C.* dixi [1]. *M.* eamus, duc me ad eum, obſecro.
C. Non volt te ſcire ſe rediiſſe etiam: et tuum
Conſpectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta ſit.
M. Non tu ei dixiſti, ut eſſem [2]? *C.* non. *M.* quam ob rem, Chreme?
C. Quia peſſume iſtuc in te atque in illum conſulis,
Si te tam leni et victo [3] animo eſſe oſtenderis.
M. Non poſſum: ſatis iam, ſatis pater durus fui. *C.* ah [4].
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parſimonia.
In eandem fraudem ex hac re atque ex illa incides.
Primum olim potius, quam paterere filium
[5] Commetare ad mulierculam, quae paululo

vett. redundantius *hic ap. me domi*. Faern. omiſit *hic*, nec ſic verſus conſtat. Nos retinemus illud, & reiicimus glosſema *ap. me* ex Eun. IV, 6, 9 ingeſtum. Demonſtrando domum ſuam dicit — *hic domi*; ut *hic intus* Hec. I, 2, 23. Plaut. Bacch. III, 6, 39.

1 Finem ſic facit quaerendi & reſpondendi eadem.

2 int. nunc animo erga ipſum.

3 Rationem primo dicit ſedatius; ſed non afficiet rudem.

4 Vehementius iam adoritur hominem vehementem. Simul praeparatio ineſt ad ea, quae Men. temere decernet v. 55.

5 Vulg. *commeare*. Sed frequentativum Bentl. verſus cau-

Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruiſti hinc [1]. ea coacta ingratiis [2]
Poſt illa coepit victum volgo quaerere.
Nunc, cum ſine magno intertrimento non poteſt
Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tu ſcias,
Quam ea nunc inſtructa pulchre ad perniciem ſiet:
Primum, iam ancillas ſecum adduxit plus decem,
Oneratas veſte atque auro. [3] ſatrapa ſi ſiet
Amator, nunquam [4] ſufficere is ſumptui queat,
Nedum tu poſſis. *M.* eſt ne ea intus? *C.* [5] ſit, rogas?
Senſi [6]: nam unam ei coenam atque eius comitibus
Dedi. quod ſi iterum mihi ſit danda, actum ſiet:

ſa reſcripſit, ex Non. Marc. II, 163 in eadem re uſo firmat, & ab Hario defendit; cf. eundem ad Hor. Serm. II, 5, 79. Eandem vocem rec. Pareus Plaut. Capt. I, 2, 82 ex compluribus MSS. Pal. Pro antiqua voce librarii notiorem ediderunt; ſed illa ſane h. l. fortior.

1 int. clamoribus tuis, ſ. quotidie accuſando.

2 ſc. Bacchidem per errorem credit Cliniae amicam.

3 Vulg. *ſatrapes*. Vox Perſ. Erant praeſides provinciis iique opulentiſſimi in Oriente.

4 Vulg. *ſuffere eius ſumptus*. Sed diſplicet *το eius*, e quo verſus laborat. Tum ſine dubio imitatus Cic. ad fam. X, 10 extr. ſcribit: *non ſi Varronis theſ. haberem, ſufficere ſumptui poſſem*. Sic enim cum P. Man. ex duobus vetuſtis verius ibi legimus, quam vulg. *ſubſiſtere ſumptui*, quod perperam tuetur Gron. ad Liv. XXVII, 7. Sed & h. l. ap. Ter. in ed. vet. c. figg. eſt *ſufficere eius ſumptus*. Verba *ſufficere*, *ſufferre*, *ſubſiſtere*, ſaepius permixta. Noſtra ratio Cic. & Ter. reconciliat. Cf. infra ad ſcen. II, 34.

5 Al. MSS. & edd. *ſi ſit*, repugnante metro.

6 Cum gemitu pronuntiat.

Nam, ut alia omittam, pitiſſando modo mihi
Quid vini abſumpſit? ſic [1], *hoc*, dicens, *aſperum*,
Pater [2], *hoc eſt: aliud lenius, ſodes, vide.*
Relevi dolia omnia, omnes ſerias:
Omnes habui ſollicitos: atque haec una nox.
Quid te ſ[illegible]urum cenſes, quem aſſidue exedent?
Sic me dii amabunt, ut me tuarum miſeritum eſt,
Menedeme, fortunarum. *M.* [3] faciat; quod lubet:
Sumat, conſumat, perdat: decretum eſt pati,
Dum illum modo habeam mecum. *C.* [4] ſi certum eſt tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut neſcientem ſentiat te id ſibi dare.
M. Quid faciam? *C.* quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des; falli te ſinas

1 Cum emphaſi dicit, ſed exaggerat percellendi cauſa; an quod ipſe ſenex eſt tenacior.

2 Honorifice ſenem ſic appellans. Et mox *ſodes* blandientis. Imitando haec pronuntiaſſe videtur Chremes.

3 En patrem, cui ille fuit unicus, l. potius qui ſe in unico unice amabat! Et ingenio ſuo vehemens in utramque partem neque olim, neque nunc, in filium conſulere curans. Alii patres prius iuſto ſunt indulgentiores in filios, dein peccantibus nimis quam ſuccenſent, cum ſe laeſos putant. Scil. quamplures non cum ratione agunt, ſed prouti feruntur caeco impetu.

4 Tertium iam conſilium depromit: quod cum decreto Menedemi miſceat, ut ſaltem non plane cum filio pereat Menedemus; hic magis audiet.

Technis per ſervolum: etſi ſubſenſi id quoque [1];
Illos ibi eſſe, et id agere inter ſe clanculum.
Syru' cum illo voſtro conſuſurrant: conferunt
Conſilia [2] ad adoleſcentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto ſatius eſt, quam illo minam.
Non nunc [3] pecunia agitur, ſed illud, quo modo
Minimo periclo id demus adoleſcentulo.
Nam ſi ſemel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui,
Quantam feneſtram ad nequitiam pateſeceris?
Tibi autem porro ut non ſit ſuave vivere.
Nam deteriores omnes ſumus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravumne an rectum ſit, quod petet.
Tu, rem perire, et ipſum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te ſe valere ſentiet:
Abiturum ſe abs te eſſe illico minabitur.

1 Neque tamen ſenſit recte ſ. verum. Ipſi enim, non Menedemo, parat inſidias Syrus ſuus. Magis comicum, maiorque ars, fallere eum, qui dum alteri ſuadet, ut ſe falli ſinat, egregie ſibi callidus videtur, rem alienam ſapiens, non ſuam. Praeparatio igitur ineſt ad ipſos Syri dolos, quos hic ſcena ſq. molitur.

2 Vulg. non habet *ad*, quod poſt Bentl. reponimus, ut verſus integer ſit.

3 Vulg. *de pecunia*. Sed Bentleium ſequimur.

M. Videre verum, atque ita uti res eſt, dicere.
C. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium reſtituerem,
M. Cedo dextram: porro te idem oro ut facias,
Chreme.
C. Paratus ſum. *M.* ſcin', quid nunc facere te
volo?
C. Dic. *M.* quod ſenſiſti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere. cupio illi dare,
Quod volt: cupio ipſum iam videre. *C.* operam dabo.
Syrus eſt prehendendus atque adhortandus mihi.
A me neſcio quis exit [1]: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere ſentiant.
Paulum hoc negoti mihi obſtat: Simus et Crito
Vicini noſtri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non poſſe his dare.
Continuo hic adero. *M.* [2] ita quaeſo, dii voſtram
fidem,

1 Speciosam inde Chr. ſumit cauſam monendi Menedemum, ut labori finem faciat, haud quidem nunc invitus, domumque concedat ad agendum reditum. Eſt vero ſcena ita inſtructa, ut utriuſque & Chremetis & Men. tum & vicinae Simi & Critonis aedes appareant. Simul vero iſtis verbis praeparatur adventus Syri in ſcenam, ne abeunte primum Chremete, dein & Menedemo, theatrum vacuum fiat ab actoribus.

2 Menedemus haec eloquitur ad ſpectatores ab una parte theatri ſtans, cum in diverſam diſceſſiſſet Chremes ad vicinos.

[1] Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et diiudicent,
Quam ſua? an eo fit, quia in re noſtra aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?
Hic mihi nunc quanto plus ſapit, quam egomet mihi [2]?

ACTUS III. SCENA II.

CHREMES, SYRUS.

C. [3] DIſſolvi me, otioſus operam ut huic darem.
S. Hac illac circumcurſa [4], inveniendum es tamen
Argentum. intendenda in ſenem [5] eſt fallacia.
C. Num me fefellit, hoſce id ſtruere? videlicet
Ille Cliniae ſervus tardiuſculus eſt:

1 Nunc ſapit fere, qui ſe nil ſapere intelligit, ſenex a triſtia reductus ad gaudium ſenſumque aliquem. Dictum ſequens laudat & Lactant. de falſa ſap. c. 4.

2 Is quoque concedit domum, Syro iam ingrediente ſcenam.

3 Verſum hunc in omnibus edd. priori ſcenae male additum transferimus in hanc novam, quia ab altera parte ſibi loqui coepit Syr. ab altera redit Chr. ſecum loquens. Sic vero cum Dacieria legimus *ut huic dar.* Vulg. enim *ut tibi dar.* male ſupponit praeſentem Mened. quem abire iuſſerat. Credimus, utrumque & Chr. & Syrum, illius ignarum, ſimul & e diverſo loqui.

4 Facete alloquitur argentum, tanquam illud perſequens; & infra IV, 2, 11 *fugitivum* dicit. Itaque & cum Bentl. mox legimus *es* pro vulg. *eſt.*

5 Ambigue. Syr. intelligit Chremetem, viſoque mox Chr. territus; ſed hic accipit de Men. Inde hic ipſe ſe fallens, adeo Syrum, dolo intentum, iuvabit. Iucundus error.

Idcirco huic noſtro tradita eſt provincia.
S. Quis hic loquitur? perii! numnam haec audivit?
C. Syre. *S.* hem.
C. Quid tu iſtic? *S.* recte equidem [1]: ſed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. *C.* nihil nimis.
S. Nihil, narras? viſa vero eſt, quod dici ſolet,
Aquilae ſenectus [2]. *C.* eia [3]. *S.* mulier commoda [4], et
Faceta haec meretrix. *C.* ſane [5]. *S.* itan' [6] viſa eſt tibi?
Et quidem hercle forma luculenta. *C.* ſic ſatis [7].
S. Ita non ut olim [8]; ſed uti nunc, ſane bona:

1 In dubia re belle reſpondet quaſi *nihil*; cf. ſupra not. ad I, 3, 16. Statim ſermonem ad ipſum ſenem vertit, aſtute.

2 Prov. quod ipſe Pſalmiſta CIII, 5 adhibet de *ſemper iuvene*. Putabatur enim aquila bibendo uſque & ſe mergendo in fontem redire ad iuvenilem vigorem; cf. Eſai. XL, 31. Melius haec ex opinione vulgari, quam ex Phyſicorum rationibus illuſtrantur.

3 *Eia* blande reprehendentis. Neque enim bibax videri vult, ſed tamen gaudet eo, quod adhuc vigens putetur.

4 Ad iucunda vertere viſus ſermonem, ſimul callide expiſcari cupit, num ſenex quidquam de dolo ſuſpicetur.

5 Ex hoc reſponſo ſecure agit Syrus.

6 Primum ex Cod. Bemb. recipimus, haec dici a Syro, dein *tibi*. Sed nos *itan'* ex *idem* invenimus. Vulgo enim haec tribuuntur & Chremeti, ſic expreſſa: *idem viſa eſt mihi.*

7 Minutius quam antea *ſane* laudat.

8 Vide, quam calleat ſervus morem ſenum; quibus ea magis laudantur, quae iuvenes videre.

Minimeque miror [1], Clinia hanc ſi deperit:
Sed habet patrem quendam avidum, miſerum, atque aridum,
Vicinum hunc: noſtin'? at quaſi is non divitiis
Abundet, gnatu' eius profugit inopia.
Scis eſſe factum, ut dico? *C.* quid ego neſciam?
Hominem piſtrino dignum. *S.* quem [2]? *C.* iſtunc ſervolum
Dico adoleſcentis. *S.* Syre tibi timui male [3].
C. Qui paſſus eſt id fieri. *S.* quid faceret? *C.* rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde eſſet adoleſcenti, amicae quod daret,
Atque hunc difficilem [4] invitum ſervaret ſenem.
S. Garris [5]. *C.* haec facta ab illo oportebat, Syre.
S. Eho! quaeſo laudas qui heros fallunt [6]? *C.* in loco [7],
Ego vero laudo. *S.* recte ſane. *C.* quippe quia [8]
Magnarum ſaepe id remedium aegritudinum eſt.
Iam huic manſiſſet unicus gnatus domi.
S. Iocone, an ſerio illaec dicat, neſcio;

1 Acrius iam explorat ſimulandi auctor.

2 Ambigue dictis ſtatim terretur Syr. & interrumpit quaerendo Chremetem. Mala conſcientia.

3 Haec ſeorſim ſibi dicit; uti mox v. 31 & 32.

4 Sic minuendo vocat, quem ſervus ante peius depinxerat.

5 Haud ſerio loqueris, cum peccare doces.

6 Admirabundus rogat.

7 Repete, qui fallunt.

8 An *quod?* certe vulg. *quia* redundat ſyllaba.

Niſi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
C. Et nunc quid exſpectat, Syre? an, dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare illius ſumtus [1] non queat?
Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit? *S.* ſtolidus eſt.
C. At te adiutare oportet adoleſcentuli
Cauſa. *S.* facile equidem facere poſſum, ſi iubes:
Etenim, quo pacto id fieri ſoleat, calleo.
C. Tanto hercle melior [2]. *S.* non eſt mentiri meum [3].
C. Fac ergo. *S.* at heus tu [4], facito dum eadem haec memineris,
Si quid huius ſimile forte aliquando evenerit,
Ut ſunt humana, tuus ut faciat filius.
C. Non uſus veniet, ſpero. *S.* ſpero hercle ego quoque:

1 h. e. alere amicae luxuriam. Habet enim verbum iſtud vim *alendi*. Caeſ. B. C. III, 58 iungit *alere* & *tolerare equitatum*: & *ſumtus* ſaepius *luxuriem* innuit. Supra *ſufficere ſumtui*. Cave igitur verſum vexes cum Bentl. nec ab aliis bene expoſitum. Primo abiit ob duritiam patris; dein abire cogatur ob amicae, iam corruptae, luxuriam, cui non ſufficere poſſit.

2 Formula laudandi. Et laudat, ut incendat.

3 Haud falſa promitto.

4 Servus heri commoditate, quae hodie erat ex ſtudio in Menedemum, inductus, ſatis libere & ſimul facete ipſum monet, ſi quid in ipſum intenderit ſimilis fallaciae, ne tum gravius ferat. De ſe incautus ſenex pro ioco accipit, quae tamen ſic praeparantur in ipſum.

Neque eo nunc dico, quo quidquam illum ſenſerim:
Sed ſi quid [1], ne quid [2]; quae ſit eius aetas, vides [3]:
Et nae ego te, ſi uſus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare poſſim [4]. *C.* de iſtoc, cum uſus venerit,
Videbimus quid opus ſit: nunc iſtuc age [5].
S. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, cum maleſacere crederem, mi impunius
Licere. quiſnam a nobis egreditur foras?

ACTUS III. SCENA III.

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Ch. [6] Quid iſtuc, quaeſo? qui iſtic mos eſt, Clitipho? itane fieri oportet?

1 int. evenerit.

2 int. ſuccenſeas.

3 Immo probabile facit, id eventurum.

4 Ridens haec ad Chremetem, an ab ipſo hero averſus ad ſpectatores ſibi dicit?

5 Domum concedit Chr. ibique viſo filio cum Bacchide impudentius agere, iratus evocat filium in ſcenam, quem obiurget. Itaque Syr. tres ſqq. verſus pronuntiat ſolus in ſcena verſans, donec illi exierint. Vidit haec bene Bentl.

6 Iratus cum filio redit Chremes, quem Bacchidi palpantem invenerat. Magna inde ſuſpicio doli ſuboriri debuit Chremeti; & Syr. iam omnia prodita timet. Sed bonus Chr. nil eius ſuſpicans, verensque, ne Cliniam eo offenderit filius, eo nomine obiurgat filium. Et Syrus reprehendit Clitiphonem, ut parum memorem praeceptorum. (Sed ſimulationem praeceperat.) Ità pater in ſervo magis acquieſcit.

Cl. Quid ego feci? *Ch.* vidin' ego te modo manum in ſinum huic meretrici
[1] Ingerere? *S.* acta haec res eſt! perii [2]. *Cl.* mene [3]? *Ch.* hiſce oculis, ne nega.
Facis adeo indigne iniuriam illi, qui non abſtineas manum:
Nam iſtaec quidem contumelia eſt,
Hominem amicum recipere ad te, atque eius amicam ſubagitare.
Vel heri in vino, quam immodeſtus fuiſti? *S.* factum [4]. *Ch.* quam moleſtus?
Ut equidem, ita me dii ament, metui, quid futurum denique eſſet.
Novi ego amantium animum: graviter advortunt, quae non cenſeas.
Cl. At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.
Ch. Eſto; at certe concedas aliquo ab ore eorum aliquantiſper.
Multa fert libido: ea facere prohibet tua praeſentia.
Ego de me facio coniecturam [5]. nemo eſt meorum hodie,

1 Sic Cod. Bemb. melius, quam vulg. *inſerere*. Putat enim pater, filium id, obtrudendo ſe, cum iniuria amici feciſſe.

2 Syrus deſperat, dolum procedere poſſe.

3 Negans ſic rogat.

4 Conſentit ſervus patri, ap. quem ſibi fidem eſſe cupit, ut facilius fallat.

5 Iterum ſurdo narrabit fabulam monitor; cf. ſupra II, 1, 10.

Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipſius facti [1] pudet,
Ne ineptus, ne protervus videar. quod illum facere credito [2].
Sed noſtrum eſt intelligere, utcunque, atque ubicunque opus ſit, obſequi.
S. Quid iſtic narrat [3]? *Cl.* perii. *S.* Clitipho, haec egò praecipio tibi [4]?
Hominis frugi et temperantis functus officium [5]. *Cl.* tace,

1 Sic ex Bemb. Faern. Al. ſcripti & edd. *piget.* Melius tamen fuerit, ſenem nil facere, quod pudeat, aut in quo intemperans videatur. Sed ſenex, nunc ſe ſubſtituens Cliniae adoleſcenti, facilius perſuaſum iri putat filio, ut relinquat amico liberum, agere apud amicam. Humane quidem in eo àgit, ſed non aeque prudenter.

2 h. e. ſibi ob tuam praeſéntiam invitum temperare in amore.

3 Mire diſſentiunt interpretes in his verbis. Nos ab omnibus diſcedimus, & putamus, haec dici in Clitiphonem. Ut Phorm. V, 8, 6 Nauſiſtrata poſt clamores mariti ſcire tandem cupiens, quid dicere habeat Phormio, hunc provocat *quid ergo eſt? quid iſtic narrat:* ſic h. l. Syr. oblique Clitiphonem provocat ad dicendum, ſi quid habeat. Sed cum Clit. nil regerat, niſi *perii*, iam eum ſervus ſimulator fortius, quam pater, increpat.

4 Relege, quae praeceperit impotenti, ut ſibi caveat adverſus patrem, ad haec perſpicacem II, 3, 128--132 longe alia, quam pater monuit. Ita hic decipitur; & filium obiurgat, ſeque cum illo ab omni veri ſuſpicione liberare ſtudet.

5 Ironia reprehendèntis, eoque iraſcitur Clit.

Sodes. *S.* recte ſane [1]. *Ch.* Syre, pudet me [2]. *S.*
credo : neque id iniuria.
Quin mihi moleſtum eſt [3]. *Cl.* Pergin'? *S.* hercle
verum dico, quod videtur.
Cl. Nonne accedam ad illos [4]? *Ch.* eho quaeſo,
una accedendi via eſt?
S. Actum eſt: hic prius ſe indicàrit, quam ego argentum
effecero.
Chreme, vin' tu homini ſtulto mihi auſcultare [5]?
Ch. quid faciam? *S.* iube hunc
Abire hinc aliquo. *Cl.* quo ego hinc abeam? *S.* quo?
quo libet : da illis locum :
Abi deambulatum. *Cl.* deambulatum, quo? *S.* vah [6],
quaſi deſit locus.
Abi ſane iſtac, iſtorſum, quo vis. *Ch.* recte dicit :
cenſeo.
Cl. Dii te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.
S. at tu pol tibi iſtas
Poſthac comprimito manus,

1 Ironiam continuat.

2 Iam ſidit ſenex ſervo doloſo.

3 Qui non ſum pater, ſed ſervus.

4 Prae libidine ſua & ira in ſervum, cuius conſilium non aſſequitur, ſtolide ſuam imprudentiam defendit, ita ut pater denuo ipſum monere ſuſcipiat. Itaque prius abigendus eſt, quam rem prodiderit.

5 Neque aliud conſilium dabit, quam quod Chr. monuerat filium v. 11 & 12. Seni igitur in eo aſſentatur.

6 *Vah* inſultantis h. l.

ACTUS III. [1] *SCENA IV.*

SYRUS, CHREMES.

S. Cenſen' vero [2]? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Niſi eum, quantum tibi opis Dii dant, ſervas, caſtigas, mones?
Ch. Ego iſtuc curabo. *S.* atqui nunc here hic tibi aſſervandus eſt.
Ch. Fiet. *S.* ſi ſapias: nam mihi iam minu' minusque obtemperat.
Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egiſti, Syre? aut
Reperiſti quod placeat, an nondum etiam [3]? *S.* de fallacia
Dicis [4]? ſt. inveni quandam nuper. *Ch.* frugi es: cedo, quid id eſt?
S. Dicam [5]: verum, ut aliud ex alio incidit. *Ch.* quidnam, Syre?

1 Non modo cum Dacieria novam inimus ſcenam, ob Clitiphonis abitum, ſed & totam male adhuc intellectam, in melius explicare, & lectionem affectam reſtituere tentamus.

2 Vide, quam is probum ſervum & cuſtodem filii ſimulando, ſenem ſibi devinciat, ut facilius ipſum argento emungat; a quo ad fallendum Menedemum illectus, denuo moneri cupit.

3 Senex maturare cupiens dolum, e quo Men. (ex condicto) pecuniam filio largiri debeat cupiatque, ipſe ſibi fallaciam praeparat.

4 Quaerit, velut qui ante in eiusmodi re animum non habuerit.

5 int. quid excogitaverim

S. Peſſuma [1] haec eſt meretrix. *Ch.* ita videtur. *S.* immo, ſi ſcias [2].
Vah [3]! quod inceptat facinus. Fuit quaedam anus Corinthia
Hic: huic [4] drachmarum haec [5] argenti mille dederat mutuum.
Ch. Quid tum? *S.* ea mortua eſt: reliquit filiam adoleſcentulam:
Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento. *Ch.* intellego.
S. Hanc ſecum huc adduxit, eaque eſt nunc ad [6] uxorem tuam.
Ch. Quid tum? *S.* [7] Cliniam orat, ſibi uti id nunc det: illam illi tamen

fallaciae. Sed antequam id dicat, aliud, quod ipſi modo ſuccurrat, quaſi verum, narrare inſtituit, e quo tanquam id non agens, in ſpem lucri inducat ſenem, rei augendae intentum! Similis igitur haec erit narratio a v. 10 lineis ab aranea telae ſuae praetenſis, tenuibus & quaſi derelictis; quae ubi offenduntur, in medium ſinum rapiunt.

1 Sic dicit callidam valde quaeſtus meretricii; eamque vituperat, ut ipſe bonus videatur.

2 int. rem, magis id dicas.

3 *Vah* h. l. improbantis factum.

4 int. anui.

5 int. meretrix.

6 h. e. apud. Inde agnitio Antiphilae, & ſequens ſcena praeparatur.

7 Sqq. olim male in omnibus edd. affecta & in MSS. varia ex Cod. Bemb. & Vat. bene emendata dedit Faern. ſenſumque bene vidit, ſed in ultimo verbo reſtituendo defecit cum Codd. de quo vid. not. ſq. unde alii interpretes verum non viderunt, & ipſa Daciera poſt *daturam* interpungen-

Poſt daturam mille nummum [1] ſpondet. *Ch.* et ſpondet quidem? *S.* hui,
Dubium id eſt? [2] ego ſic putavi. *Ch.* quid nunc facere cogitas?
S. Egone? ad Menedemum ibo [3]: dicam hanc eſſe captam e Caria,
Ditem, et nobilem: ſi redimat, magnum ineſſe in ea lucrum.

do aberravit a ſenſu. Senſus autem hic: *a Clinia poſcit id argentum* (ſc. mille drachmas ſ. nummos) *ſeque illam* (adoleſcentulam, Antiph.) *illi* (Cliniae) *daturam ſ. addicturam eſſe mille nummum* (int. pretio ſ. cauſa) *ſpondet.*

1 Vulg. *nummum poſcit*; al. MSS. & edd. vett. *numos poſcit*, uti & dein *& poſcet quidem*, al. *expoſcit quidem.* Scriptum primitus credas *nunum ſpondet*; ac dein *& ſpondet quidem*: hinc illi errores. Viderat quidem ſenſum, neque vero verbum reſcribit verum Faern. Ita ille: *Quid vero hic ſignificet verb.* poſcit, *non ſane ex grammaticis liquet. Ratio tamen ſenſusque cogit, id intelligi pro* pollicetur *aut* offert. Bentl. poſt Faern. verba praeſtiturus cuncta denuo corrumpit legendo: *illa illi--datum iri--praes ſit*; ac deinde *& praes ſit quidem?* Quam diſtant haec a latina ratione & a Terentii ingenio? Nannius inepte huc trahit locum Plauti Merc. II, 3, 101.

2 Falſo his verbis vulg. perſonam Chr. praeſcribit, quam Cod. Bemb. annotat poſt *putavi*, & ſic edidit Bentl. Dicturum, quae putabat, Chremes interpellat. Sed ille dein dicit reſpondendo.

3 Haec ſe cogitare ſimulat, nec vere dicit, qui in Chremetem intendit fallaciam.

Ch. Erras [1]. *S.* quid ita [2]? *Ch.* pro Menedemo nunc tibi ego reſpondeo:
Non emo. *S.* quid ais? optata loquere. *Ch.* atqui non eſt opus.
S. Non opus eſt? *Ch.* non hercle vero. *S.* qui iſtuc? miror. *Ch.* iam ſcies [3].
Mane, mane; quid eſt, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores [4]?

ACTUS IIII. SCENA V. [5]

CHREMES, SYRUS, SOSTRATA, NUTRIX.

So. Niſi me animus fallit, hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor,

1 Habet Chremes, certe captus eſt ſpe lucri faciendi ex adoleſcentula, quam viderat pulcherrimam, liberalem & honeſtam. Nondum tamen conſilium ſuum de redimenda Antiph. ſuo argento prodit.

2 Simulat ſervus, ſe nihil in eo intelligere, ſed perculſum reſponſo.

3 Ingreſſurus erat domum ſuam, petendi argenti cauſa, quod ipſe pro Antiph. ſibi danda redderet. Sed iam alia incidunt.

4 Verſus hic coniungit ſcenam ſq. qua ſuperveniet Chremetis uxor cum nutrice. Contra omnem ſenſum edd. pleriqne eam ab hoc Actu dividunt, & quarti Actus principium eſſe iubent. Nos cum Dacieria ad Act. III retrahimus; additam habet ed. vet. c. figg.

5 Scena hac nodus fabulae ita adſtringitur, ut quomodo ex agnita Antiphila bene procedere poſſit amor Cliniae honeſtus, ita inexplicabili difficultate laborare incipiat & Clitipho cum ſua Bacchide, et dolus Syri, qui ſenem emuncturus erat argento. Scil. Antiphilam

So. Perii, quid ego feci? *C.* at rogitas? *So.* ſi peccavi, mi Chreme,
Inſciens feci. *C.* id quidem ego, etſi tu neges, certo ſcio,
Te inſcientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis. nam iam primum, ſi meum
Imperium exequi voluiſſes, interemtam oportuit,
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitae dare.
At id omitto: miſericordia, animus maternus [1]: ſino.
Quam bene vero abs te proſpectum eſt! quid voluiſti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
Per te vel uti quaeſtum faceret, vel uti veniret palam.
Credo id cogitaſti: quidvis ſatis eſt, dum vivat modo.
Quid cum illis agas [2], qui neque ius, neque bonum atque aequum ſciunt?
Melius, peius, proſit, obſit, nil vident, niſi quod lubet [3].

hae ingeniis inhoneſtis, fortemve eius ſervituti expoſitam fuiſſe, iraſcitur uxori, quod prodiderit filiam; ſed iraſci deſinet, cum illam conſervatam eſſe intellexerit.

1 int. impulerunt te ad vitam illi relinquendam.

2 Cave putes cum Eugr. Calph. cett. alios dici, quam uxorem. Uni ſuae iratus omnes accuſat mulieres; uti Phaedria in Eun. I, 1, 3. Quae ipſa communicatio deminuit de unius culpa.

3 Quomodo celeri brevitate haec ab irato Chremete dicuntur, ita nil pulchrius &c

So. Mi Chreme, peccavi: fateor [1]: vincor: nunc hoc te obſecro,
Quanto tuus eſt animus [2] natu gravior, ignoſcentior,
Ut meae ſtultitiae [3] in iuſtitia [4] tua ſit aliquid praeſidi.
C. Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: verum Soſtrata
Male docet te mea facilitas multa. ſed iſtuc, quidquid eſt,
Qua hoc occeptum eſt cauſa, eloquere. *So.* ut ſtulte et miſere omnes ſumus

verius eſſe iudicent omnes, qui mulierum ingenia norunt. Pauciſſimis datum, ut ex honeſto res ſuas metiantur, utilia provideant. Pleraeque omnes ſenſum motumque animi repentinum ſequuntur.

1 Praeſtat tamen Soſtrata ab obſequio et manſuetudine. Hinc eo faciliorem habet maritum.

2 Mendum hic verſus habere videtur a *natu;* ſed id certe antiquum, quod iam Serv. ad Virg. Aen. IX, 201 refert. Guyetus pro more expunxit verſum, & Bentl. pro lubitu male ſatis refingit *quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoſcentior.* Inepte ſane ab annorum gravitate, in qua laus non eſt, uxor veniae ſpem haberet; quam habere potuit a gravitate ſ. aequitate viri, recte omnia aeſtimantis, neque affectibus obnoxii. Vett. ſcripti & edd. quidam addunt l. ante *ignoſcentior*, l. poſt: *tanto ſit.* Sed id gloſſema eſt, verſumque excedit. Si quid videmus, ſeqq. *ut--ſit* reguntur ab *hoc te obſecro*, inter quae blande inſeritur cauſa, qua preces adiuventur. Velimus enim *quando tuus eſt animus natura aequior, ignoſcentior.* Sed nil audemus contra vetuſtam lectionem.

3 Extenuandi cauſa ſic dicuntur peccata. Minora ſunt, quae imprudenter fiunt, quam quae cum malitia. Phorm. IV, 3, 54.

4 In aequitate illa ſapientis, domini, patris, iudicis

Religioſae [1]; cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, et eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
C. Iſtuc recte: conſervaſti te, atque illam [2]. *So.* is hic eſt annulus.
C. Unde habes? *So.* quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam. *Sy.* [3] hem.
C. Quid ea narrat? *So.* ea, lavatum dum it, ſervandum mihi dedit.
[4] Animum non advorti primum: ſed poſtquam aſpexi, illico
Cognovi: ad te exſilui [5]. *C.* quid nunc ſuſpicare, aut invenis
De illa? *So.* neſcio, niſi ex ipſa quaeras, unde hunc habuerit,

cett. Iniuriae paternae ſunt a ſeveriori patre. Iuſta ſeveritas eſt moderata.

1 Ob imperitiam noſtram, & ridicule ſ. nimis ſuperſtitioſae. Al. *ſtultae & miſere--ſuperſtitioſae.*

2 Nolimus cum Calph. haec ironice accipere. Chremetem, cum ignoviſſet, ceteraque ſcire cuperet, ironia non amplius deceat. Sed hoc factum laudat, quo uno religionem ſuam & vitam gnatae ſervaverit. Nec ipſe ſenex ſpreverit morem iſtum religioſum. Et anulus natalium honeſtiorum habebat ſignificationem, unde ſperandum erat, iis qui alerent, aliquando lucrum ex honeſta educatione puellae, quae agnita magno pretio redimenda foret.

3 Iam male fiet Syro, perinde ut ſpes argenti erepta magis videbitur.

4 Sic e Bemb. & Vat. Faern. Al. *anulum*, quod defendit Mur.

5 Primum motum animi

Si potis eſt reperiri. *Sy.* interii : plus ſpei video, quam volo :
Noſtra eſt, ſi ita eſt. *C.* vivítne illa, cui tu dederas? *So.* neſcio.
C. Quid renuntiavit olim feciſſe? *So.* id quod iuſſeram.
C. Nomen mulieris cedo quod ſit, ut quaeratur. *So.* Philtere.
Sy. Ipſa eſt. mirum, ni illa ſalva eſt, et ego perii [1]. *C.* Soſtrata,
Sequere me intro hac [2]. *So.* ut praeter ſpem evenit [3]! quam timui male,
Ne nunc animo ita eſſes duro, ut olim in tollendo [4], Chreme.
C. Non licet hominem eſſe ſaepe ita ut volt, ſi res non ſinit :
Nunc ita tempus eſt mi [5], ut cupiam filiam : olim nil minus [6].

ſequitur, & ſpe, quamvis nondum certa, elata exſilit. Viri reliſtum prudentiae, indagare verum : atque id iam ſedulo praeparat ſenex, filiae cupidus.

1 Nomen auditum prorſus exterret, quippe qui noverat, id nomen fuiſſe anui, quae habita mater Antiphilae.

2 Diſcedentes cetera loquuntur.

3 Gratulatur ſibi bona femina, experta mariti bonitatem.

4 h. e. cum ageretur, tollendane eſſet filia, an non. Addit affeſtuoſe : *Chreme.*

5 h. e. commodum eſt mihi.

6 Scil. commodum erat.

ACTUS III. SCENA VI. 1

SYRUS.

NIſi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:

1 Priorem ſcenam, (quam vulgo faciunt primam quarti Actus) bene Dacieria retraxerat ad Act. III; ſed illi ab hac ſcena ordienti Actum IV non aeque aſſentiendum; probabilius forſan diviſiſſet ſermonem, quem Syr. ſecum habet: ita ut quinque priores verſus clauderent Act. III; tum ipſe primus rediret in Actu IV, cetera dicturus. Syrus certe poſt Chremetis & Soſtratae diſceſſum ſolus reſtat in ſcena; quem neque ante illos diſcedere decuit, neque poſt illos tacitum abiturum fuiſſe credas: & ipſe ſermo eius aptus maxime eſt ex priori ſcena. Sed nec divellenda eſt eius oratio, quod mox ex ſc. VII colligetur: neque agnitio Antiphilae intervallum poſtulat. Anus illa mortua erat: atque ipſius Antiphilae una eaque brevior reſponſio ſufficiebat rei omni declarandae. Sed maiori intervallo opus erit in tranſducenda Bacchidis familia; quod oſtendemus ad finem ſcenae nobis VIII & ſub initium Act. IV. Tanto quidem longior nobis eſt Act. III, quantum ex iis, quas vulgo ingeſſerunt in IV, retrahimus. Sed & in Actu III maxima vis fabulae, quae iam in eo vertit & permutatur. Amor quidem Cliniae iam ſatis bene cecidit per agnitionem Antiphilae; & alter ſenum, Menedemus, curis, quibus anxius erat, liberatur. Sed amori quoque Clitiphonis conſulendum erat fallacia, quam, cum prior eluſa ſit, novam praeparat Syr. tranſducenda Bacchide. Inde ab Actu nobis IV in tranſigenda fallacia partes primas habebunt Chremes, Clitipho, Syrus. Oratio vero Syri bipertita erit; prima parte commotionem e priori ſcena continuat; altera eſt deliberativa, qua coniungitur ſcena ſq. VII. Sed comice utitur imperatoriis dicendi formulis, velut iam profligata re, nondum tamen confecta.

Ita hercle in anguſtum oppido nunc meae coguntur copiae.
Niſi aliquid video, ne eſſe amicam hanc gnati reſciſcat ſenex:
Nam quod de argento ſperem, aut poſſe poſtulem me fallere [1],
Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto, abſcedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam ſubito e faucibus.
[2] Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro ineunda eſt mihi.
Nil tam difficile eſt, quin quaerendo inveſtigari poſſiet.
Quid ſi hoc nunc ſic incipiam? nihil eſt. quid ſi ſic? tantundem egero.
At ſic opinor: non poteſt: immo optume: euge! habeo optumam [3].
Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum [4] tamen.

ACTUS III. SCENA VII. [5]

CLINIA, SYRUS.

C. [6] NUlla mihi res poſthac poteſt iam intervenire tanta,

1 int. Chremetem.

2 v. 7--10 cum geſtu varie deliberantis pronuntiantur.

3 int. rationem. Laetior ultimum dixit; & v. 11 ſuperbe dicit imperatoris modo.]

4 Cf. Act. III, 2, 2.

5 Vulg. Act. IV. Sc. 2.

6 Clinia advenit in ſcenam laetus de agnita Antiphila, nec

Quae mi aegritudinem afferat: tanta haec laetitia oborta eſt.
Dedo patri me nunc iam, ut frugalior ſim, quam volt.
S. Nil me fefellit [1]: cognita eſt, quantum audio huius verba.
Iſtuc tibi [2] ex ſententia tua obtigiſſe laetor.
C. O mi Syre, audiſti obſecro? *S.* quidni? qui uſque una affuerim [3].
C. Cui aeque audiſti commode quidquam eveniſſe? *S.* nulli.
C. Atque ita me dii ament, ut ego nunc non tam meapte cauſa
Laetor, quam illius: quam ego ſcio eſſe honore quovis dignam [4].
S. Ita credo: ſed nunc, Clinia, age, da te mihi viciſſim [5]:

ſtatim videt Syrum; qui cum ipſi mox ſe gratulabundus obtuliſſet, facile perſuadet, ut Clitiphoni porro conſulat ſimulando Bacchidem ſuam eſſe, donec argentum a Chremete habeant. Quam novam parat fallaciam, eam ſervus clare explicat. Ex illa traduci debebat Bacchis ad Mened.

1 Haec ſecum dicit; ſed inde etiam colligas, hanc ſcenam priori affinem.

2 Gratulans iam adit Cliniam.

3 Sc. V, cui & haec ſic propior eſt, quam ut e diverſis Actibus ſint.

4 cf. ſupra Act. II, 4, 16--18 & 20--21.

5 Brevi aſſenſu cum excepiſſet Syrus, de Clitiphone & ſe magis ſollicitus, Cliniae laetitiam; gratiam ab eo iam repoſcit in ope adferenda amico.

Nam amici quoque res eſt videnda, in tuto ut collocetur.
Ne quid de amica nunc ſenex [1]. *C.* o Iuppiter [2]. *S.* quieſce.
C. Antiphila mea nubet mihi. *S.* ſiccine me interloquere?
C. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me [3]. *S.* fero hercle vero [4].
C. Deorum vitam apti [5] ſumus. *S.* fruſtra operam, opinor, ſumo.
C. Loquere, audio. *S.* at iam hoc non ages. *C.* agam. *S.* videndum eſt, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur:
Nam ſi nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Senex [6] reſciſcet, illico eſſe amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc eſt.
C. At enim iſtoc nihil eſt magis, Syre, meis nuptiis advorſum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? *S.* quidni?

1 int. reſciſcat.

2 Exultare pergit, neque audit Syrum.

3 humaniter, putat.

4 Scil. impatienter ſatis.

5 Sic Bemb. & metrum poſtulat. Eſt partic. ab *apiſcor*, de quo verbo pluribus dictum ad Tac. Annal. Vol. II, p. 358 ſq. cf. autem gaudium Pamphili Andr. V, 5, 3.

6 int. *noſter*, quod & alii pro illo reddunt.

C. Quid dicam? quam cauſam afferam? *S.* [1] quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res ſeſe habet, [2] narrare. *C.* quid ais? *S.* iubeo:
Illam [3] te amare, et velle uxorem hanc [4] eſſe Clitiphonis.
C. Bonam atque iuſtam rem oppido imperas, et factu facilem.
Et ſcilicet iam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem voſtrum. *S.* immo ut recta via rem narret ordine omnem. *C.* hem!
Satin' ſanus es, aut ſobrius? tu quidem illum plane perdis:
Nam qui ille poterit eſſe in tuto, dic mihi?
S. Huic equidem conſilio palmam do [5]: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me et poteſtatem habeam tantae aſtutiae,
Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut, cum narret ſenex

1 Al. male *quid nolo*. Noſtrum referunt Don. ad Eun. II, 1, 6. ſcripti & edd. vett.

2 Vulg. *narrato*. Noſtrum hunc reſcripſit Bentl. ut ſit: *narrare—iubeo*, *te amare*. Clin. enim admirans interloquendo exclamat.

3 int. *Antiphilam*.

4 int. *Bacchidem*.

5 Syr. adhuc pro more ſuo imperatorie locutus iam triumphum canit, ſecurus victoriae. Putabat, hoc ipſo, vera quod dicantur, non creditum iri a Chremete; qui iuſſerat fallere Menedemum.

Voſter noſtro, eſſe iſtam amicam gnati, non credat tamen [1].
C. At enim ſpem iſtoc pacto rurſum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non committet filiam.
Tu fortaſſe, quid me fiat, parvi pendis, dum illi conſulas.
S. Quid, malum [2], me aetatem cenſes velle id adſimularier?
Unus eſt dies, dum argentum eripio: pax [3]! nihil amplius.
C. Tantum ſat habes? quid tum quaeſo, ſi hoc pater [4] reſciverit?
S. Quid, ſi redeo ad illos, qui aiunt, quid ſi nunc coelum ruat [5]?
C. Metuo, quid agam. *S.* metuis? quaſi non ea poteſtas ſit tua,
Quo velis in tempore ut te exſolvas [6], rem facias palam.

1 Et fallentur ambo ſenes, ita ut alter errans, alterum a veri opinione ad falſam traducturus ſit infra IV, ſc. ult. 5.

2 *Malum*, interiectio iraſcentis, quaſi ob tarditatem Cliniae.

3 *Pax* comice, quaſi ſilentium ſibi indicente interiicitur; & eſt h. l. idem ac *tantum*.

4 int. Clitiphonis.

5 Metum Cliniae inanem oſtenſurus comparat ad impoſſibile, a quo quis metuat.

6 Metus nullus eſt, quo quis ſe ſtatim abſolvere queat. Ita vincit metum Cliniae.

C. Age, age, traducatur Bacchis. *S.* optume. ipſa exit foras.

ACTUS III. SCENA VIII. [1]

BACCHIS, CLINIA, SYRUS, DROMO, PHRYGIA.

B. [2] SAtis pol proterve me Syri promiſſa huc induxerunt,
Decem minas, quas mihi [3] daret, pollicitu' ſt. quod ſi is nunc me
Deceperit, ſaepe obſecrans me, ut veniam, fruſtra veniet:

1 Vulg. Act. IV. Sc. 3.

2 Bacchis poſt agnitam Antiphilam rem ſuam aliter cadere videns, irata prodit e domo Chr. & decedere alio parans, a Syro ſpe argenti inveniundi retinetur, & ex huius voluntate tranſit ad Mened.

3 Vulg. *dare;* unde difficultas a nemine explicata. Neque enim placet ellipſis, quam aliqui credunt explendam *ob decem min.* (& ſic interpolate habet MS. Mark.) l. ſecundum Weſterh. *decem minae* (ſunt), *quas* &c. Nec Bentl. recte hanc conſtructionem revocat ad latinam elegantiam, qua ſubſtantivum alterius commatis pronomini relat. coniungitur eo caſu, quem hoc a verbo habet; uti Andr. Prol. 3. Sic enim latiniſmus iubet poſtponere nomen pronomini. Promiſerat pridem argentum ipſe Clit. cf. ſupra ad I, 3, 16 & II, 2, 88. Atque mulierem cum adducturus eſſet Syrus, perſuaſit ei pollicendo (certius affirmando) ſe illi effecturum eſſe pecuniam. Hae vero X minae ſunt illae drachmae, quibus Antiph. redimi queat a Bacchide III, 4, 11 & 17.

Aut, cum venturam dixero, et conſtituero [1]; cum is certo
Renuntiarit; Clitipho [2] cum in ſpe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam; Syrus mihi tergo poenas pendet.
C. Satis ſcite [3] promittit tibi. *S.* atqui tu hanc iocari credis?
Faciet, niſi caveo. *B.* dormiunt [4]: ego pol iſtos commovebo [5].
Mea Phrygia audiſtin', modo iſte homo quam villam demonſtravit
Charini? *P.* audivi. *B.* proxumam eſſe huic fundo ad dextram? *P.* memini.
B. Curriculo percurre: apud eum miles [6] Dionyſia agitat.
S. Quid haec coeptat? *B.* dic me hic oppido eſſe invitam, atque aſſervari:
Verum aliquo pacto verba me his daturam eſſe, et venturam.

1 int. in certum tempus.

2 Sic Cod. Bemb. plenius. Vulg. ſine *in*. Spes autem h. l. eſt exſpectatio. Animi vero pendebit in ſpe, donec ab illa decidet.

3 h. e. pulchre. Ironice dicit. Promiſſa igitur ſunt minae.

4 Otioſi ſunt & ſecuri, veluti in utramvis aurem dormientes.

5 Commotius ipſa loquitur. Neque vero dein cum ancilla mendacium fingit ad commovendos; ſed ſerio loquitur, necdum viderat Syrum.

6 Ille ipſe miles, de quo Syr. dixerat II, 2, 124.

S. Perii hercle [1]: Bacchis mane; mane; quo mittis iſtanc, quaeſo?
Iube, maneat. *B*. i. *S*. quin eſt paratum [2] argentum. *B*. quin ego maneo.
S. Atqui iam dabitur. *B*. ut lubet, num ego inſto? *S*. at ſcin' quid, ſodes?
B. Quid? *S*. tranſeundum nunc tibi ad Menedemum eſt, et tua pompa [3]
Eo traducenda eſt. *B*. quam rem agis, ſcelus? *S*. ego argentum cudo [4],
Quod tibi dem. *B*. dignam me putas, quam illudas? *S*. non eſt temere [5].
B. Etiam ne tecum hic res mihi eſt? *S*. minime: tuum tibi reddo [6].

1 Sane iam commovetur Syr. qui ex illius abitu operam perdidiſſet non modo, ſed & re ſic detecta poenas utrique hero, maiori & minori daturus fuiſſet. Inde vero ludi, ex quibus cognoſcitur meretricum animus.

2 Ad eam ſtatim retinendam paratum, praeſens dicit argentum, quod ſe habiturum ſperabat per fallaciam.

3 Magnifice ſic dicit ancillarum gregem.

4 Iocularitér ſatis argentum, quod paratum habeat, ſe cudere dicit. Sed & Bacchis ſibi illudi putat, quod a Clit. abſtrahatur, tranſeundo ad Mened.

5 int. quod ego te tranſire velim. Nimirum illa & deſiderat Clitiphonem, quocum rem ſibi eſſe lubeat magis, quam cum ſervo.

6 Falſo omnes interpp. hoc de argento dictum volunt, parum ſcite. Sed nos credimus, *tuum* eſſe ipſum amatorem Clit. qui iam a fine Sc. 3. domo extorris ambulabat. Hinc Bacchis deſerta, hinc pars irarum; quibus iam poſitis dicit*atur* int. ad Men.

B. Eatur. *S*. ſequere hac [1]. heus Dromo. *D*. quis me volt? *S*. Syrus. *D*. quid eſt rei?
S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
D. Quam ob rem? *S*. ne quaeras: efferant, quae ſecum huc attulerunt.
Sperabit ſumptum ſibi ſenex levatum eſſe harunc' abitu.
Nae ille haud ſcit, hoc paulum lucri quantum ei damni apportet.
Tu neſcis id, quod ſcis, Dromo, ſi ſapies. *D*. mutum dices.

1 An *hunc?* Ed. vet. c. ſigg. praeter metrum legit *ſeq. me hac*. Sed e gloſſa eſt *me*; & cuncti interpp. Syrum intelligunt, quem ſequatur Bacchis. At is etiam reſtat Dromoni iuſſurus, quae vellet. Iubet igitur potius, ut ſequatur Cliniam, qui eam ſimulare debebat ſuam. Itaque ambo diſcedunt: & novam quaſi ſcenam orditur Syr. a iubendo Dromone, ut ancillas Bacchidis deducendas curet. Abit tum Dromo ad Chr. Syrus ad Men. Sic ſcena vacua, qua per intervallum deducatur pompa a Chremete ad Men. Hinc demum ordimur Actum IV.

ACTUS IV.[1] *SCENA I.*[2]

CHREMES, SYRUS.

C. ITa me dii amabunt [3], ut nunc Menedemi vicem
Miſeret me, tantum deveniſſe ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etſi, ſcio, hoſce aliquot dies non ſentiet:
Ita magno deſiderio fuit ei filius [4].
Verum ubi videbit tantos ſibi ſumptus domi

1 Fabulam ipſe poeta in Prol. duplicem dixerat ex arg. duplici. Neque vero ſolum ob duplicatas perſonas, ſenum, filiorum, amicarum, ſervorum, ſed & quod re vera compoſita eſt ex duabus fabulis; quarum prior per Antiphilae agnitionem fere peracta videtur. Obſtabant Bacchis, Clitiphonis amica, fallacia Syri, & quod ex utraque iam facile detegenda erat periculum, quo minus felix amor Cliniae in nuptias abiret. Hinc neceſſaria erat transductio Bacchidis ad Men. & nova fallacia Syri ad habendum a Chrem. argentum. Ab Actu IV fallacia haec ad amorem Clitiphonis iuvandum tranſigitur. Antea ſervierat Clitipho Cliniae; nunc Clin. ſerviet Clitiphoni. Antea Menedemo obſecutus eſt Chremes; nunc de Chremete maxime agetur.

2 Vulg. Actus IV. ſc. 4.

3 Chr. ſemper bonus & aliis apertus, eoque alios ex ſe iudicans, minus ſibi cautus inducitur. Parem ſenſum humanitatis in Men. prodit ſub initium ſc. uti in Actu I & III, 1, 54 ſq. Miſeretur nempe fortunas vicini, nunc quoque amici, ad quem tranſiverat ſumptuoſa mulier. Loquitur autem primus ſecum, dein interveniente Syro hunc alloquitur, & ab hoc fallitur.

4 Omnino hic verſus eſt Terentianus, utut abſit ab uno ex regg. ap. Bentl. Notes vero, Cliniam introiiſſe cum Bacchide ad patrem.

Quotidiano [1] fieri, nec fieri modum:
Optabit rurſum, ut abeat ab ſe filius.
Syrum optume eccum [2]. *S.* ceſſo hunc adoriri?
C. Syre. *S.* hem!
C. Quid eſt? *S.* te mihi ipſum iam dudum optabam dari.
C. Videre egiſſe iam neſcio quid cum ſene [3].
S. De illo, quod dudum [4]? dictum ac factum reddidi [5].
C. Bonan' fide? *S.* bona hercle. *C.* non poſſum pati,
Quin tibi caput demulceam [6]; accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens [7].
S. At ſi ſcias, quam ſcite in mentem venerit [8].

1 Adverb. quod reſcripſit Bentl. qui id firmat Cic. in Ver IV, 8. Plin. XI, 37 ſ. 56. Plaut. Capt. III, 5, 66. & Corn. Nep. Dione &c. pro *quotidie.* Vulg. male *quotidianos.*

2 Syrus modo a Mened. egreditur, herumque ſe videre non ſimulat. Hinc vocatus exclamat *hem!*

3 Menedemo. Colligit vero hoc Chremes, quod ſervum exeuntem vidit a Menedemo.

4 Quaerendo ſic, ſibi non eſſe animum dolos ſemper cogitantem ſimulat, ut hoc facilius bono ſeni illudat; ſed ſe promptum dicit ad iuſſa heri exſequenda.

5 Nihil reliqui feci ad celeritatem rei efficiundae. cf. ad Andr. II, 3, 7.

6 Blandimentum reddit pro obſequio. Eugr. vero, quem hic laudant omnes: *quod ſolet fieri his, qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quaſi quaedam videatur eſſe laudatio.* Videtur tamen ſenex & ſibi gratulari de felici conſilio.

7 Non ſolum laudat, ſed etiam ei gratiam promittit; cf. Ad. V, 5, 5 & 6, 6--8.

8 Vide, quam ſervus aſtu-

C. Vah, gloriare eveniſſe ex ſententia?
S. Non hercle vero: verum dico. *C.* dic, quid eſt?
S. Tui Clitiphonis eſſe amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia [1], et ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
C. Probe. *S.* dic ſodes [2]. *C.* nimium, inquam. *S.* immo ſi ſcias.
Sed porro auſculta quod ſupereſt fallaciae.
Seſe ipſe dicit [3] tuam vidiſſe filiam;
Eius ſibi complacitam formam, poſtquam aſpexerit:
Hanc cupere uxorem. *C.* modo ne quae inventa eſt? *S.* eam:
Et quidem iubebit poſci. *C.* quam ob rem iſtuc, Syre?
Nam prorſum nihil intellego [4]. *S.* [5] vah, tardus es.
C. Fortaſſe. *S.* argentum dabitur ei ad nuptias,

tus bonum ac ſimplicem herum circumveniat. Neque tamen is ipſi verum dolum explicabit, qui non Menedemum, ſed ipſum Chr. fallere in animo habeat.

1 Fraudulenter verum dicit; idem Cliniae III, 7, 33 ſq. ſuaſerat, ut diceret.

2 Non tam laudari ſe cupit, quam ut deludat magis ſenem, qui monitu ſervi falſa perſuaſus, etiam Menedemum in errorem inducit ſcen. ult. huius Actus.

3 int. patri ſuo. Vulg. *dicet.* Noſtrum eſt e Bemb. Vat. aliiſque melioribus.

4 Fallacia certe in eo pinguis erat, e qua facillime ſuſpicio ſuboriri potuit ſeni, niſi ingenium claudicaſſet.

5 Al. *hui.* Noſtrum eſt mirantis quaſi tarditatem. Sic vero callide ſe tegit, ut herus, claudicare hanc fallaciam videns, eam reiiciat honeſtate ductus.

Aurum, atque veſtem, qui: tenes ne [1]? *C.* comparet?
S. Id ipſum. *C.* at ego illi nec do, nec deſpondeo [2].
S. Non? quam ob rem? *C.* quam ob rem, me rogas? homini.... *S.* ut lubet.
Non ego dicebam in perpetuum illam illi ut dares:
Verum ut ſimulares. *C.* non mea eſt ſimulatio [3]:
Ita tu iſtaec tua miſceto, ne me admiſceas [4].
Egon', cui daturus non ſim, ut ei deſpondeam?
S. Credebam. *C.* minime. *S.* ſcite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iuſſeras [5],
Eo coepi. *C.* credo. *S.* ceterum equidem iſtuc, Chreme,
Aequi bonique [6] facio. *C.* atqui cum maxume

1 Quam inſidioſe ſeni explendum relinquit, ut is tamen aliquid conieciſſe ſibi videatur. Et expleri facillime poterat. Simul familiarius agit Syrus, quo magis ſe inſinuet ad ipſum dein felicius fallendum.

2 Hoc reſponſum ſibi fore a bono viro, qui ipſe alios fallere non vult, praeviderat Syrus. Neque enim ſervus a Men. ſed ab ipſo Chremete quaerebat argentum. Cuncta iſta de dolo, quem ad Menedemum moliatur, garriit, non ex animo dixit. Longiores ambages quaerit inſidians ſeni.

3 En virum verum & ſimplicem. Sed tales facilius capiuntur dolis.

4 Nihilominus admiſcebitur, & deſpondebit, cui dare noluit; cf. infra ſcena 5. Inde erit praeparatio ad Act. V ſ. explicationem fabulae.

5 Obſequium ſimulat, quo ad excuſationem doli parum recte excogitati abutitur, & ab hac excuſatione propius aggreditur minus ſuſpicantem inſidias.

6 int. cauſa, h. e. ut iuvem alios, iiſque proſim.

Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
S. Fiat: quaeratur aliud [1]. ſed illud quod tibi
Dixi de argento, quod iſta debet Bacchidi,
Id nunc reddendum eſt illi: neque tu ſcilicet
Eo nunc confugies: quid mea? num mihi datum eſt?
Num iuſſi? num illa oppignorare filiam
Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt: ius ſummum [2], ſaepe ſumma eſt malitia.
C. Haud faciam [3]. *S.* immo aliis ſi licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta eſſe et bene aucta [4] re putant.

1 Alia, quae Chremeti magis probentur, promittens, iam quaſi praetereundo fallaciam adhibet, revertendo ad idem illud mendacium, quod fecerat Act. IV, 4, 11 & 13, tanquam Antiphila, nunc Chremetis filia, arrhaboni relicta eſſet, pro mille drachmis. Honeſtate autem heri fretus, ab hac ſibi artificioſe auxilium petit, ut ſeni eripiat argentum.

2 Scil. quod potentiam ſequitur, vallatum calumnia, ſ. malitioſa iuris interpretatione; neque adeo impotentibus expugnabile; cf. Cic. off. I, 10 *Summum ius, ſumma iniuria.*

3 Ab omni malitia ſ. iniuria abhorrens Chr. cedit facile. Addit momentum ſervus, laudando rei familiaris copiam, tanquam fructum induſtriae ſenis.

4 Vulg. *O. te in lauta & bene aucta parte put.* quomodo iam habet ed. Veneta 1469 a Franc. Diana recognita. Editio Iuntina legit *acta* quod in MSS. ſaepe ſcriptum pro *aucta*, uti *actor* pro *auctor*. hinc Faernus ſui oblitus praetulit *acta*. Sed ex utraque lectione verſus non procedit; neque commoda phraſis eſt *in lauta parte eſſe*, pro *locupletem eſſe*. Inde varie tentarunt Critici. Nobis quidem illud *parte* videtur ortum eſſe a gloſſa vocem *aucta* per *parta* interpretante. Inde cum deficeret no-

C. Quin egomet iam ad eam deferam. *S.* immo filium
Iube potius [1]. *C.* quam ob rem? *S.* quia enim in eum ſuſpicio eſt
Tranſlata amoris. *C.* quid tum? *S.* quia videbitur
Magis veriſimile id eſſe, cum hic illi dabit:
Et ſimul conficiam facilius ego, quod volo [2].
Ipſe adeo adeſt [3]: abi: effer argentum. *C.* effero.

ACTUS IV. [4] *SCENA II.* [5]

CLITIPHO, SYRUS.

C. Nulla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet,
Quam invitus facias. vel me haec deambulatio,
Quam non laborioſa, ad languorem dedit!

men, mutata eſt vox in *parte*, & *re* amiſſa. Nemo tandem felicius correxit Bentleio, quem ſequimur. To *eſſe*, quod ſcribi ſolitum per *ee*, cum virgula ſuperne, facile ante & intercidere ſeu abſorberi potuit. Favet lectioni novae illud Horatii L. I, ep. XX, v. 20. *Me libertino natum patre & in tenui re* &c. Ennius vero ap. Cic. in Catone prol. *Ille vir haud magna cum re, ſed plenus fideii.*

1 Retraxit tandem Syr. fugitivum illud argentum; ſed iam cupit elegantiam addi, quod feratur Bacchidi a filio (qui promiſerat amicae).

2 Chr. hoc intelligit de Menedemo fallendo. Sed Syrus vult, Clitiphoni iam laetiorem copiam eſſe amicae.

3 int. Clitipho, ab exſilio redux.

4 Clitiphonem libidinis & abſentiae impatientem, eoque iratum, Syrus mox exhilarat nuntio de argento, quod habiturus ſit a patre, Bacchidi tradendum; tum brevibus, ſed pro ingenio adoleſcentis inſtruit, quomodo id accipere debeat.

5 Vulg. Act. IV. Sc. 5.

Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miſer aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes dii, deaeque, quantum eſt, Syre,
Cum tuo iſthoc invento, cumque incepto perduint:
Huiusmodi res ſemper comminiſcere,
Ubi me excarnifices. *S.* i tu hinc quo dignus es [1]:
Quam paene tua me perdidit protervitas!
C. Vellem hercle factum: ita meritus. *S.* meritus? quo modo?
Nae me iſtuc ex te prius audiviſſe gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus iam fui.
C. Quid igitur dicam tibi vis? abiiſti [2], mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
S. Iam non ſum iratus: ſed ſcin' ubi nunc ſit tibi
Tua Bacchis? *C.* apud nos. *S.* non. *C.* ubi ergo? *S.* apud Cliniam.
C. Perii! *S.* bono animo es: iam argentum ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. *C.* garris. unde? *S.* a tuo patre.
C. Ludis fortaſſe me. *S.* ipſa re experibere.
C. Nae ego fortunatus homo ſum! deamo te, Syre.

1 Ludit cum irato.

2 cf. Act. I, 2, 17. Bentl. praeter rem contra Codd. omnes & pro ingenio ſuo ingerit dictionem Plautinam, ſic refingendo: *quid igitur tibi vis dicam? adiſti mihi manum*, h. e. quod mihi daturus eras, ſubito retraxiſti.

[1] Sed pater egreditur. *S.* cave, quidquam admiratus
ſies,
Qua cauſa id fiat; obſecundato [2] in loco.
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

ACTUS IV. SCENA III. [3]

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Ch. [4] UBi Clitipho nunc? *S.* eccum me, inque [5].
Cl. eccum hic tibi.
Ch. Quid rei eſſet, dixti huic? *S.* dixi pleraque
omnia.

1 Verſus hic aliis eſt penultimus, & ſequens praecedit in MSS. & edd. vett. Muretum vero, qui turbatum ordinem vidit & reſtituit, cum Daci.ria & Bentl. ita ſequimur, ut cum Guyeto verba *Sed pater egr.* Clitiphoni addamus. In MSS. tres ſqq. verſus Syro tribuuntur; unde Weſterh. & alii, qui inverſum ordinem retinent, in peius ruerunt, *qua cauſa — loco* addentes Clitiphoni. Cauſa turbarum in MSS. nobis videtur, quod pro *deamo te* perperam ſcriptum fuerit *de amore*, tanquam Clit. quaeſiſſet cauſam, ob quam datum ſit argentum, an ob amorem int. Clitiae? Hinc retractus ille verſus *Qua c.* &c. in priorem locum.

2 Ad nutum meum omnia facito, dicito. Et hoc ipſum verbum doceat, a Syro haec dicta eſſe. Incauti adoleſcentis erat, ſecundum eſſe artifici. Et Syrus illi praeibit in Sc. ſq.

3 Vulg. Act. IV. Sc. 5.

4 Chremes nihil mali ſuſpicans affert decem minas, quibus acceptis Syrus cum Clit. ad Menedemum, ubi Bacchis erat, ſe proripiunt.

5 Syrus praeit verba, quae

Ch. Cape hoc argentum, ac defer. *S.* i: quid ſtas, lapis [1]?
Quin accipis? *Cl.* cedo ſane. *S.* ſequere hac me ocius:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere [2]:
Nam nihil eſt illic, quod moremur diutius.

ACTUS IV. SCENA IV.

CHREMES.

[3] MInas quidem iam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis [4] eſſe nunc duco datas.
Haſce ornamentis conſequentur alterae.
Porro haec [5] talenta dotis appoſcunt duo.
Quam multa iniuſta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus eſt
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

pronuntiet Clitipho.

1 Iracundius haec, ſed tacite ſubmonet ſtupentem.

2 Satis diu opperietur ſenex, a quo ſibi nunc nil timent filius in re praeſenti, Syrus de fallacia, laeti.

3 Chremes nunc ſolus a ſumptu X minarum rationes iniens, quantum ſibi erogandum ſit porro in filiam recens inventam, queritur de moribus, facitque, quod plerique faciunt ſenes paulo tenaciores.

4 Ratio honeſta, qua ductus tam facilis fuit Chr. ad pecuniam dandam.

5 int. minae iam expenſae (Eſt enim fem. ab *hicce*; uti Eun. III, 5, 34) in eandem ſummam expenſorum adpoſcunt duo tal. dotis nomine. Bentl. refingit *haec* (filia) *adpoſcet*. An vero filiae erat, poſcere dotem? cf. V, 1, 67.

ACTUS IV.[1] *SCENA V.*

MENEDEMUS, CHREMES.[2]

M.[3] MUlto omnium nunc me fortunatiſſimum
Factum puto eſſe, gnate, cum te intellego
Reſipiſcere. *C.* ut errat[4]! *M.* te ipſum quaerebam, Chreme:
Serva, quod in te eſt, filium, et me, et familiam.
C. Cedo, quid vis faciam? *M.* inveniſti hodie filiam.
C. Quid tum? *M.* hanc ſibi uxorem dari volt Clinia[5].
C. Quaeſo, quid hominis es[6]? *M.* quid? *C.* iamne oblitus es,

1 Vulg. Act. IV. Sc. 7.

2 Hac ſcena ambo ſenes falluntur, prout praedixerat Syr. III, 7, 33. Sed ineſt ſimul praeparatio ad Act. V, quo omnis fabula explicabitur. Syrus Chremetem ſupra ſc. I fallaciae cauſa monuerat, Menedemum pro filio ſuo petiturum eſſe filiam Chr. ſic enim copiam fore poſcendi a Men. pecuniam ad nuptias. Chremes tum a Syro ſe admiſceri abnuens, nunc nihilominus a Men. rogatus concedit tandem ipſi, ut filio reſponſum referret de filia deſponſa; quo ſic eveniret conſilium de pecunia a Menedemo danda. Sed omnia contra eius ſpem evenient.

3 Laetus de filii adventu, & ſimul nuptiarum conſilio, Men. egreditur domo, obviumque ſibi in ſcena Chremetem adoritur.

4 Ipſe Chr. hoc ſibi dicens errat, cum ex falſo Syri monitu credit, Menedemum errare.

5 Men. ſerio rogat, putans (quod & verum erat) filium amare Antiphilam, & Bacchidem Clitiphonis aſſe amicam.

6 Stultitiae arguit Mene-

Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? *M.* ſcio.
C. Ea res nunc agitur ipſa. *M.* quid narras, Chreme [1]?
Immo haec quidem, quae apud me eſt, Clitiphonis eſt
Amica, ita aiunt. *C.* et tu credis? *M.* omnia.
C. Et illum aiunt [2] velle uxorem, ut, cum [3] deſponderis,
Des qui aurum, ac veſtem, et alia, quae opus ſunt, comparet.

mum, ipſe tardus in hac re.

1 Miratur, putans Chremetem errare (& errat ſane) ac ſtatim v. 11 regerit, quae Chremetem erroris convincant. Falſus ſcil. Chremes eſt; ſed & is, pro Syri dolo, Menedemum in errorem inducet. Atque hi errores ſenum fecere, ut libb. ſcripti fere omnes praeter Bembinum, & editi, perinde ut a Bemb. magis recedunt, erroribus conflictarentur, quos mittimus. Nos cum Faern. Bentl. Millero, Bembinum ſequimur; & ſic edimus hoc verſu *narras* pro *dixti*, quod alii habent. Dein omittimus, quae alii huic verſui ſubdunt *Erravi. ſic res acta eſt. quanta ſpe decidi.* Scil. ex gloſſematibus eorum, qui putarunt, iam hic Menedemum cedere, a ſe erratum, male conſarcinata. Alius adſcripſerat *erravi*; alius, *ſic acta res eſt*; alius tandem ex Act. II addidit, *quanta ſpe dec.* Bemb. vero haec non habet.

2 Chr. reddit illud *aiunt* Menedemo, cui tanta ſit credulitas, ut ei rem penitus aperiat.

3 Sic Bemb. Ceteri ſcripti habent *deſponderim*, quod dedit Bentl. Sed & pater filium deſpondere dicitur Andr. I, 1, 75. Plerumque alias pater filiam deſpondet, uti ſupra IV, 1, 31 & 36.

M. Id eſt profecto [1]: id amicae datur. *C.* ſcilicet [2],
Daturum! *M.* vah, fruſtra ſum igitur gaviſus miſer [3].
Quidvis tamen iam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te reſponſum, Chreme,
Ne ſentiat me ſenſiſſe, atque aegre ferat?
C. Aegre? nimium illi, Menedeme, indulges. *M.* ſine:
Inceptum eſt: perfice hoc mi perpetuo, Chreme.
C. Dic conveniſſe, egiſſe te de nuptiis.
M. Dicam. quid deinde? *C.* me facturum eſſe omnia:
Generum placere: poſtremo etiam, ſi voles,
Deſponſam quoque eſſe dicito. *M.* hem, iſtuc volueram.
C. Tanto ocius te ut poſcat, et tu id, quod cupis,
Quam ociſſime ut des. *M.* cupio. *C.* nae tu propediem,
Ut iſtam rem video, iſtius obſaturabere.
Sed, haec [4] uti ſunt, cautim, et paulatim dabis,

1 Nunc tandem in opinionem ſ. potius errorem Chremetis inducitur; ipſeque inde colligit, amicae datum iri, quidquid filius ad nuptias popoſcerit.

2 h. e. ſcire licet, certum eſt, daturum eſſe amicae. Iungitur infinito ut II, 2, 117 & V, 1, 19.

3 Iam plane decidit de ſpe ſummae fortunae, quam ingrediens praedicaverat. Unde continetur iam uno ſolatio, quod redierit ipſi filius, quoquo modo habendus III, 1, 55 ſq. & 86 ſq.

4 Sic Bemb. quod Faerno placuit. Vulg. *ut ut*, in quo eſt quaedam ambiguitas, quae non convenit Chremeti.

Si ſapies. *M.* faciam. *C.* abi intro: vide, quid poſtulet.
Ego domi ero, ſi quid me voles. *N.* ſane volo.
Nam te ſcientem faciam, quidquid egero [1].

ACTUS V. SCENA I.

MENEDEMUS, CHREMES.

M. [2] EGo, me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, [3] id ſcio:
Sed hic adiutor meus, et monitor, et praemonſtrator [4] Chremes
Hoc mihi praeſtet. in me quidvis harum rerum convenit,
Quae ſunt [5] dicte in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

1 Uterque ſenex degreditur. Nunc igitur ſequitur ultimum intervallum, quo & opus eſt Clitiphoni, qui interea ſic vivit cum Bacchide, ut Men. cognitum ſibi utriuſque amorem Chremeti detegere queat, atque fabula exitum inveniat actu ultimo.

2 Narrationem, e qua explicabitur fabula, incipit ſolus Men. qui primus fraudes Syri vidit, ſed ſic ſua felicitate unice laetus, nimium inſultans fere ſuo ante adiutori & monitori, omnem rem aperit.

3 Al. redundanter *id certe ſcio.*

4 Tria haec verba, quibus deſignat Chremetem, e ſcena ſumpta ſunt. Sic enim dicebantur, qui hiſtriones monebant, iiſque verba ſuggerebant. Itaque & redditurus eſt Men. quae antea ipſi praeceperat Chremes.

5 Bentl. ex 2 Codd. reponit *dictae*, & ſic iam ante Dacieria. Sed vulg. fertur iis, quibus *dicta in ſtultum* (h. e.

In illum nihil poteſt : nam exſuperat eius ſtultitia haec omnia.
C. [1] Ohe, iam deſine deos uxor gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam, niſi illos ex tuo ingenio iudicas,
Ut nil credas intellegere, niſi idem dictum eſt centies.
Sed interim quid illic gnatus ceſſat cum Syro [2]?
M. Quos ais homines, Chreme, ceſſare [3]? *C*, hem! Menedeme, advenis?
Dic mihi, Cliniae, quae dixi, nuntiaſtin' [4]? *M.* omnia.
C. Quid ait? *M.* gaudere adeo occepit, quaſi qui cupiunt nuptias.
C. Ha, ha, he. *M.* quid riſiſti? *C.* ſervi venere in mentem Syri
Calliditates. *M.* itane? *C.* voltus quoque hominum fingit ſcelus.
M. Gnatus quod ſe aſſimulat laetum, id dicis? *C.* id. *M.* idem iſtuc mihi

convicia ſtultis ingeſta) nomen eſt, uti Eun. Prol. 5 *dictum in ſe* per *convicium* explicant.

1 Chr. domo egreſſus uxori religioſae, gratibus repetitis de inventa filia Deos fatiganti, haec clamat, ipſe nimii impatiens.

2 Meminit ipſe, iam diu eſſe, quod morentur filius & ſervus ap. Menedemum, cui inde initium alloquendi.

3 Fingit, ſe non intelligere, quos putet; & dein ſe tardum ſimulare pergit.

4 Nimium intentus rebus alienis ſuas oblivifcitur; itaque fit, ut deridendam praebeat ſimplicitatem.

Venit in mentem. *C.* veterator. *M.* magi', ſi magi' noris, putes,
Ita rem eſſe [1]. *C.* ain' tu? *M.* quin tu auſculta. *C.* mane: prius hoc ſcire expeto,
Quid perdideris: nam ubi deſponſam nuntiaſti filio,
Continuo inieciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet,
Sponſae veſtem, aurum, atque ancillas opus eſſe, argentum ut dares.
M. Non. *C.* quid non? *M.* non, inquam. *C.* neque ipſe gnatus? *M.* nil prorſus, Chreme.
Magis unum etiam inſtare, ut hodie conficerentur nuptiae.
C. Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? *M.* nihil.
C. Quamobrem, neſcio [2]. *M.* equidem te miror, qui alia tam plane ſcias.

1 Iam aperire volebat narrationem, qua Chremes longe alia edoceatur, quam ſperabat. Sed is de eventu conſilii ſui certus & laetus illum moratur, quaerendo ea, quae non erant, comice tandem paulatim ad veriora deducendus.

2 Tandem miratur Chremes, nihil eorum factum eſſe, quae ſperabat, & nihil in eo intelligit. Sequimur equidem lectionem a Bentl. datam, quam firmamus ſimili loco infra verſu 71. Vulgata vero male divellit τὸ *neſcio* a *quamobrem*, idque tribuit Menedemo ſic: M. *neſcio equidem*; *ſed te miror* &c. Sic vero perit omnis vis & gratia reſponſi: tu id neſcis, qui alia tam plane ſcias. Et quomodo quaerere poſſit Chremes cauſam a Men. quare Syrus nihil iſtorum fecerit? Illud vero *ſed*, h. l. male ingeſtum, cum ſq. verſus adverſetur *ſed ille*, recte omiſere Eraſmus, al.

Sed [1] tuum ille quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem ſuboleat, eſſe amicam hanc Cliniae.
C. Quid ais [2]? *M.* mitto iam oſculari, atque amplexari: id nil puto.
C. Quid eſt, quod amplius ſimuletur? *M.* vah! *C.* quid eſt? *M.* audi modo:
Eſt mihi in ultimis conclave aedibus quoddam retro:
Huc eſt intro latus lectus; veſtimentis ſtratus eſt.
C. Quid, poſtquam hoc eſt factum. *M.* dictum factum, huc abiit Clitipho.
C. Solus? *M.* ſolus. *C.* timeo. *M.* Bacchis conſecuta eſt illico.
C. Sola? *M.* ſola. *C.* perii! *M.* ubi abiere intro, operuere oſtium. *C.* hem!
Clinia haec fieri videbat? *M.* quid ni? una mecum ſimul.
C. Filii eſt amica Bacchis [3], Menedeme: occidi!
M. Quamobrem? *C.* decem dierum vix mi eſt familia [4].

1 MSS. *ille tuum;* hinc alii *ille tuus.* Alludit ad dicta v. 14. Iam vero Men. prorumpit narrando ea, quae Chremetem vertant ad ſcientiam veri, inde tandem ad iras in filium & ſervum.

2 Mirum, quam patienter ſingula audiat, e quibus ſe deceptum & deluſum ſentiat.

3 Tandem perſenſit Chremes.

4 Senes ante omnia ſolliciti de re familiari.

M. Quid? iſtuc times, quod operam amico ille dat ſuo [1]?
C. Immo quod amicae. *M.* ſi dat. *C.* an dubium id tibi eſt?
Quemquamne animo tam [2] comi eſſe, et leni putas,
Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam [3]? *M.* ha, ha, he.
Quidni? quo verba facilius dentur mihi.
C. Derides? merito mihi nunc ego ſuccenſeo.
Quot res dedere, ubi poſſem perſentiſcere [4],
Ni eſſem lapis? quae vidi [5]! vae miſero mihi!
At nae illud haud inultum, ſi vivo, ferent:
Nam iam... [6] *M.* non tu te cohibes [7]? non te reſpicis?
Non tibi ego exempli ſatis ſum? *C.* prae iracundia,

1 Urbane illudit.

2 Sic Faern. edidit ex Bemb. & Victor. & ſic habent vett. edd. Tarv. & Arg. c. ſigg. Al. vero pariter e libb. malunt: *Quemquam animo tam communi eſſe aut leni putas*. Unde metrum impeditur, niſi expungas τὸ *eſſe*. Atque τὸ *communis* ſignificantius videtur ad humanum, & qui ſua communicet, ſignificandum.

3 int. ſubagitari. Sed honeſte interpellatur per riſum Menedemi. Menedemus ridens reddit par pro pari ſupra v. 13.

4 Iam memor eorum, quae ipſi dudum aperire potuerunt rem omnem, dolebit magis & iraſcetur.

5 cf. Act. III, 3.

6 Interpellatur a Menedemo, quo minus omnia eloquatur, quae in animo habet. Facile ſit coniicere, illum ſimilia iis dicturum fuiſſe, quae Simo iratus Andr. V, 2 ſq. Cf. infra ipſum Chrem. v. 76 ſqq.

7 Iratum vehementioribus monitis cohibet.

Menedeme, non ſum apud me. *M.* tene iſtuc loqui?
Nonne id flagitium eſt [1]? te aliis conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe te auxiliarier?
C. Quid faciam? *M.* id, quod me feciſſe aiebas parum [2],
Fac, te patrem eſſe ſentiat: fac, ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, et poſcere,
Ne quam aliam quaerat copiam [3], ac te deſerat.
C. Immo abeat [4] multo malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam ſi [5] illi pergo ſuppeditare ſumptibus,

1 h. e. nonne te pudere debeat. Inhumanius tamen tractat virum, qui melius de ipſo meritus erat. Sed eſt vehementioris ingenii Menedemus.

2 Iam Chremetem ſuis ipſius dictis revincet. cf. ſupra I, 1, 103 ſqq.

3 int. ut ſuam abducat abeatque; cf. Plaut. Mil. III, 1, 174.

4 Chr. prae iracundia neſcit quae dicat. Eſt vero hoc magis ſui impotens, quo tenacior eſt & interitum fortunarum ſuarum metuens. Praeferimus autem cum Weſterh. ex lect. var. eam, quae numero MSS. edd. priſc. vincit, & redit Hec. I, 2, 35. Al. *potius malo*; al. *potius multo.* Conſtrue vero *malo--abeat--quam--redigat.*

5 Cave cum Bentl. reſcribas *illius*, aut cum Weſterh. coniicias *illis. Suppeditare* enim *ſumptui alicuius*, eſt *illum tolerare poſſe*; quod Chremes negat. Neque inſolens conſtructio verborum *ſuppeditare, praebere*, cum praep. *in*, quam praeponendam cenſemus voci *ſumptibus.* Sed aliis potius *ſumptibus* idem ſit, ac *ad ſumptus* faciendos.

Menedeme, mihi illaec vere [1] ad raſtros res redit.
M. Quot incommoda tibi in hac re capies, niſi caves [2]?
Difficilem oſtendes te eſſe, et ignoſces tamen
Poſt; et id ingratum [3]. *C.* ah! neſcis, quam doleam.
M. ut lubet [4].
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat noſtro? niſi quid eſt,
Quod mavis [5]. *C.* immo et gener, et affines placent.
M. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid obticuiſti? *C.* dotis? *M.* ita dico. *C.* ah [6]!
M. Chreme,
Ne quid vereare, ſi minu': nil nos dos movet.
C. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decrevi ſatis [7]:

1 Oſtendit ſuum malum diverſum ab illo quondam Menedemi, cui non res redierat ad raſtros, ſed qui ipſe dolore victus praeter rem eos tractaverit.

2 cf. quae Chremes monuerat Menedemum Act. III, 1, 33 ſq.

3 int. erit, h. e. nullam inde gratiam inibis.

4 Facias igitur, quomodo lubet tibi, qui me audire nolis. Videtur Men. ſatis duriter ab eo ſe avertere ad ſui ſtudium. Sed & dandum eſt dolori ſpatium, quo levior reddatur; & ex illo ipſo ſui ſtudio, quod prae ſe fert Menedemus, erit optimum remedium dolori Chremetis. Non enim modo ſic ad rem laetiorem deducitur, ſed & ipſe copiam inveniet corrigendi filii.

5 Honeſte petere videtur, ſed in loco ſic dicit, quippe certus, pro re praeſenti lubenter deſponſurum eſſe.

6 Cunctatur Chr. ſive verens, ne quam decreverat ſummam, minor videatur iuſto, ſive quaerens ſimul rationem revocandi a libidine filii.

7 Ita evenit, ut ſibi praedixerat ſupra IV, 4.

Sed ita dictu opu' eſt: ſi me vis ſalvom eſſe, et rem, et filium [1],
Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. *M.* quam rem agis?
C. Id mirari te ſimulato, et illum hoc rogitato ſimul,
Quamobrem id faciam. *M.* quin ego vero, quam ob rem id facias, neſcio.
C. Egone? ut illius animum, qui nunc luxuria et laſcivia
Diffluit, retundam, et redigam, ut, quo ſe vortat, neſciat.
M. Quid agis? *C.* mitte, ſine me in hac re gerere mihi morem. *M.* ſino [2]:
Itane vis? *C.* ita. *M.* fiat. *C.* at iam, uxorem ut arceſſat, paret [3].
Hic [4] ita, ut liberos eſt aequom, dictis confutabitur [5],
Sed Syrum... *M.* quid eum? *C.* [6] ego nae ſi vivo, adeo exornatum dabo [7],

1 Similiter rogaverat Menedemus IV, 5.

2 Aequum eſt, ſenem viciſſim obſequi alteri. III, 1, 7 ſq.

3 Int. filius tuus. Quod alii ſequenti verſui ingerunt *ſe*, h. l. pulchrius omittitur uti Phorm. V, 7, 64.

4 Scil. meus.

5 Non factis, ſed dictis reprimetur; quod fiet mox ſc. 3, v. 1. Agit vero & hic Chremes, uti decet patrem.

6 Al. *egone?* quod non ſatis h. l. convenit. Nos ſequimur Non. Marcell. vetereſque edd. Tarv. Arg. c. ſigg. Recte vero iraſcitur Syro magiſtro nequitiae, qui bonum ſenem miſere deluſit.

7 Scil. in malam partem, ſ. foedatum.

Adeo depexum [1], ut, dum vivat, meminerit ſemper mei [2]:
Qui ſibi me pro ridiculo ac delectamento putat.
Non (ita me dii ament) auderet facere haec viduae mulieri [3],
Quae in me fecit....

ACTUS V. SCENA II. [4]

CLITIPHO, MENEDEMUS, CHREMES, SYRUS.

Cl. Itane tandem quaeſo eſt, Menedeme, ut pater
Tam in brevi ſpatio omnem de me eiecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum ſceleris admiſi miſer?
Volgo faciunt [5]. *M.* ſcio tibi eſſe hoc gravius multo, ac durius,
Cui fit. verum ego haud minus aegre patior id, qui neſcio;

1 Scil. flagris.

2 Putamus, iam abire Menedemum, qui cito nuntiet Clitiphoni patris minas; & Chremetem ſqq. ſibi loqui in deambulando per ſcenam. Iam opperitur dum redeant filius & Syrus, neque diutius opperietur; cf. IV, 3, 5.

3 cf. Plaut. Mil. II, 6, 6. Apul. Met. V, 5. & Quint. decl. 338 init.

4 Clitipho a Men. vel uno verbo monitus, ſe a patre abdicari, & Syrus iam nihil habent, quod diutius morentur (cf. IV, 3, 6 & V, 1, 9.) ſed cum ipſo Men. prorumpit ad patrem, & ab ipſo egreſſu profert querelas, quas Men. humaniter excipit. Syrus vero mutus, ut lapis.

5 int. adoleſcentes, quod ego; ſcil. amant.

Nec rationem capio, niſi quod tibi bene ex animo volo.
Cl. Hic patrem eſſe, aiebas? *M.* eccum [1].

ACTUS V. SCENA III.
CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Ch. [2] Quid me incuſas, Clitipho?
Quidquid ego huius feci, tibi proſpexi, et ſtultitiae tuae,
Ubi te vidi eſſe animo omiſſo, et ſuavia in praeſentia
Quae eſſent, prima habere, neque conſulere in longitudinem [3]:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec poſſes perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proxumos tibi qui erant [4], eis commiſi, et credidi.
Ibi tuae ſtultitiae [5] ſemper erit praeſidium, Clitipho,

1 Regreditur iam Men. filium cum Syro relinquens Chremeti; neque intereſt iurgio: nondum enim tempus deprecandi pro adoleſcente aderat. Itaque nova ſcena eſt.

2 Pater iam filio ipſi clare exponit, quid de eo ſtatuerit (l. ſtatutum credi vult). Quo magis moderata voce utitur, hoc certior & gravior ira videtur.

3 Quam vere & ſcite imaginem filii delineat pater! Et ſunt iſti mores plerorumque omnium adoleſcentulorum.

4 Sororem tuam ac futurum affinem Cliniam; cui omnia bona doti dixiſſe ſimulat. Mente vero capti & prodigi dabantur in tutelam proximis.

5 Leni vocabulo utitur ad flagitia filii ſignificanda, & ipſum vocat *Clit.* quaſi

Victus, veſtitus, quo in tectum te receptes. *Cl.* hei mihi [1] !
Ch. Satius eſt, quam te ipſo herede haec poſſidere Bacchidem.
S. Diſperii: ſceleſtus quantas turbas concivi inſciens [2] ?
Cl. Emori cupio [3]. *Ch.* prius quaeſo diſce, quid ſit vivere [4].
Ubi ſcies, ſi diſplicebit vita, tum iſtoc utitor.
S. Here licetne [5] ? *Ch.* loquere. *S.* at tuto. *Ch.* loquere. *S.* quae iſta eſt pravitas,
Quaeve amentia eſt, quod peccavi ego, id obeſſe huic ? *Ch.* ilicet [6]:
Ne te admiſce: nemo accuſat, Syre, te: nec tu aram tibi,

amore eius id ſtatuerit.

1 Vide, quam confutatus appareat. Et ſane probroſum erat, pro prodigo declarari.

2 Servus addictiſſimus hero minori, cuius cauſa cuncta iſta fecerat, primum noxiam fatetur; dein etiam iras in ſe avertere parat.

3 Vivet ipſe; ſed emorietur turpis amor.

4 Quo ſapienter dicto Lactantius III, 18 contra vitae pertaeſos utitur: *Nonne igitur tibi verus ille & communis omnium pater Terentianum illud iure increpaverit*: prius-vivere.

5 Syr. permotus infortunio Clitiphonis, quod verum eſſe credit, ſe ipſe auctorem peccati confitendo, pro illo deprecatur, & in ſe irritare ſtudet ſenem. Quamvis repulſus, facit tamen, ut ipſe minus diſpliceat, faciliuſque a Chremete in fine fabulae veniam impetret. Placeat vero etiam, quod magiſter fallaciarum & ſimulationum ipſe nunc a Chr. abdicationem filii ſimulante, in errorem inductus angatur.

6 Gravius h. l. dictum videtur, quod ſic ſententia ſemel dicta, nulla ſpes filio ſuperſit. Et dein Chr. artificio ſummo utitur in tegendo ſe.

Neque precatorem pararis. *S.* quid agis [1] ? *Ch.* nil ſuccenſeo [2],

[3] Nec tibi, nec huic: nec vos eſt aequum, quod facio, mihi [4].

ACTUS V. SCENA IV. [5]

SYRUS, CLITIPHO.

S. ABiit; vah! rogaſſe vellem. *Cl.* quid, Syre? *S.* unde mihi peterem cibum.

Ita nos alienavit. tibi iam eſſe ad ſororem intellego.

Cl. Adeon' rem rediiſſe, ut periculum etiam a fame mihi ſit, Syre?

S. Modo liceat vivere, eſt ſpes. *Cl.* quae? *S.* nos eſurituros ſatis.

Cl. Irrides in re tanta, neque me quidquam conſilio adiuvas.

1 Syr. nihil intelligit in eo, quod omnis poena peccati in filium ſolum recidere videtur; neque tamen minus & ſibi timebit ab ira heri. cf. Sc. ſq.

2 Miram moderationem ſimulat Chremes; dein abiens ſententiam ſuam quaſi facit irrevocabilem.

3 *Nec tibi, nec tibi* vult poſt Faernum Bentleius.

4 int. ſuccenſere ob id, quod facio.

5 Novam ſcenam recte init Dacieria poſt diſceſſum Chremetis. Syrus vero, comicus primum conſolator, qui ſe miſeriae ſocium, immo miſeriorem oſtendit, pro ſua vi calliditatis Clitiphoni ſcrupulum iniicit, ipſum non verum eſſe filium, eoque poſt inventam gnatam tam facile abdicari a patre adhuc credito. Sic eum impellit ad matris animum magis afficiendum, ut ſe adiutricem praebeat in reconciliando patre.

S. Immo et ibi nunc ſum, et uſque id egi dudum, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intelligere poſſum. *Cl.* quid? *S.* non aberit longius.... [1]
Cl. Quid id ergo? *S.* ſic eſt: non eſſe horum te arbitror. *Cl.* [2] qui iſtuc, Syre?
Satin' ſanus es? *S.* ego dicam [3] quod mi [4] in mente eſt: tu diiudica.
Dum iſtis fuiſti ſolus [5], dum nulla alia delectatio,
Quae propior eſſet te [6], indulgebant tibi, dabant: nunc, filia
Poſtquam eſt inventa vera, inventa eſt cauſa, qua te expellerent.

1 Quo minus plene ediſſerat, interpellatur a Clit. Int. vero ex ſq. reſponſo, *quod ego arbitror* l. *ſuſpicor*. Calph. & al. inepte intelligunt *pater*; al. cum Eugr. *conſilium*; al. *periculum*, ut ſupra III, 6, 1; al. denique legunt *non abierit long*. ut ſit: res non adeo longe proceſſuras eſſe; idque nihili eſt.

2 Vulg. *quid*. Noſtrum eſt a Cod. G. Fabr. & Bentl. l. potius ab ipſo Terentio Eun. I, 2, 41. IV, 3, 15. Hec. I, 2, 28. Phorm. V, 6, 15. Exple: quomodo iſtuc credam, vel tibi in mentem incidit?

3 Tres opiniones affert Syrus, e quibus ſuſpicionem alitam augeat. Atque tria iſta opinionum commenta dein totidem ſcenis delebuntur. Ita Syrus nobis eſt praemonſtrator.

4 Sic legimus cum quibuſdam MSS. & edd. vett. Al. *in mentem*, & ſubaudiunt *venit*; quod praeter rogationem durius fuerit. Al. *in mentem eſt*, quod Plauto tribuitur, a Terentio alienum eſt.

5 Primum opinionis argumentum; cui ultima ſcena contraria erit ob laetiorem exitum.

6 h. e. quam tu. Sui enim cuique ſunt voluptas ſ. delectatio. Vulgo autem hoc *te* coniungitur verbo *indulgebant*, quod Criticis antiquum redolet, nobis nunc plane diſpli-

Cl. Eſt veriſimile. *S.* an tu ob peccatum hoc eſſe illum iratum putas [1]?
Cl. Non arbitror. *S.* nunc aliud [2] ſpecta: matres omnes filiis
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria [3]
Solent eſſe: id non fit. *Cl.* verum [4]. quid ergo nunc faciam, Syre?
S. Suſpicionem iſtanc ex illis quaere. rem profer palam [5].
Si non eſt verum, ad miſericordiam ambos adduces cito, aut
Scibis cuius ſis. *Cl.* recte ſuades: faciam [6].

ACTUS V. SCENA V.

SYRUS.

[7] SAt recte hoc mihi in

cet; cf. ad Eun. II, 1, 16. Immo coniungimus verbo huic ſuum *tibi*, quod vulgo iungitur τῳ *dabant*. Nullum pronomen deſideramus. Supra Eun. V, 11, 30 *Dat nemo largius*.

1 Altera opinio, quae concurrit. Ipſe adoleſcens ſupra ait: *volgo faciunt*. Scena vero penultima oſtendet, patrem ob hoc peccatum iratum eſſe; immo Clitiphonem flagitii huius poenitebit.

2 Tertiam opinionem tollet proxima ſcena, qua mater ingreditur adiutrix.

3 Cf. ſupra I, 1, 95 & I, 2, 30.

4 Vide gradus, per quos Clitiphonis animus deducitur: 1) *veriſimile* ſ. credo. 2) *ego arbitror*. 3) *verum*, ſ. certo ſcio.

5 Palam ſ. aperte, clara voce audientibus aliis.

6 Abit Clit. ad matrem; & ſic mutatur ſcena.

7 Gratulatur ſibi de novo conſilio; dein ab hero timens aufugit.

Mentem venit: [1] nam quo adoleſcens maxume in ſpe ſollicitus erit,
Tanto facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.
Etiam haud ſcio, an uxorem ducat [2]. at [3] Syro nil gratiae:
Quid hoc autem? ſenex exit foras: ego fugio [4]. adhuc quod factum eſt,
Miror non iuſſiſſe illico me arripi. ad Menedemum hinc pergam.

1 Reſtituimus ſane ſuum Terentio, quo is adhuc caruit ob iniurias librariorum & Criticorum. Veſtigia veri tamen praebet Cod. Bemb. *Namque aduleſcens maxume in ſpe ſitus erit.* Ceteri longius aberrarunt invertendo *namque adol. quam minima in ſpe ſitus erit.* An vero latine dicitur *in ſpe ſitum* ſ. poſitum eſſe? Latini dicunt *ſpem poſitam in* &c. Tum ſpes minima non ſatis incitet ad agendum. Faern. quidem ex Bemb. aliam elicit lectionem: *Nam quam adol. maxume ſpe ſitus erit*, & exponit *ſitus* per *derelictus*, quod precario dictum nemini placuit. Satiſne vero ſanus eſt Bentleius? qui derelicto tandem hoc verſu, invadit in ſq. faciens *tam diſficillume.* Talia audet ſexcenta magnus nonnullis Bentl. In noſtro tuendo nolumus longi eſſe. Quibus ſenſus eſt veri, iudicent. Verſu ſq. malumus *Tanto* ob metrum; neque ratio lat. impedit.

2 h. e. fortaſſis etiam uxorem ducet; cf. Andr. III, 2, 45. Fruſtra Bentl. reponit *anne*, cum Faern. iubente Bemb. deleviſſet *ne.*

3 Vulg. *ac*, quaſi filio parum gratiae habiturus ſit ob uxorem ducendam. Verum magis timendum ipſi a Chr. quod mox apparet; & ſic ex edd. priſcis reddimus *at.*

4 Bene aufugit princeps ſceleris, ut facilius veniam inveniat Clit. neque is redibit, cui demum in exitu fabulae deprecante Clitiphone ſenex ignoſcit.

Eum precatorem mihi paro: ſeni noſtro fidei nihil habeo,

ACTUS V. SCENA VI. [1]

SOSTRATA, CHREMES.

S. PRofecto, niſi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali:

Idque adeo miror, quomodo

Tam ineptum quidquam tibi venire in mentem, mi vir, potuerit.

C. Pergin' mulier [2] eſſe? nullamne ego rem unquam in vita mea

1 Artificium poetae in ſqq. ſcenis ad tria Syri commenta dirigendis ad Sc. IV, v. 9. 10, 13, 14 ſignificavimus. Uti igitur tertia opinio deleatur, ingreditur iam, maritum domo exeuntem perſequendo, uxor, quae ſponte ſua, (necdum enim breviſſimo tempore, quo Syr. ſex verſus pronuntiavit, adiri potuit a filio, qui eam in poſteriori aedium parte ſ. gynaeceo quaeſiturus erat) filio eſt auxilio in paterna iniuria, & ſic partes matris adiutricis obit. Viderunt igitur verum Tan. Faber & filia Dacieria, qui Soſtratam ſponte ſua advenire monent: & nos ex ipſo poeta indubiam rationem adducimus, e qua omnis Bentleii diſputatio contraria appareat, quam ſit inanis. Egregie vero haec ſcena compoſita eſt ad indolem ingenii uxorii & virilis, diſſidiorumque domeſticorum demonſtrandam. Soſtrata indulgentior in filium adverſatur marito, qui proinde in eam varia duriter dicit, ſed ratione ſua nititur. Commota vero incipit illa, vocando maritum *tu homo* (cf. Ad. I, 2, 31) quaſi non eſſet ſuus. Mox tamen iniuriae muliebri addit reverentius ſ. blandius *mi vir*, cf. Hec. IV, 1, 9.

2 Indignans Ch. *homini* reddit *mulierem*, ac *viro* mox *Soſtratam*; cf. Hec. l. c. v. 10.

Volui, quin tu in ea mihi fueris advorſatrix, Soſtrata?

At ſi rogitem iam, quid eſt quod peccem, aut quamobrem id facias [1]? neſcias [2],

In qua re nunc tam confidenter reſtas, ſtulta [3]. *S.* egone [4]? ſcio.

C. Immo [5] ſcis potius, quam quidem redeat ad integrum [6] haec oratio.

S. Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta poſtules.

Faern. vero ex Bemb. dedit cum additamento *mulier odioſa*; al. *mulier moleſta*. Sed illud *odioſa* & hoc *moleſta* gloſſemata ſunt, quod vidit iam G. Fabricius. *Mulierem eſſe* h. l. eſt *adverſari uxorio more.*

1 h. e. mihi adverſeris. Sic vero Bentl. ex 2 melioribus reſcribit pro vulg. *faciam.* Neque ſane recte quaeſiſſet uxorem quamobrem ipſe id voluerit. Sed obiicit uxori, ipſam inſcientem facere omnia; cf. Act. III, 5, 20.

2 Punctum cum Bentl. tollimus, ut apta ſit reſponſio Soſtratae. Et ſic habet quoque vet. ed. c. figg.

3 ſ. rem (neſcias) *in qua reſtas* h. e. reſiſtis, *ſtulta*; quod convicium reddit pro illo *ineptum.* Signum vero rogandi, quod vulgo ingeritur; tollimus.

4 int. *id neſciam? Scio* hercle; cf. Eun. V, 8, 2. Sic plana ſunt omnia. Vulg. *ego neſcio?* quod ironice dictum volunt. Sed ironia parum convenit Soſtratae nunc commotae, minus ſubmiſſae, quam Act. III, 4.

5 An *ſcias*, *potius quam* &c.? Eam id ſcire concedit ſenex, ut qui ipſe non ſerio volebat filium abdicare. Sed id celare uxorem debebat, filium territurus.

6 Bemb. & edd. quaedam *haec eadem*, unde verſus laborat. Quare Faern. reſecat *haec*; Eraſmus *eadem*, & Goveanus praefert *haec*, quod & nobis placet metri cauſa, uti *eadem* gloſſema videtur.

C. Non poſtulo: iam loquere. nihilo minus ego hoc faciam tamen [1].
S. Facies? *C.* verum. *S.* non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum ſe [2] ſuſpicatur. *C.* ſubditum? ain' tu? *S.* [3] certe ſic erit,
[4] Mi vir. *C.* confitere... *S.* au, obſecro, iſtuc noſtris inimicis fiet.
Egon' confitear, meum non eſſe filium, qui ſit meus?
C. Quid metuis? ne non, cum velis, convincas eſſe illum tuum?
S. Quod filia eſt inventa? *C.* non, ſed, quod magis credendum ſiet,
Id quod eſt conſimilis moribus,
Convinces facile ex te natum: nam tui ſimilis eſt probe:

1 Ambiguum eſt. Faciet, quod in animo habebat, ſ. filium terrebit. At uxor putat, eum nihilominus abdicare velle filium. Ita ille ludit ſimul uxorem.

2 T. Faber & Dacieria malint *ſuſpicetur*, ut futurum ſignificet. Repugnat valde Bentl. Nos eas lites noſtras non facimus. Quidni enim Soſtrata metuens futuri l. ad certitudinem utatur praeſenti, l. etiam ſe id ſcire fingat explorandi acrius mariti cauſa.

3 Sic e Bemb. edidit Faern. Neque igitur ante dixit de ſuſpicione a filio communicata. Vulg. male deſcivit ad: *certe, inquam, mi vir.* Faern. a *Iam mi vir* orditur verſum ſq.

4 Hunc verſum reddimus cum Cod. Bemb. & ſimul expungimus *te* poſt *obſecro*, iubente MS. veterrimo ap. Bentl. l. potius ipſo noſtro Andr. IV, 5, 42. Eun. IV, 3, 14 & Ph. V, 1, 27. V, 3, 20.

Nam illi nihil vitii eſt relictum [1], quin id itidem ſit tibi:
Tum praeterea talem, niſi tu, nulla pareret filium.
Sed ipſe egreditur [2]: quam ſeverus [3]! rem, cum videas, cenſeas [4].

ACTUS V. SCENA VII.

CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

Cl. [5] SI unquam ullum fuit tempus, mater, cùm ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus [6] veſtra voluntate, obſecro,
Eius ut memineris, atque inopis nunc te miſereſcat mei;

1 ſ. reliquum; h. e. nam ex vitiis eius cunctis nullum eſt, quod tu non item habeas; cf. ſupra ſimilem locutionem I, 2, 19.

2 Iam demum Clit. matrem, non in Gynaeceo repertam, aſſequetur in ipſa ſcena, & ex illa ſuſpicionem a Syro illatam quaeret.

3 ſ. triſtis vultu.

4 Ipſum revera ſeverum cenſeas ex vultu.

5 Pathetice Clit. ſollicitudinem ſuam palam proferendo maxime commovet animum matris, ipſumque patrem ita afficit, ut hic citius confutet dictis filium, quomodo voluerat, eumque ad pudorem & poenitentiam flagitii, ob quod unum ille iratus erat, deducat. Ita ſane facit pater, quae Syrus ſupra III, 4 monuerat, ut filium ſervet, caſtiget, moneat, ipſeque ſe curaturum reſponderat.

6 Vulg. *tua.* Sed recipimus, quod eſt in Bemb. rectiuſque videtur. Voluntate enim eius, penes quem erat omnis poteſtas in domo, ante omnia opus, ut diceretur filius, qui eſſet alienus. Sic per ambages honeſtius profert ſuſpicionem de ſubdito ſe.

Quod peto, et volo, parentes meos ut commonſtres mihi.
S. Obſecro, mi gnate, ne iſtuc in animum inducas tuum,
Alienum eſſe te. *Cl.* ſum [1]. *S.* miſeram me! hoccine quaeſiſti, obſecro?
Ita mihi, atque huic ſis ſuperſtes, ut ex me, atque ex hoc natus es:
Et cave poſthac, ſi me amas, unquam iſtuc verbum ex te audiam.
Ch. At ego [2], ſi me metuis, mores cave in te eſſe iſtos ſentiam.
Cl. Quos [3]? *Ch.* ſi ſcire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnoſus [4]. crede, et noſtrum te eſſe credito.

1 Vel una hac vocula, a filio deſperanter pronuntiata, percellit matrem; hinc ea queritur, iurato contrarium confirmat, & matris affectum monendo prodit.

2 Mater ſollicita fuit de eo uno, ne filius ſe alienum putet, cupitque ſola amari. Sed pater etiam metuendus, & filium corrigere volens, bene ad eius mores flectit ſermonem: quae ipſa morum obiurgatio non poteſt niſi a patre vero inſtitui.

3 Filius, qui peccatum a ſe haud grave ſatis putarat ad tantas iras, iam quoque deſperans & breviloquens, impudenter, an imprudenter, & perculſus quaerit *quos*; eoque movet patrem, ut tandem iram exſpuat, dictiſque confutet eum, quem in ſpem veniae *ſuum* eſſe addit.

4 Int. famae reique, ſ. nequam.

Cl. Non ſunt haec parentis dicta [1]. *Ch.* [2] non, ſi ex capite ſis meo
Natus, item ut aiunt Minervam eſſe ex Iove, ea cauſa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
S. Di iſtaec [3]. *Ch.* deos neſcio [4]: ego, quod potero, enitar ſedulo.
Quaeris id, quod habes, parentes [5]: quod abeſt, non quaeris, patri
Quomodo obſequare, et ſerves quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos [6]? pudet
Dicere hac praeſente verbum turpe: at te id nullo modo

1 Triſtius dicit, convicia haec duriora eſſe, quam ut a vero patre veniant.

2 Quam tumido iam deligat ore Chr. iratus! ſed tamen a conviciis ad rem deſcendit.

3 Int. prohibeant: inquit brevius ſimul perculſa mater.

4 int. quid acturi ſint; (uti ſupra Ant. Act. II, 3, 16 *neſcio alias*) ſed quid ego agam certum eſt. Plaut. Ciſt. I, 1, 53 Gy. *Di faxint.* Le. *Sine opera tua nihil Di horunc facere poſſunt.* cf. Sall. Cat. 52 & Liv. XXII, 5. a Weſterh. laudatos.

5 Nec iam longius aberit, quod vere quaerebat Syrus (cf. ſupra Sc. 3, 7.) ſc. venia a patre habenda.

6 Scil. meretricem puduit. Sed abrumpit Chr. ne verbum turpe dicat ipſe pater filio, matre praeſente. Verecundia enim honeſtarum feminarum ſancta erat ap. Graecos. Hoc gravius vero, quod filium non puduit id facere. Et haec fuere parentis dicta, quae filii animum permoverent tandem.

Facere puduit. *Cl.* eheu, quam ego nunc totus diſpliceo mihi!
Quam pudet [1]! neque, quod principium incipiam ad placandum [2], ſcio.

ACTUS V, SCENA VIII.

MENEDEMUS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

M. [3] ENimvero Chremes nimis graviter cruciat adoleſcentulum,
Nimiſque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume
Ipſos video. *Ch.* ehem, Menedeme, cur non arceſſi iubes

1 Pudor, optimus cupiditatis moderator, adoleſcentem defendet a flagitiis.

2 Poenitentia accedit. Iam prima legum convenit, in quas facillime conficiet patris pacem. Reſtat tertia, nuptiae, quae ſecuritatem honeſtioris vitae praeſtarent. Sic tandem verius eveniet, quod praedixit Syrus ſc. 4. v. 3 & 4. Sed principium ad placandum erit ab adventu Menedemi, quo intercedente Chr. commodiorem habebit locum ignoſcendi.

3 Mened. homo rudior, quam ſapiens, ſed indulgentior, quam ſeverus, a quo initium fuit fabulae, idem finem afferet. Ita fit, ut cum primo ante amori Cliniae & Antiphilae inſerviiſſet Clitiphonis libido, donec in nuptias abiiſſet, ita iam novus affinis opituletur Clitiphoni, qui in nuptias honeſtas adducendus; rurſus patrem invehiet bonum & humanum.

Filiam, et quod dotis dixi, firmas [1]? *S.* mi vir, te obſecro,
Ne facias. *Cl.* pater, obſecro, ut mi ignoſcas. *M.* da veniam, Chreme:
Sine te [2] exorem. *Ch.* egon' [3]? mea bona ut dem Bacchidi dono ſciens [4]?
Non faciam. *M.* at nos non ſinemus [5]. *Cl.* ſi me vivom vis, pater,
Ignoſce. *S.* age, Chremes mi. *M.* age quaeſo, ne tam obfirma te, Chreme.
Ch. Quid iſtuc [6]? video non licere, ut coeperam, hoc pertendere.
M. Facis ut te decet. *Ch.* ea lege hoc adeo faciam, ſi facit id,
Quod ego hunc aequom cenſeo. *Cl.* pater, omnia faciam: impera.

1 Signum dat Chremes; unde preces matris, & ipſius Menedemi.

2 Cod. Bemb. a prima manu *exorent;* a ſecunda deleto *n;* unde quidam dedere *exoret.* Bentl. primum reddit; ſed quod verſus ſic laboret, temere eiicit mox *egon'?* Sed plerique MSS. & edd. *exorem,* quo ſtante verſus conſtat.

3 int. id faciam, ſcil. ut veniam dem, quod idem ſit, ac *mea* &c.

4 Iam promovet Chr. ad ultimam legem, in quam pax conficienda eſt, ſcil. nuptias. Nominat iam Bacchidem, quae ſic quaſi redit in ultimam ſcenam; ſed ipſa intereſſe honeſte non poterat. Atque illi interea proſpectum erat argento. Itaque poſthac deſerta vivat.

5 int. te non ignoſcere. Iam rurſus incipient preces, cuiuſque pro conditione.

6 Concedit tandem precibus, intellecto, eo deductum filium, ut alteram legem fa-

Ch. Uxorem ut ducas. *Cl.* pater [1]. *Ch.* nihil audio [2]. *M.* ad me recipio.
Faciet. *Ch.* nil etiam audio ipſum. *Cl.* perii! *S.* an dubitas, Clitipho?
Ch. Immo utrum vult? *M.* faciet omnia. *S.* haec, dum incipias, gravia ſunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia [3]. *Cl.* faciam pater.
S. Nate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratae noſtri. *Cl.* rufamne illam virginem,
Caeſiam, ſparſo ore, adunco naſo [4]? non poſſum, pater.
Ch. Eia, ut elegans eſt! credas animum ibi eſſe [5]? *S.* aliam dabo [6].

cilius amplectatur.

1 Sic faciunt adoleſcentuli. Omnia bene promittunt; ſed ubi quid contra ipſorum libidinem poſtuletur, rurſus tergiverſantur. Sed & tergiverſatio vincenda.

2 int. ipſum polliceri.

3 Iam filius monetur a matre, contra quam ipſe ſupra IV, 2 impatienter dixerat: *nulla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet, quam invitus facias.* Ceterum laeta mater ſatis comice ſe praebet, & mox iocatur. Sic facilius omnis triſtitia ſolvitur; qua abiecta animus ultro ſe expediat.

4 Haud perſenſerat, matrem id dixiſſe ioci cauſa. In peius vero depingit puellam, quae diſplicebat.

5 Quam blande ironia iam utitur pater!

6 Mater iam ſerio magis dictura erat. Sed profuerit ma-

Cl. Immo quandoquidem ducenda eſt, egomet habeo propemodum,
Quam volo. *S.* nunc laudo te, gnate. *Cl.* Archonidi huius [1] filiam.
S. Perplacet. [2] *Cl.* pater, hoc nunc reſtat [3]. *Ch.* quid? *Cl.* Syro ignoſcas volo,
Quae mea cauſa fecit. *Ch.* fiat. Vos valete, et plaudite.

gis, ipſum ſibi conſulere filium.

1 Vicini.

2 Pater conſentit tacens.

3 Felices nunc omnes, praeter unum Syrum, qui aufugerat. Huic iam precatorem ſe praebet filius, eiuſque cauſa ignoſcet Chremes. Et nos ignoſcimus artifici & praemonſtratori fabulae Syro; plaudimuſque Chremeti, vel potius Menandro ac Terentio.

FINIS TOMI PRIMI.

PUBLII TERENTII
AFRI
COMOEDIAE SEX
NOVISSIME RECOGNITAE

CUM SELECTA VARIETATE LECTIONUM ET PERPETUA ANNOTATIONE

ACCEDIT INDEX LATINITATIS CUM INTERPRETATIONE

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINAE



Scipio.

TOMUS SECUNDUS

BIPONTI
Ex Typographia Ducali
CIƆIƆCCLXXX

LECTORI.

IN tribus Terentii fabulis, quae nobis ſupererant curandae, non modo non remiſimus diligentiam, ſed & intendimus hoc magis, quod illarum lectionem neque adhuc ſatis emendatam, immo paſſim mirum quantum affectam, neque artificium & orationem, quod decebat, fuiſſe expoſita animadverteramus. Melius ſane nunc in quam plurimis locis procedit lectio, quam quomodo adhuc in editionibus omnibus, maxume, quae Heinſio, Critico ſaepius degenere, praeeunte, ab editorum vulgo circumferri conſuevit, conſtituta erat. Scilicet noſtra, denuo & cum lectionibus veterum auctorum, qui noſtrum laudarunt, in primis Donati interpretis, tum Codicis omnium, quidquid ogganniat Bentleius, principis, Bembini, cett. quos Faernus, princeps pariter textus Terentiani emendator, Lindenbrogius, Bentleius, alii, praecipuos habuere, & cum editionibus praeſtantioribus, vetuſtiori noſtra Argentoratenſi, Tarviſinae ſ. Mediolanenſis filia, quae ſua etiam quaedam habet, Eraſmica principe, praeterea Faerni, Mureti, Lindenbrogii, Heinſii, Boecleri & Guyeti, Parei, Dacieriae, Weſterhovii obſervationibus collata & examinata, ita quam proxime abeſt a Codice Bembino, ut alia nulla: & ubi illius, ne dicam ceterorum, lectio turbata erat, nova quidem, ſed certe ad ſenſus Terentiani rationem verius directa eſt. Quod ut facilius evinceremus, ſubiecimus ampliores, partim ex Donato aliiſque interpretibus excerptas; partim novas noſtras notas, ad intelligentiam artificii & ſermonis Terentiani accommodatas; quas qui ſapientiores ſibi ſunt, & elegantes in legendi faſtidio

intelligentiam ſuam ponunt, per nos praetereant; ſed relinquant harum literarum ſtudioſis, quorum ad utilitatem cuncta dirigere ſemper in animo fuit. Ac nobis, qui in hoc negotio quam minume otioſi verſati ſumus, ſi quae exciderint feſtinantius ſcripta, quam verius, facile condonabit prudentior quiſque & aequior; etiam maiorem a nobis gratiam initurus, ſi meliora nos docuerit. Fidem denique, in priori volumine datam, liberamus, ſubiungendo indice latinitatis Terentianae, ita a nobis compoſito, ut pro ſpicilegio notarum haberi debeat. quae enim in notis expoſita erant, ea huc repetere viſum non fuit. Quis labor ex his omnibus nobis fuerit, quove modo noſtris curis provenerit lectio Terentiana, ii, quibus datum eſt de his rebus exiſtimare, ſane hodie pauciores, non tantum docti, ſed (id quod maius eſt) experti, tum demum iudicent, ſi noſtrum perlegerint Terentium, & cum aliorum editionibus comparatum relegerint, rationes emendandi, quas in notis l. ſubiectis l. in calcem reiectis breviter reddimus, examinaverint. ceteros non curamus, qui mentem ſuperſtitione captam, vel invidia motum animum gerunt. Audimus vero inſuſurrantes quoſdam aliis, *quo diligentiores nos ſimus in curandis auctoribus, hoc lentius proceſſurum eſſe inſtitutum noſtrum.* Utrum amicorum haec cantilena ſit, an eorum, qui id unum ſibi propoſitum habent, ut quamplurimum quam citiſſime lucri faciant, compertum non habemus, niſi quod ea doctis auribus ad humanitatem parum placere poteſt. Acceperunt certe noſtri inde ab anno & paucis menſibus *tria* volumina Taciti, quae *ultimum* proxime inſequetur; *quatuor* Plauti, quorum ultimum indicem novum eumque omnibus curatiorem & locupletiorem habet; *unum* Salluſtii,

DONATI PROLOGUS IN ADELPHOS.

HAec ſabula palliata, ut ipſum indicat nomen, ex plurali numero, quum ſit una: & maſculino genere, quum ſit Comoedia: ex Graeca lingua, quum ſit Latina, cenſetur. Potuit eam Terentius FRATRES dicere: ſed & Graeci nominis ευφωνιαν perderet; & praeterea togata videretur; ad ſummam, non ſtatim intelligeretur, Menandri eſſe: quod Terentius inprimis lectorem ſcire cupit, minus exiſtumans laudis, proprias ſcribere, quam Graecas transferre. Eſt igitur Menandri: & a Fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accepit. Huius tota actio cum ſit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianae omnes, praeter HEAUTONTIMORUMENON, tamen maiori ex parte Motoria eſt. nam Statarios locos perpaucos habet. Prodeſt autem & delectat actu & ſtilo. In hac primae partes ſunt, ut quidam putant, Demeae, ut quidam, Syri. quod ſi eſt, ut primas Syrus habeat: ſecundae Demeae erunt, tertiae Micionis, & ſic deinceps. Quamquam enim ſunt, qui putant, primas Micioni dandas, ſecundas Syro, tertias Demeae. nam quod ait Terentius: Senes qui primi venient: non ad partes quas dicimus, ſed ad ordinem pertinet exeuntium perſonarum. Haec etiam, ut cetera huiuſcemodi poemata, quinque Actus habeat neceſſe eſt, choris diviſos a Graecis poetis. quos etſi retinendi cauſa iam inconditos ſpectatores minime diſtinguunt Latini Comici, metuentes ſcilicet, ne quis faſtidioſus finito Actu, velut admonitus abeundi, reliquae Comoediae fiat contemtor & ſurgat: tamen a doctis veteribus diſcreti atque disiuncti ſunt, ut mox aperiemus poſt argumenti narrationem. In hac Prologus aliquanto lenior inducitur; qui magis etiam in ſe purgando, quam in adverſariis laedendis eſt occupatus: Protaſis eſt turbulenta, Epitaſis clamoſa, Cataſtrophe lenis. Quarum partium rationem diligentius in principio propoſuimus, cum de Comoedia quaedam diceremus. Haec ſane acta eſt ludis ſcenicis funebribus L. Aemilii Pauli: agentibus L. Ambivio, & L. Turpione: qui cum ſuis gregibus etiam tum perſonati agebant. Modulata eſt autem tibiis dextris, i. e. Lydiis, ob ſeriam gravitatem, qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta. ſaepe tamen, mutatis per ſcenam modis, cantica mutavit: quod ſignificat titulus ſcenae, habens ſubiectas perſonis literas, M. M. C. item diverbia ab hiſtrionibus crebro pronuntiata ſunt, quae ſignificantur D. & M. literis ſecundum perſonarum nomina praeſcriptis in eo loco, ubi incipit ſcena. Adnotandum ſane, quod haec ſabula προτατικον προσωπον non habet,

h. e. perſonam, quae ad argumentum nihil attineat, quaeque ſit aſſumpta extrinſecus, ut eſt in Andria Soſia. Hanc dicunt ex Terentianis ſecundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetae itaque ſic pronuntiatam, Adelphoe Terenti, *non* Terenti *Adelphoe: quod adhuc magis de fabulae nomine poeta, quam de poetae nomine fabula commendabatur. In hac quidem ſpectatur, quid interſit inter ruſticam, & urbanam vitam: mitem & aſperam: coelibis & mariti: veri patris, & per adoptionem facti. Quibus propoſitis ad exemplum, vitanda perinde, fugiendaque Terentius monſtrans, artificis poetae per totam fabulam obtinet laudem.*

ARGUMENTUM.

Ex duobus Atticis fratribus, alter quidem Demea nomine, rus coluit, uxorem duxit: filios ſuſcepit duos, Aeſchinum & Cteſiphonem. at alter, Micio nomine, uxorem non duxit, & filios procreare noluit: ſed ſibi filium fratris Aeſchinum adoptavit: atque ita indulgenter eduxit a parvulo, ut effuſe luxuriatus adoleſcens, ad poſtremum civem Atticam virginem vitiaret, captus amore eius. quo facto, & cum matre puellae pepigit nuptias eiuſdem, quam vitiavit. cumque rem geſtam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conſcientiam, iam iamque perlaturus eſſet: precibus Cteſiphonis, fratris ſui, qui apud durum patrem atque agreſtem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulſus eſt, ut eidem a lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur fabula. Nam & Demea cum hoc ipſo, i. e. cum Micione litigabat, tamquam cum eo, qui corruperit adoleſcentem adoptatum in mores perditos, neſciens ſuum ſibi filium Cteſiphonem eſſe corruptum; eluditurque a Syro & Micione per totam fabulam: et mater puellae, iam decimo menſe poſt raptum virginis, Aeſchinum credit ſibi ipſi rapuiſſe meretricem. quae perturbatio cito in tranquillum redacta eſt. nam re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Aeſchino quam concupiverat: eiuſque matrem ipſe accipit. Deprehenſo vero Cteſiphone in amore meretricis, primo iraſcitur Demea: poſt lenitur, atque habendae eius meretricis licentiam praebet. Primus actus haec continet: Micionis ſolius primo verba: & poſt, eiuſdem & Demeae iurgium. Secundus actus haec continet: Lenonis alteram rixam adverſus Aeſchinum pro puella: eiuſdem apud Syrum querelas; laetitiam Cteſiphonis: obſeſſionem amicae: & eiuſdem gratiarum actiones apud Aeſchinum. Tertius actus haec continet: trepidationem matris Soſtratae & Cantharae nutricis ob parturientem Pamphilam, vitiatam ab Aeſchino: Getam nuntiantem dominae

itemque *unum* Velleii, & *duo* Terentii; praetereaque illi, qui Salluſtii noſtra editione iam diſtracta acceſſere nobis amici aliique, propediem habebunt editionem ſecundam: atque haec XII volumina maioris moduli, pleraque literarum XXIII ſeriem exſuperant. Ita etiam plura dedimus, quam hi, quorum negligentiam aemulari noluimus. Accipient vero noſtri hoc ipſo & venturo anno a nobis *Ciceronis* opera omnia, typis recentibus, quos nuper a celeberrimo formarum artifice Pariſienſi, Fournierio, comparavimus, in officina nova noſtra, quam annuente Sereniſſimo Principe noſtro inſtituimus, aeque eleganter & curate ad optimas editiones exſcribenda. et ſic credimus, nos ſatisfacturos eſſe omnibus. Verum ne in prologo longiori operam abutamur, quam in curandis ipſis auctoribus ponere melius ſit; pro nobis dicta adſciſcimus, quae vir eruditus olim & diligens I. I. Reiskius, Prof. Lipſienſis, meliori, dum viveret, fortuna dignus, in praefatione Theocriti an. CIↃIↃCCLXV editi, de vulgari in Germania, eaque miſerabili auctores edendi ratione veriſſime monuit: *Sed dedecus eſt huius ſeculi, in hac luce literarum, in hac bibliothecarum opulentia, non ferendum, eſſe in hominibus doctis, quorum pudet pigetque ignaviae, qui, cum auctorem aliquem veterem typis renovare velint, praeſertim ſi quis adhuc eſt corruptior, cuiuſmodi ſunt in vetuſtis auctoribus non pauci, etiam creberrimis quidam editionibus contriti (quod vix fidem inveniat), tum exemplum eius aliquod triobolare, de genere viliſſimo, mendoſiſſimum, quod ſibi perire animo ferant aequiſſimo, tradant operis imitandum, & mendarum typographicarum elimationem amico cuidam ſuo, iuveni haud doctiſſimo, aut mercenario ſervo,*

committant, cuius ſidei ſecuri indormiſcant. Videte audaciam eiuſmodi hominum, exiſtimationem ſuam pari loco, atque commoda literarum, h. e. nullo, habentium. Editionis, quam titulus ab ipſis curatam mentitur, ne folium quidem prius oculis vident, quam editio prelo liberata venalis exponitur. eo quidem modo veteris cuiuſque auctoris editorem ſe ferre, cuiuſque ſit. Ea vero laus, aut nulla eſt, aut perexigua. Ego equidem eam mereri nolim, & perſona mea indignam iudicem; qui ita ſtatuam, cui homini docto ſua dignitas cara ſit, & qui aequalium ſuorum poſterorumque commodis ſtudeat, bonaque fide de ornandis & amplificandis bonis literis cogitet, eum decere, non ut alienae fidei ita ſupinus indormiat, ſed ut ipſe quaerat, quid verum ſit & genuinum, & domo afferat, unde vetuſtus quiſque auctor emendatior, ornatior & illuminatior prodeat. Haec hactenus. Erunt tamen contra qui ſedulitatem meam improbent, & pro importuna atque vaeſana traducant. Quos rogatos velim, primum ut cogitent, ſi Henrico Stephano, ſi Danieli Heinſio id licuit, qui ſibi ſumpſere, ut pro arbitrio ſuo textum Theocriti mutarent, ſaepe idonea ſine cauſa, idque inulti tulere, mihi quoque hoc licere debere. Nam aut ſtultitiae & imperitiae eſſet, aut invidiae, idem factum in aliis laudare, in aliis inſectari odiis & conviciis. Deinde, ut a carpendo tantiſper ſibi temperent, donec ipſi Theocritum diligenter legerint, & noſtros animadverſionum libellos cum eo compararint &c.

poſſe disiungi, eam paraſitus ipſe ducat uxorem : & det ducturo XXX minas praeſentes dotis, puellae nomine, quas Phormio acceptas Phaedriae dedit : ille, lenoni ad cithariſtriam redimendam. Quibus geſtis tandem Chremes agnoſcit filiam ſuam coniunctam eſſe fratris filio. Quare dum mutato conſilio XXX minas a Phormione per rixam conatur exigere ; per eundem proditus uxori ſuae Nauſiſtratae eſt : & factus libidinis reus, non ante veniam meruit a matreſamilias, quam & XXX minarum, & amoris cithariſtriae veniam dediſſet filio. Primus actus eſt in colloquio Davi & Getae : per quos diſcit populus argumentum. Secundi actus tenor continet adventum ſenis turbulentum, & eiuſdem iurgium adverſus Getam & Phaedriam. Tertio actui attribuitur litigium ſenis & Phormionis. tum conſultatio cum advocatis. tum Antiphonis in ſcenam reditus : colloquiumque cum Geta. tum lenonis & Phaedriae colluctatio. tum adhortatio Getae de inveniendo argento ad redimendam Phaedriae cithariſtriam. Quartum actum iſta concelebrant : adventus Chremetis : eiuſdemque cum fratre deliberatio per errorem de eiicienda Phanio. Getae verba de fallendis ſenibus. Antiphonis oratio apud ſemetipſum de amore tractantis. Getae rurſus cum ſenibus callida, & mox cum Antiphone de eadem cauſa ſimplex diſputatio. ſenum inter ſe colloquium de expulſione mulieris. & ad extremum verba Chremetis agnoſcentis nutricem, ac per eam filiam ſuam cum Antiphone coniunctam. In quinto actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine : & convenitur Nauſiſtrata, ut exire domo compellat Phanium. nuntiatur Antiphoni & Phormioni per Getam, Phanium a patre agnitam, permiſſamque ut uxor habeatur. quae cum ita nupta ſit, expoſcitur argentum a Phormione per rixam ſenum : a quibus ille oppreſſus, rem omnem aperit Nauſiſtratae. ad quod primum irata, ut in tali re, uxor, mox lenitur in fine fabulae : & tutiſſimum a patris iracundia praeſtat Phaedriam.

DONATI PROLOGUS IN HECYRAM.

HAec fabula, Apollodori eſſe dicitur Graeca : nam & ipſa & Phormio ab eodem dicuntur eſſe tranſlatae : cum reliquae quatuor ſint Menandri comici. Hecyra autem dicitur ideo, quia per ſocrus & ſoceros in ea geruntur multa. Nam & ἑκυρος & ἑκυρα ſoceri nomen, ſocruſque ſignificant. Eſt autem mixta motoriis actibus, ac ſtatariis : multumque ſententiarum & figurarum continet in toto ſtylo. Unde cum delectet plurimum, non minus utilitatis affert ſpectatoribus. Atque in hac primae partes ſunt Lachetis, ſecun-

dae Pamphili, tertiae Phidippi, quartae Parmenonis: ac deinceps aliarum perſonarum, quae his adiunctae ſunt. Diviſa eſt autem, ut ceterae, quinque actibus legitimis, quos in ſubditis diſtinguemus. In hac prologus eſt & multiplex, & rhetoricus nimis, propterea quod ſaepe excluſa haec comoedia, diligentiſſima defenſione indigebat. atque in hac Protaſis turbulenta eſt, Epitaſis mollior, lenis Cataſtrophe. Acta ſane eſt ludis Megalenſibus, Sex. Iulio, C. Rabirio Aedilibus curulibus. egitque L. Ambivius. Modulatus eſt eam Flaccus Claudius tibiis paribus. Tota Graeca eſt, factaque & edita quinto loco, Cn. Octavio, T. Manlio Coſſ. Cantica & diverbia ſummo in hac favore ſuſcepta ſunt. προτατικὰ in hac πρόσωπα, i. e. perſonae extra argumentum, duae ſunt, Philotidis & Syrae. In tota comoedia hoc agitur, ut res novae fiant, nec tamen abhorreant a conſuetudine. Inducuntur enim benevolae ſocrus, verecunda nurus, leniſſimus in uxorem maritus, & item deditus matri ſuae, meretrix bona.

ARGUMENTUM.

Vitiatam in tenebris ante nuptias, cui anulum extorſerat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus, duxit uxorem gravidam ex compreſſu ſuo. Quam peregre profectus, cum reliquiſſet domi, rediens parientem offendit furtim & apud matrem ſuam. Qua re commotus, dum repudium invitis parentibus, & cauſam repudii neſcientibus, parat: per meretricem, apud quam anulus eſt, cognoſcit tandem, a ſe vitiatam uxorem, & ex ſe natum filium. Primus actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenae Syrae, inter ſe primum, deinde cum Parmenone: ut per harum perſonas, quae προτατικαὶ dicuntur, argumentum ſpectator diſcat. Secundi actus tenor in hoc eſt: immeritam uxorem, veluti malam ſocrum, accuſat Laches: & convenit Phidippum de eadem cauſa. ſtatim poſt quorum colloquium, conqueſtio inducitur Soſtratae, quod falſum crimen invidioſumque ſuſtineat. Tertio actui haec adſcribuntur: conqueſtio Pamphili peregre redeuntis, de amore ſuo circa uxorem. partitudo Philumenae. Soſtratae verba ſuper aegritudine nurus, quam morbo credit afflictam. fletus Pamphili errantis, cum putat non ex ſe filium natum eſſe. colloquium Parmenonis cum pueris a navi venientibus, ut mox loquatur cum ipſo Pamphilo, a quo in arcem mittitur. item Lachetis, Phidippique & Pamphili verba de reconcilianda illi coniuge: & eorum ab invicem litigioſa diſſenſio. Quartum actum haec complent: perturbatio Myrrhinae ex interventu mariti: & eiuſdem cum eo nimis callida ac muliebris aſtutiae diſceptatio: So-

ſtiae per errorem, quod ſibi rapuerit Aeſchinus meretricem : reditum in ſcenam Demeae : eiuſdemque cum Syro ludificante ſermocinationem : interventum Hegionis : cum querela apud eundem Demeam de facto Aeſchini, & conſolatione Soſtratae. Quartus actus haec continet : Cteſiphonis cum Syro colloquium : deluſionem Demeae : eiuſdemque in ſcenam interventum, atque ſecundam fruſtrationem per Syrum factam : Micionis cum Hegione ſermonem : querelam Aeſchini de rebus ſuis : eiuſdemque cum Micione patre facetiſſimam decertationem : Demeae reditum in ſcenam ex errore, in quem eum coniecerat Syrus : & renovatum cum fratre eiuſdem iurgium : proceſſionem in ſcenam temulenti Syri. Quintus actus haec continet : deprehenſionem Cteſiphonis cum meretrice : tertium cum Micione iurgium Demeae, eiuſdemque vitae priſtinae correptionem : & per eum multa in comoedia nova, h. e. blandimentum circa Aeſchinum, & affabilitatem circa Getam : conciliationem Syri, & uxoris eius : & veniam circa Cteſiphonem : permiſſionemque habendae meretricis. Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, ſaevus Demea, Leno avarus, callidus Syrus, timidus Cteſipho, liberalis Aeſchinus, pavidae mulieres, gravis Hegio. In dividendis actibus fabulae identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Graecos, neque Latinos ſervaſſe : cum eius diſtributio huiuſmodi rationem habeat, ut, ubi attentior ſpectator eſſe potuerit, longior actus ſit : ubi faſtidioſior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum poſſe coniici & tres, & quatuor ſcenas introeuntium atque exeuntium perſonarum. Facta autem haec una eſt de duabus fabulis, Adelphis Menandri, & Commorientibus Diphili.

DONATI PROLOGUS IN PHORMIONEM.

HAnc Comoediam, manifeſtum eſt, prius ab Apollodoro ſub alio nomine, h. e. ἐπιδικαζόμενον, Graece ſcriptam eſſe, quam latine a Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio eſt, hanc ſolam eſſe, cui nomen poeta mutaverit : & errare eos, qui in hac Phormionem paraſitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum : cum Graeca lingua fiſcus ſparteus & ſtramen nauticum ſic dicatur ; a cuius rei l. capacitate, l. vilitate, etiam ab Apollodoro paraſitus Phormionis nomine nuncupatur. Haec igitur proprie tota Motoria eſt, & in affectibus conſtituta pene maioribus, quam comicus ſtylus poſceret : niſi quod arte poetae omnia moderata ſunt. Primas in ea partes, ut ipſe poeta profeſſus eſt, tenet Phormio : ſecundas Geta : tertias Demipho : ſubinde ceteri, prout

cuiuſque actus oſtendit. Prologus Phormionis nimis concitatus eſt, adeo ut ipſe ſemet veluti reprehendat ob hanc ipſam pervicaciam, & ſimul argumentum ſuae purgationis inducat. Atque in ea cum & Protaſis, & Epitaſis, & Cataſtrophe magni moliminis & negotii ſint: ita variis leporibus aſperguntur, ut etiam rerum triſtium gravitatem poeta lepidus comica ſerenitate tranquillet. Haec acta eſt ludis Megalenſibus, L. Cornelio Merula Aedili Curuli, & L. Poſthumio Albino: agentibus L. Caſſio Attilio, & L. Ambivio: modos faciente Flacco Claudii filio tibiis Serranis; totaque diverbiis facetiſſimis, & geſtum deſiderantibus ſcenicum, & ſuaviſſimis ornata canticis fuit. editaque eſt quarto loco, M. Valerio, & C. Fannio Coſſ. Perſona etiam in huius protaſi non una eſt, ſed duae: quarum altera extra argumentum poſita eſt, cui narratur fabula: altera in argumento, quae narrat fabulam. Argumentum quoque non ſimplicis negotii habet: nec unius adoleſcentis, ut in Hecyra: ſed duorum, ut in ceteris fabulis. Scire autem convenit, uno die tranſigi Phormionem: non, ut Heautontimorumenon, duobus. Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non producte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. nam officium prologi ante actionem quidem rei ſemper eſt: veruntamen & poſt principium fabulae inducitur, ut ap. Plautum in Milite glorioſo, & ap. ceteros magnae auctoritatis veteres poetas.

ARGUMENTUM.

Cum Chremes, Demiphonis frater, adſcito ſibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem ſe dici fecerat, duas eodem tempore habuiſſet uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni: ex divite ſuſtulit filium, qui dictus eſt Phaedria: ex paupere furtim ſuſcepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque, conſilio cum fratre habito, deſtinavit filio eius Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis ſenes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad arceſſendam filiam, quae iam illinc cum matre navigaverat, occaſionem dederunt amandi adoleſcentibus. Nam ſtatim Phaedria cithariſtriam ſub lenone coepit ardere: Antipho illam filiam patrui, Phanium, deſponſatam ſibi, neſciens neſcientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falſa duplici eius nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: conſilioque & opera paraſiti, ſecundum leges Athenienſium, quaſi ſibi cognata eſſet, tamquam in iure victus & velut coactus, eam accepit uxorem per abſentiam patris. Qui cum adveniſſet, & vellet eam expellere: primo confutatur per impudentiam paraſiti. poſt cum ſuo fratre ſic decipitur, ut dum eam credit ab Antiphone

ſtratae, Pamphili, Lachetiſque colloquium: inclamatio patris & ſoceri adverſum Pamphilum uxorem recuſantem: conventio meretricis promittentis ſe iusiurandum matronis exhibituram de non admiſſo ad ſe Pamphilo. In quinto actu Bacchidis narratio de intus geſtis, & colloquium cum Parmenone inducitur: quem nuntium mittit ad Pamphilum: Pamphilique ad ultimum actio gratiarum apud ipſam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac fabula, neque in aliis eſſe mirandum, quod actus impares ſcenarum paginarumque ſint numero: cum haec diſtributio in rerum deſcriptione, non in numero verſuum conſtituta ſit: non apud Latinos modo, verum etiam apud Graecos ipſos.

ERRATA.

PAg. 46. lin. 1. lege verſum ſic:

Patiamur ne, an narremus cuipiam? C. *au, mi homo, ſanun' ne es? an*

Pag. 149. lin. text. penultima *amittere*; leg. *mittere*.

PUBLII TERENTII

ADELPHI.

ACTA LUDIS FVNEBRIBUS L. AEMILII PAULLI, QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATILIUS PRAENESTINUS, MINUCIUS PROTHIMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS SARRANIS. FACTA GRAECA MENANDRU. L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

PERSONAE.

PROLOGUS.
MICIO, ſenex.
DEMEA, ſenex.
SANNIO, leno.
AESCHINUS, adoleſc.
SYRUS, ſervus.
CTESIPHO, adoleſcens.
SOSTRATA, matrona.
CANTHARA, nutrix.
PAMPHILA, filia Soſtr.
GETA, ſervus.
HEGIO, ſenex.
DROMO, ſervus.

PERSONAE MUTAE.

PARMENO, ſervus.
PSALTRIA.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

Micio, et Demea, duo diſſimillimo fratres ingenio fuere: ille urbanam vitam ſecutus eſt; hic ruſticam: ille caelebs vixit, hic uxorem duxit: ille ingenio leniſſimo, hic aſperrimo: ille mitis etiam in alienos; hic ſaevus etiam in ſuos: ille etiam in ira placidus; hic etiam citra iram ferox. Erant Demeae filii duo: ex quibus natu maiorem Aeſchinum ſibi adoptavit Micio, eumque ſecum in urbe liberaliſſime indulgentiſſimeque educavit; minorem Cteſiphonem ruri ſecum ſevere inprimis ac reſtricte habuit pater. Aeſchinus multas meretrices, patre ad omnia connivente, adamavit; multa convivia celebravit; quae denique iuventus fert, ea omnia non libere modo, ſed etiam licenter exercuit, poſtremo uſque eo progreſſus eſt: In virginem pauperculam quidem, ſed bonam, bonis prognatam, Pamphilam nomine, quam mater Soſtrata vidua ſancte ſecum et pudice, ut poterat, educabat, noctu temulentus cum incidiſſet, vim ei attulit, gravidamque fecit. venit poſtea ad matrem illius, veniam petens, pollicenſque, ſe puellam uxorem ducturum. ea fide data, et ignotum eſt, et tacitum. Cteſipho, cum in urbem interdum ventitaret, ipſe quoque cithariſtriae cuiusdam amore correptus eſt. totam eius rei famam, ne qua emanaret, ac perveniret ad Demeam, in ſeſe Aeſchinus trans-

ſerebat. tandem, cum leno, puellae dominus, aut pecuniam ſibi, quanti ea erat, vellet in manum dari, aut ſe eam alii venditurum minitaretur; adductus in ſummam deſperationem Cteſipho iam de relinquenda patria cogitabat: cum Aeſchinus, re intellecta, qui nullo neque pudore teneretur, neque metu, domum lenonis per vim ingreſſus eſt; et ipſum, et familiam contudit pugnis, puellamque per vim abreptam tradidit fratri. Spargitur tota urbe rumor. venit Demea, Micionem obiurgat, inclamat, teſtatur Deos atque homines, quod diſſolutus, quod intemperans, quod vinoſus, quod ſcortator, quod nullius bonae rei Aeſchinus foret, omnem in Micione uno haerere culpam. Diis gratias agere, quod ille ſaltim, quem ipſe ruri haberet, frugi ac temperans eſſet; rei ſtuderet, et famae; illarum rerum nihil ne cogitaret quidem: tantum videlicet intereſſe inter ſuam et fratris diſciplinam. placat hominem, quantum in ſe eſt, Micio: iamque ſe ab eo expediverat, cum ſupervenit aliud, quod maiores etiam tumultus excitaret. Raptam ab Aeſchino cithariſtriam, perfertur ad matrem Pamphilae; quae quidem Pamphila ita erat ad pariendum vicina, ut iam e dolore laboraret. quid faceret miſera? mutatum Aeſchini animum, ſe vero, filiamque ſuam proditas per ſummam perfidiam, ac deſertas putabat. Getam ſervulum, qui pauperem familiam ſolus, ut poterat, alebat, mittit ad Hegionem, puellae cognatum, iubetque ei rem, ut erat

exponere. interea audierat Demea, ſuum quoque Cteſiphonem in raptione affuiſſe: iamque totus in fermento, ut aiunt, erat, cum ei Syrus, ſervus vaferrimus, mendaciolum adſpergit: veniſſe quidem rure Cteſiphonem; ſed veniſſe, obiurgatum Aeſchinum, multa ei medio foro mala dixiſſe, deinde rediiſſe rus in praefecturam ſuam. lacrumare gaudio Demea, et gratulari ſibi, quod unum ſaltim haberet, in quo exſtaret paternae ſeveritatis exemplum. dum rus redit, incidit in Hegionem, a quo de conſtuprata per vim ab Aeſchino Pamphila intelligit. denuo commotus, dum fratrem, ut in eum iram evomeret, quaerit, obvium habuit mercenarium a villa, ex quo ſciſcitatus de filio, accipit, non eſſe ruri. redit ad Syrum; a quo ei rurſus novum mendacium, velut offa in os, ne latraret, obiicitur. quaerit, ubi fratrem reperire poſſet: id vero ita indicavit Syrus, ut infelix ſenex, dum illius verbis fidem habet, nequidquam omne oppidum perreptaverit. Interea Micio omnium ab Hegione certior factus, ipſemet ad mulieres profectus, iacentes iam et afflictas erexerat, labantes et dubias confirmaverat, triſtitia ac moerore confectas recreaverat, pollicitus, ſe Aeſchino Pamphilam uxorem daturum. venit Demea. clamor, iurgium, convicia. etiam eo praeſente, ſervulus quidam Cteſiphonem per imprudentiam nominat: ille cum ſubito per vim in aedes irrupiſſet, quem iampridem putabat ruri fodere, aut arare, aut aliquid ferre

denique, eum accubantem cum amica, et ſuaviter potitantem deprehendit. Ibi vero tanta iracundia incitatus eſt, ut arderet. ſatis diu vociferatus cum eſſet, tandem placida et compoſita Micionis oratione eo perducitur, ut, depoſita vetere ſaevitia, benignus, affabilis, lepidus eſſe meditetur. itaque ipſo non permittente tantum, ſed etiam iubente, puerpera domum traducitur; fiunt nuptiae; lenoni numeratur argentum; Micio ipſe Soſtratam ducit uxorem; Hegioni datur, unde vivat; Syrus una cum Phrygia uxore manumittitur. cum Micio, ceterique omnes, ſed tamen praecipue Micio, illam tantam, tam inſperatam, tam ſubitam mutationem admiraretur; gravi et cordata oratione claudit fabulam Demea: ſi omnia profundere, ſi in omni libidine ac nequitia vivere, ſi totam rem helluationibus, ſcortationibus, largitionibus conſumere libeat; nihilo id ſua magis, aliquanto etiam minus, quo ſibi minus aetatis ſuperſit, quam aliorum intereſſe; ſin corrigi ſe in loco, et modice coerceri atque admoneri velint, eum eſſe ſe, qui id praeſtare poſſit. permittuntur ei omnia, ita fabula concluditur.

PUBLII TERENTII AFRI

ADELPHI.

PROLOGUS[1].

Poſtquam poeta ſenſit, ſcripturam ſuam
Ab iniquis obſervari, et adverſarios
Rapere in peiorem partem, quam acturi ſumus:
Indicio de ſe ipſe erit [2]: vos eritis iudices,
Laudine an vitio duci factum id oporteat.
Synapothneſcontes Diphili [3] comoedia eſt.
Eam *Commorientes* Plautus fecit fabulam [4].
In Graeca adoleſcens eſt, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula [5]. eum Plautus locum

1 Et in hoc conſuetudinem ſuam ſervat, ut maledictis L. Lanuvini reſpondeat. cf. Andr. Prol. v. 7.

2 Ipſe deferet ad iudices, ſ. denuntiabit id, quod arguit invidus poeta.

3 Poeta Graecus κωμικολαλος και γνωμικολαλος aevi, cuius Menander princeps habetur.

4 Eſt in deperditis Plauti. Varro tamen ap. Gell. III, 3 eam quoque Plauti eſſe negat. Inde iam olim diverſae de auctore ſententiae fuiſſe videntur. Sed fidem habeamus Terentio, et credamus, veram Plautinam interiiſſe, aliamque eiuſdem nominis ab alio ſcriptam, in eius locum ſubſtitutam eſſe, quam Varro abiudicaverit Plauto.

5 h. e. in prima parte fabulae.

Reliquit integrum [1] : eum hic locum ſumpſit ſibi
In Adelphos: verbum de verbo expreſſum extulit [2].
Eam nos acturi ſumus novam. pernoſcite,
Furtumne factum exiſtumetis, an locum
Reprehenſum [3], qui praeteritus neglegentia eſt.
Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles [4]
Eum adiutare, aſſidueque una ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtumant,
Eam laudem hic ducit maxumam; cum illis placet,
Qui vobis univerſis et populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore uſu'eſt ſine ſuperbia [5].

1 cf. ad Heaut. Prol. v. 4.

2 h. e. a Plauto relictum primus protulit, edidit.

3 h. e. retractum, quaſi qui Plautum effugerat. Plane ut Cic. in Verr. III, 20 *quod erat praetermiſſum, id quaeſtu ac tempore admonitus reprehendiſti*; cf. & Phaedr. V, 8, 4. Curt. IV, 14, 3. Iuſtin. XXXVIII, 9, 8; ibique notata a Bernegg. Vorſtio & Fabro.

4 Scipionem & Laelium, (addit Don. & P. Furium) quos ipſe mox laudibus effert magnifice. cf. ad Heaut. Prol. 24 ſq.

5 h. e. ſine faſtidio; quaſi dixerit: Nemo tam ſuperbus eſt, qui eorum opera in bello, otio, negotio, ſuoque periculo uti noluerit. Quid autem ego eorum in me ſtudia repellam? Conferamus h. l. laudes, quas Velleius I, 13 Scipioni tribuit: *quippe Scipio tam ele-*

Dehinc ne exſpectetis argumentum fabulae [1]:
Senes qui primi venient, hi partem aperient,
In agendo partem oſtendent. facite, aequanimitas
Veſtra poetae ad ſcribendum augeat induſtriam.

ACTUS I. SCENA I.

MICIO.

STorax!.... [2] non rediit hac nocte a coena Aeſchinus,
Neque ſervolorum quiſquam, qui advorſum ierant.
Profecto hoc vere dicunt: ſi abſis uſpiam,
Aut ubi ſi ceſſes; evenire ea ſatius eſt,
Quae in te uxor dicit, et quae in animo cogitat

gans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinae & auctor & admirator fuit, ut Polybium, Panaetiumque, praecellentes ingenio viros domi militiaeque ſecum habuerit. neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxit: ſemperque aut belli, aut pacis ſerviit artibus: ſemper inter arma ac ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.

1 In quo enarrando alias Prologus verſabatur.

2 Cum exeundo vocaſſet Storacem, nemoque ſervorum reſpondiſſet, poſt aliquantulum temporis ex ſilentio coniecturam facit, ſuoſque ſenſus eloquitur. Sapienter hoc monet poſt Don. Dacieria, notatque alios, qui poſt *ierant* ſignum rogandi ingerunt. Nemo certe reſpondet.

Irata, quam illa, quae parentes propitii.
Uxor, ſi ceſſes, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, atque potare, atque animo obſequi,
Et tibi bene eſſe ſoli, cum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito!
Quibu' nunc ſollicitor rebus! ne aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut praefregerit
Aliquid. vah, quemquamne hominem in animo inſtituere [1], aut
Parare, quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi!
Atque ex me hic natus non eſt, ſed ex fratre [2]. is adeo
Diſſimili ſtudio eſt iam inde ab adoleſcentia.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus ſum: et, quod fortunatum iſti putant [3],
Uxorem nunquam habui. ille contra haec omnia:
Ruri agere ſemper vitam, parce ac duriter

1 Quaſi inſitivum; metaph. ab arboribus ſumpta, & adoptioni aptiſſima.

2 Iam aperiet partem argumenti, deſcribendis moribus fratris ſuiſque, & filiorum diverſis.

3 Scil. qui urbanam vitam ſequuntur, *coelibem*, ut ait Don. quaſi *coelitem* dicunt. Menander: Ω μακαριον με, γυναικα ου λαμβανω & Οστις γενομενος βουλεται ζην ηδεως, Ετερων γαμουντων, αυτος απεχεσθω γαμου. Ex his locis bene pugnat Dacieria contra illos, qui putarunt, Το *iſti* referri ad eos, qui a Micione diſſentiant, uti ſic fortunatum putetur, habere

Se habere [1]. uxorem duxit [2]: nati filii
Duo. inde ego hunc maiorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo.
In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi [3].
Ille ut item contra [4] me habeat, facio ſedulo:
Do [5], praetermitto [6], non neceſſe habeo [7] omnia
Pro meo iure agere: poſtremo, alii clanculum
Patres [8] quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere inſueverit patrem, aut
Audebit: tanto magis audebit ceteros [9].
Pudore et liberalitate liberos

uxorem; quod certe non convenit in Micionem, ſuae vitae laudatorem. Sic & inepte coniecit Guyet. *quod iſti inſort. putant.*

1 Opponitur ei, qui clementer ſe habet, ſibique vivit; cf. infra V, 2, 12, ubi Demea vitam, quam vixit duram, acrioribus verbis ipſe notat.

2 Hinc Demea l. c. *quam ibi miſeriam vidi!*

3 Auget neutrum hoc, et *ſolum* habet vim ſuperlativi. Similis dictio: *nihil eo mihi carius eſt*, & ſupra v. 14 *in animum inſtituere, quod ſit carius, quam* &c. Sed & referas *id* ad praecedentia.

4 *Item contra* h. e. viciſſim, uti Eun. IV, 1, 10 & clarius etiam Hec. IV, 1, 7. Similiter Plautus Merc. V, 241 *contra pariter.* cf. infra v. 48 *Studet par referre.*

5 int. ſumptum.

6 int. peccata.

7 h. e. non opus ſ. utile habeo.

8 int. ſuos.

9 int. fallere.

Retinere, ſatius eſſe credo, quam metu:
Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.
[1] Venit ad me ſaepe clamans: quid agis, Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris?
Veſtitu [2] nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipſe eſt durus, praeter aequumque et bonum:
Et errat longe, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat gravius [3] eſſe aut ſtabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur [4].
Mea ſic eſt ratio, et ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet;
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Quem beneficio adiungas, ille ex animo facit;
Studet par referre, praeſens abſenſque idem erit.

1 Laudat ſeqq. quinque verſus Cic. de Inv. I, 19 ut exemplum narrationis: *Illa autem narratio, quae verſatur in perſonis, eiuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſint, hoc modo:* Venit ad me ſaepe clamitans &c.

2 *Veſtitu*, pro *veſtitui*, antique.

3 h. l. plus ponderis & venerationis habens.

4 Sententiam eandem proferunt Cic. de off. II, 7. Sall. Cat. 9 & Iug. 3 & 10. Nepos Dion. 5 &c.

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium,
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur neſcire imperare liberis.
Sed eſt ne hic ipſus, de quo agebam? et certe is eſt.
Neſcio quid triſtem video. credo iam, ut ſolet,
Iurgabit.

ACTUS I. SCENA II. [1]

MICIO, DEMEA.

M. SAlvom te advenire, Demea,
Gaudemus. *D.* ehem [2] opportune! te ipſum quaerito.
M. Quid triſtis es [3]? *D.* rogas me, ubi [4] nobis Aeſchinus

1 Advenit iam ad Micionem frater Demea, cuius ingenium ſaevius iam apparebit, cum mitiori Micionis animo comparatum. Clamat autem novum ſcelus Aeſchini filii, qui Micioni adoptatus erat. Et ſic narratio argumenti continuatur ab altero ſene.

2 Vide quam agreſtem & iracundum animum is praeferat primo aſpectu; quo ſubito commotus, nec reſalutans, ſtatim clamat: *ehem.*

3 Mitius rogat. Eſt vero triſtitia in fronte index irarum aut ſaevitiae.

4 h. e. penes quem, ut Dacieria optime reddidit. Alii in eo miſere laborant.

Siet, quid triſtis ego ſim? *M.* dixin' hoc fore [1]?
Quid fecit? *D.* quid ille fecerit! quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quenquam, neque legem putat
Tenere ſe ullam. nam illa, quae antehac facta ſunt,
Omitto: modo quid deſignavit [2]! *M.* quidnam id eſt?
D. Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas: ipſum dominum [3], atque familiam
Mulcavit uſque ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat [4]: clamant omnes [5], indigniſſume
Factum eſſe. hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere? in ore eſt omni populo. denique [6],
Si conferendum exemplum eſt, non fratrem videt

1 Seorſim ad ſpectatores hoc dicit; dein ad fratrem convertitur.

2 Don. obſervat: *deſignare eſt rem novam facere in utramque partem, & bonam & malam.* Nobis videtur idem, ac rem inſignem & atrocem fecit, ſ. inſignitius admiſit.

3 Sic dicit, non *lenonem*, ut crimen maius videatur.

4 Id putat Demea, ſed fallitur. Amabat enim perdite ipſe ille filius, quem mox melius moratum laudat pater. Fratris cauſa eripuerat puellam Aeſchinus.

5 Vide, quam augeat rem eiuſque ignominiam.

6 Iam ad ſuum contra laudandum deſciſcet, ut arguat ipſum fratrem, ipſe, qui ſibi videtur virtutis magiſter ac propugnator.

Rei dare operam, ruri eſſe parcum ac ſobrium?
Nullum huius ſimile factum. haec cum illi [1], Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi ſinis.
M. [2] Homine imperito nunquam quidquam iniuſtius,
Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.
D. Quorſum iſtuc? *M.* quia tu, Demea, haec male iudicas [3].
Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare: non eſt: neque fores
Effringere. haec ſi neque ego, neque tu fecimus,
Non ſivit egeſtas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Iniurium eſt: nam ſi eſſet, unde id fieret,
Faceremus: et tu illum tuum, ſi eſſes homo [4],
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,

1 h. e. in illum.

2 Micio ſe a fratris importunitate vindicare ſtudens, cum re ipſa Aeſchini factum improbet, eius & ſui defenſionem ſuſcipit, arguendo fratrem *imperitiae*, quae ruſticorum hominum eſt. Amatoriae levitates dicuntur urbanis, quae ruſticis ſunt flagitia. Neque vero haec dixit Micio, niſi ut contra aegre fieret Demeae.

3 Satis ſedata voce haec pronuntiat, ut hoc magis contrarius ſit Demeae irato.

4 h. e. humanus, h. e. neque rudis ingenii, neque ſaevi & impatientis animi. cf. Andr. I, 5, 1. Heaut. I, 2, 31.

Potius quam, ubi te exſpectatum eieciſſet foras [1],
Alieniore aetate [2] poſt faceret tamen.
D. Pro Iupiter [3]! tu homo [4] adigis me ad inſaniam.
Non eſt flagitium, facere haec adoleſcentulum? *M.* ah [5],
Auſculta, ne me obtundas de hac re ſaepius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi:
Is meus eſt factus. ſi quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi [6] maxumam partem feram.
Obſonat, potat, olet unguenta de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum [7]:

1 Te, cuius mortem pridem exſpectavit, citius & ſine honore extuliſſet.

2 Quae amoribus & conviviis tempeſtiva eſſe deſiit. Tibull. I, 185 *Iam ſubrepet iners aetas, nec amare decebit.*

3 Tragica exclamatio hominis ira tumentis.

4 Indignabundus reddit illi iam illud *homo*.

5 Obtundenti fratri reclamat, et qui iſta non tam probet, quem iurgio finem facere velit, provocando ad ius ſuum, rediget vehementiori reſponſo ad manſuetiorem rationem, l. potius metum.

6 *Illi* Donatus dicit h. l. non eſſe pronomen, ſed adv. pro *illic*; et *feram* exponit per *ſuſtinebo*.

7 h. e. non moleſtum, ſ. quoad potero l. libuerit. Mox dicit *& adhuc non moleſta ſunt.*

Ubi non erit, fortaſſe excludetur foras [1].
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt diis gratia,
Quum eſt unde haec fiant; et adhuc non moleſta ſunt [2].
Poſtremo aut deſine, aut cedo quemvis arbitrum [3]:
Te plura in hac re peccare oſtendam. *D*. hei mihi!
Pater eſſe [4] diſce ab illis, qui vere ſciunt [5].
M. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
D. Tun' conſulis quidquam [6]? *M*. ah, ſi pergis; abiero.
D. Siccine agis? *M*. an ego toties de eadem re audiam?

1 int. ab amicabus. cf. Eun. I, 1, 4 & 2, 8. Dicit autem indulgenter *fortaſſe*, quaſi filius etiam amari poſſit ab amica, gratiſque admitti: quod obſervavit Don. ſeu quiſquis ei ſua adtexuit.

2 int. quae ille fecit, & tu male putas flagitia eſſe.

3 Qui litem hanc noſtram ex aequo & bono ſ. pro humanitate dirimat. Indicat igitur, non modo ex iure, ſed & ex humanitate ſe ſuperiorem fore, & innuit ceſſurum eſſe de iure paterno. vid. v. 53.

4 int. animo (cf. infra V, 7, 4) ſ. conſiliis, uti mox, ſ. cura, uti Sall. Catil. 6 *a curae ſimilitudine Patres appellabantur.*

5 int. patres eſſe.

6 Contumelioſius rogat, quia ille dixerat: *conſiliis ego.*

D. Curae eſt mihi. *M.* et mihi curae eſt: verum, Demea,
Curemus aequam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Repoſcere illum eſt, quem dediſti. *D.* ah! Micio [1].
M. Mihi ſic videtur. *D.* quid iſtic [2]? tibi ſi iſtuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam ſi verbum ullum poſthac. *M.* rurſum, Demea,
Iraſcere? *D.* an non credis [3]? repeton' quem dedi?
Aegre eſt [4]: alienus non ſum. ſi obſto [5]: hem! deſino.
Unum vis curem: curo: et eſt diis gratia [6],
Quom ita, ut volo, eſt. iſte tuus [7] ipſe ſentiet
Poſterius [8]: nolo in illum gravius quidquam dicere.

1 Territus ultimis verbis, quaſi de reddendo filio repoſcenti exclamat cum dolore, cui ſubeſt ira, mox eruptura.

2 h. e. non tibi in eo amplius reſiſto.

3 int. me iſtum tuum non amplius curare velle.

4 int. mihi, qui tamen natura ſum pater; neque adeo alienus.

5 Ira abrumpit ſermonem. Dicere voluit: ſi obſto, facio id affectu paterno.

6 Reddit iratus Micioni, quae reſpondeant illis v. 42.

7 Micio v. 36 dixerat *Is meus eſt factus.*

8 Cohibet, ne ira in diras vertat, ſ. quae non ſint dicta parentis. Dicere autem potuit: *ſe per te periiſſe.*

ACTUS I. SCENA III.

MICIO[1].

NEc nil, neque omnia haec ſunt, quae dicit. tamen,
Nonnil moleſta haec ſunt mihi; ſed oſtendere,
Me aegre pati[2], illi nolui. nam ita eſt homo:
Cum placo[3], advorſor ſedulo, et deterreo;
Tamen vix humane patitur[4]: verum ſi augeam,
Aut etiam adiutor ſim eius iracundiae;
Inſaniam profecto cum illo. etſi Aeſchinus
Nonnullam[5] in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? poſtremo nuper (credo iam omnium
Taedebat,) dixit, velle uxorem ducere[6].

1 Micio poſt fratris irati abitionem tranſit ad eorum, quae dixerat, correctionem, plenam humanitatis; quae uti Melanchthon ait, mediocritatem probat.

2 int. rem, h. e. admiſſa ab Aeſchino.

3 h. e. placare volo.

4 h. e. vix comprimit iracundiam, aequum ſe ſ. moderatum praebet.

5 *Etſi- nonnullam.* Temperamentum his voculis ineſt mirum. Sed quo mitior eſt parens, hoc gravius fuerit, in ipſum peccaſſe.

6 Neſcius ſic oſtendit partem argumenti, quod eſt a virgine, quam a ſe vitiatam ducere cupiebat Aeſchinus. Ducturum ſe uxorem dixerat patri, ſed pudore praepeditus tacuit, quam vellet, & quare.

Sperabam, iam deferviſſe [1] adoleſcentiam :
Gaudebam. ecce autem de integro : niſi quidquid eſt,
Volo ſcire, atque hominem convenire, ſi apud forum eſt.

ACTUS II. SCENA I.

SANNIO, AESCHINUS, PSALTRIA, PARMENO ſervus, perſonae mutae.

OBſecro, populares [3], ferte miſero atque innocenti auxilium :
Subvenite inopi. *Ae.* [4] otioſe nunc iam illico hic conſiſte :

1 ſ. deferbuiſſe, ut Cic. pro Coel. c. 18 & 43. Aetati autem lenis pater tribuit, quae filius fecerat.

2 Iam ſupra Act. I, 2, 9--11 Demea gravius detulerat ad Micionem, Aeſchinum irruiſſe in alienas aedes, virginis rapiendae cauſa, eiuſque dominum mulcaſſe. Ea fuit prior rixa. Iam cum Aeſchinus diu tentaſſet lenonem impurum, ut iure ſuo cederet, priuſquam abduceret ipſe pſaltriam, deducit tandem eam domum; quam cum ut ſuam inſequitur leno, nec ab ea abſiſtere vult; oritur altera rixa, quae huius ſcenae eſt. Hinc mox Aeſchinus : *non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.* Atque is locus eſt ex Diphili fabula translatus.

3 cf. cum hoc clamore illos ap. Plaut. Rud. III, 2.

4 Dicit haec pſaltriae, quae volens Aeſchinum ſe-

Quid reſpectas? nihil pericli eſt. nunquam, dum ego adero, hic te
Tanget. *S*. ego iſtam invitis omnibus [1].
Ae. Quanquam eſt ſceleſtus [2], non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.
S. Aeſchine, audi; ne te ignarum fuiſſe dicas meorum morum,
Leno ego ſum [3]. *Ae*. ſcio [4]. *S*. at ita, ut uſquam fuit fide quiſquam optuma.
Tu quod te poſterius purges [5], hanc iniuriam mihi nolle

euta, metuebat a ſuo domino, lenone.

1 Sic quaſi ad illam retinendam luctaturus clamat leno abrupte; & deeſt *eripiam*.

2 h. e. quanquam ſceleſte facere conſuevit.

3 Poſtulat ius lenonium, quod, ob reditus ex eorum quamvis infami quaeſtu publicos, tantum erat, ut qui illis vim feciſſent, exheredes fierent; quod Daceria firmat loco Luciani, quo iuvenis ſe a patre exheredem factum querens rogat τις πορνοβοσκος υβριζεται. Addimus Plaut. Rud. III, 4, ubi pariter leno *ius ſuum* ſibi *ereptum*, *ancillaſque* ſe *invito ereptas* clamat.

4 Aeſchinus reſpicit ad mores lenonis, quos ipſe leno mox exprimit. cf. Plaut. Rud. III, 2, 37 ſq. Ius vero contemnit, quippe ſciens, lenones facile pati ac muſſitare iniurias adoleſcentium; cf. dein Sc. 3, 12. Et Aeſchinus argentum pro ea redditurus erat.

5 cf. Hec. V, 1, 16.

Factam eſſe : huius non faciam [1]. crede hoc, ego meum ius perſequar :
Neque tu verbis ſolves [2] unquam, quod re mihi malefeceris.
Novi ego veſtra haec [3] : nollem factum : iusiurandum dabitur [4], te eſſe
Indignum iniuria hac ; indignis cum egomet ſim acceptus modis.
Ae. [5] Abi prae ſtrenue , ac fores aperi. *S.* ceterum hoc nihil facis [6].
Ae. I intro nunc iam tu [7]. *S.* at enim non ſinam [8]. *Ae.* accede illuc Parmeno [9] ;
Nimium iſtoc abiſti : hic propter hunc aſſiſte. hem, ſic volo.

1 Cum crepitu digitorum, i. ſimili geſtu expreſſum idem eſt , quod *non flocci faciam.*

2 h. e. ſatisfacies ; cf. Phorm. V , 9 , 80.

3 int. verba.

4 Iurabimus , te eſſe &c. cf. Plaut. Amphitr. III , 2 , 7.

5 Spretis minis lenonis Aeſchinus ſervum Parmenonem iubet praeire , ut fores aperiat , quo introeat puella.

6 Sannio ſe parat ad impediendum puellae introitum.

7 Foribus iam apertis Aeſch. puellam , quam manu ducit , introire iubet.

8 Leno puellam prehendit retinetque.

9 Aeſch. ſemper animo praeſenti imperat , neque perturbatur lenoniis clamoribus & conatibus. Oſtendit vero poeta ex verbis Aeſchini , quid faciant alteri , & ſervus & leno.

Cave nunc iam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos,
Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat.
S. Iſtuc volo ergo ipſum experiri [1]. *Ae.* hem! ſerva [2]. omitte mulierem.
S. O facinu' miſerum! *Ae.* geminabit, niſi caves [3]. *S.* hei miſeriam!
Ae. Non innueram: verum in iſtam partem potius peccato tamen [4].
I nunc iam [5].

1 Impotens tamen contumax eſt & loquax uſque ad pericula.

2 Militariter quaſi imperat Parmenoni; cf. Andr. II, 5, 5. Mox lenonem iubet abſtinere a muliere; quo perſeverante innuit Aeſch. ſervo: hinc colaphus; hinc clamor Sannionis.

3 Verbum *geminabit* cum ſervus pro imperio haberet, novum is inflixit colaphum; inde rurſus lamentatur leno. Interea omiſerat mulierem.

4 Bene Don. inquit, ut verberes non iuſſus, potius quam ut iuſſus non verberes.

5 Parum vere multi cum Don. facetiam in eo quaeſierunt, quod Aeſch. hoc dixerit lenoni cum irriſione. Sed is potius iubet denuo puellam, quae prius impedita erat a lenone, nunc ab eo omiſſa, citius in domum ingredi cum ipſo Parm. Itaque novam Scenam facimus.

ACTUS II. SCENA II.

SANNIO, AESCHINUS.

S. QUid hoc rei eſt! regnum ne, Aeſchine, hic tu poſſides [1]?

Ae. Si poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus [2].

S. Quid tibi rei mecum eſt [3]? *Ae.* nihil. *S.* quid? noſtin' qui ſim? *Ae.* non deſidero.

S. Tetigin' tui quidquam? *Ae.* ſi attigiſſes, ferres infortunium.

S. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?

Reſponde [4]. *Ae.* ante aedes non feciſſe erit meliu' [5] heic convicium;

1 Invidioſe dictum in rep. libera, idque impotentibus ſollemne adv. potentiores. Sic & Phorm. II, 3, 58-- *Solus regnas.*

2 Εἰρωνεία. Plaut. Capt. IV, 3, 20. Regum vero erat, ornare duces ex virtutibus. Leno eſt magiſter ſcelerum.

3 Don. bene exponit: *quid tibi debeo*, unde in me actionem habeas. Sunt convicia impotentis, quae Aeſchinus pro more ſuo excipit, gnarus tractandi eius generis hominem.

4 Vehementius inclamat leno Aeſchinum, velut qui crimini reſpondere debeat. Aeſch. vero tranquille ſatis, ſed fortiter reſpondet minando.

5 h. e. auctor ſum f. ſuadeo tibi.

Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro abripiere, atque ibi [1]
Uſque ad necem operiere loris. *S*. loris liber [2]? *Ae*. ſic erit.
S. O hominem impurum [3]! hiccine libertatem aiunt eſſe aequam omnibus?
Ae. Si ſatis iam debacchatus es [4], leno, audi, ſi vis, nunc iam.
S. Egon' debacchatu' ſum autem, an tu in me? *Ae*. mitte iſta, atque ad rem redi [5].
S. Quam rem? quo redeam [6]? *Ae*. iamne me vis dicere, quod ad te attinet?

1 Oſtendit aedes Micionis. Servi & homines nequam flagellabantur intra aedes. cf. Andr. I, 2, 28.

2 Magiſtratus utebantur virgis in noxios, domini in ſervos loris. Weſterh. citat Plaut. Poen. prol. 26 & Cic. pro Rabir. 4.

3 Convicium ſolemne; & dicebatur pro *improbo*.

4 ſ. deſaeviſti; quaſi furibundus eſſet ex vino.

5 Negligit ſecure obiecta ſibi Aeſch. & tranſit callide ad placandum ingenium lenonium, quod pecuniae inhiare noverat. *Rem* vero opponit conviciis, verberibus, minis, & dicit ſummam, in qua cardo rei verſatur. Sic infra V, 1, 9 ſq. *Res* erat h. l. quae lenonis intereſſet; mox *quod ad te attinet*.

6 Leno recreatus dicto Aeſchini ſimulat tamen ſe non intelligere, quid ſibi velit Aeſch. Videri enim non vult nimium cupidus vendundae pſaltriae, aut inhiare pecuniae, ut Aeſchinus deſcendat in conditiones hoc aequiores.

S. Cupio, aequi modo aliquid. *Ae.* vah! leno [1] iniqua me non volt loqui.

S. Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium,

Periurus, peſtis: tamen tibi a me nulla eſt orta iniuria.

Ae. Nam hercle etiam hoc reſtat. *S.* illuc quaeſo redi, quo coepiſti, Aeſchine [2].

Ae. Minis viginti tu illam emiſti, quae res tibi vortat male:

Argenti tantum dabitur [3]. *S.* quid, ſi ego illam nolo vendere,

Coges me [4]? *Ae.* minume. *S.* namque id metui [5]. *Ae.* neque vendundam cenſeo,

1 Quid illum porro praedicem? Mores lenonios ipſe mox exprimit Sannio. cf. Plaut. Rud. III, 2, 38.

2 Aeſchinum, rem, quae hic agebatur, lenonis omittere viſum, iam rogat ipſe mitior Sannio.

3 Brevius expedit callidus Aeſchinus rem, aegre pollicendo tantum, quanti emerat leno.

4 Denuo leno tentat Aeſchinum; ſed is ſibi ſemper conſtans aſpernatur tergiverſationes avari lenonis.

5 Fractus dicto fidentiori ita reſpondet, ut inde Aeſchinus ſe ſuperiorem ſentiat, & rideant ſpectatores hominem, cui poſt amiſſam mulierem nihil magis curae eſſe debuit, quam ut haberet eius pretium. Hinc progreditur Aeſch. ad ultima edicenda, quibus profliget contumaciam animi pretio addicti, a Syro ſc. ſq. aſtute conficiendam.

Quae libera eſt [1]: nam ego liberali illam aſſero cauſa manu [2].
Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an cauſam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo, leno [3].

ACTUS II. SCENA III.

SANNIO.

PRo ſupreme Iuppiter [4]!

1 Fingit hoc, ut iniiciat lenoni metum calumniae. Et ſaepe acciderat, ut quae natae eſſent liberae, cum praeſertim infantes exponi moris eſſet, aut raptae a piratis aliave fraude, in manus lenonum venirent; cf. Plaut. Poen. IV, 2, 80 ſq. Rud. III, 4, 30 ſqq. Perſ. IV, 9, 12.

2 *Sunt iuris verba* (inquit Don.) *a quibus etiam* aſſertores *dicuntur vindices alienae libertatis. Nam &* cauſa *ipſa* liberalis *dicitur, quae actionem in ſe continebat libertatis.* vid. titt. D. & Cod. de cauſa liberali. cf. Plaut. Poen. V, 2, 4.

3 Et ſic ſuperbe ſatis abire videtur; qui de abſolvendo lenone non minus, quam ille de argento habendo, ſollicitus, domum intrat, rem omnem patri Micioni denuntiaturus, ut eius liberalitate argentum accipiat lenoni ſolvendum.

4 Ex tot tantiſque iniuriis, non de pſaltria amplius, inſaniens quaſi Sannio cum furore ſ. tragice exclamat. Mox revocatis, quas paſſus erat, iniuriis, tandem ad ſe redit, meliuſque habet, ab Aeſchino, alias bene promerito, argentum ac-

Minime miror, qui inſanire occipiunt ex iniuria [1].
Domo me eripuit, verberavit: me invito abduxit meam:
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi [2].
Ob malefacta haec tantidem emptam poſtulat ſibi tradier.
Verum enim, quando bene promeruit [3], fiat: ſuum ius [4] poſtulat.
Age iam cupio, ſi modo argentum reddat. ſed ego hoc hariolor;
Ubi me dixero [5] dare tanti, teſtes faciet illico,
Vendidiſſe me: de argento ſomnium: mox: *cras redi.*
Id [6] quoque poſſum ferre, ſi modo reddat: quanquam iniurium eſt.

cipere; ſed anxius, an id quiſquam daturus ſit, offertur Syro, ſervo Micionis, qui rem conficiet.

1 cf. Liv. VII, 39 *Quem-eſſe--cui ex iniuria inſanientis exercitus cauſa recte committatur.*

2 Haec ſupra modum dicta, ut inſanum decet, flebiliter pronuntiat.

3 h. e. alias multa in me fuere promerita ſ. beneficia eius, de quo ipſe pater ſupra: *quam non amavit meretricem, aut cui non dedit aliquid?*

4 Quod aequum eſt viciſſim.

5 *Recte dixit*, (inquit Don.). *Ubi enim pactio interceſſerit pretii, iam ereptionis actio ſublata erit, & pretium debebitur.*

6 h. e. moram.

Verum cogito id quod res eſt; quando eum quaeſtum occeperis,
Accipiunda et muſſitanda iniuria adoleſcentium eſt.
Sed nemo dabit: fruſtra egomet mecum has rationes puto [1].

CTUS II. SCENA IV [2].

SYRUS, SANNIO.

Sy. TAce [3], egomet conveniam ipſum: cupide accipiat iam faxo, atque etiam
Bene dicat ſecum eſſe actum. quid iſtuc, Sannio, eſt [4], quod te audio
Neſcio quid [5] concertaſſe [6] cum hero? *Sa.* nunquam vidi iniquius

1 Quibus ratio pecuniae cum aliis putanda eſt, fruſtra eam putant ipſi, ſ. fruſtra ſperant, ſe habituros eſſe pecuniam, niſi alter dederit. In ipſa autem deſperatione de pecunia praeparatio eſt ad accipiendas 20 minas. De formula *rationes putare* cf. Taubm. ad Plaut. Aulul. III, 5, 53.

2 Aeſchinus clam ſibi a lenonis contumacia metuens ſubmittit Syrum, qui ipſum permoveat ad accipiendum pretium. Sed leno iam ipſe ei inhiabat. Comici luſus.

3 Syri egredientis reſponſum, quod Aeſchino fecit ultimum.

4 His lenonem ſibi obvium clarius alloquitur.

5 Simulans ſic dicit, ut eloquatur Sannio, unde ipſius perſuadendi initium ſit.

6 Honeſtum nomen ri-

Certationem, comparatam, quam haec hodie inter nos fuit :
Ego vapulando, ille verberando, uſque ambo defeſſi ſumus.
Sy. Tua culpa [1]. *Sa*. quid facerem? *Sy*. adoleſcenti morem geſtum oportuit.
Sa. Qui potui melius [2], qui hodie uſque os praebui? *Sy*. age [3], ſcis quid loquar?
Pecuniam in loco neglegere, maxumum interdum eſt lucrum [4]. *Sa*. hui.
Sy. Metuiſti, ſi nunc de tuo iure conceſſiſſes paululum,
Atque adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultiſſime,
Ne non tibi iſtuc [5] foeneraret. *Sa*. ego ſpem pretio non emo [6].
Sy. Nunquam rem facies : abi, neſcis ineſcare homines, Sannio [7].

xae, in qua leno mulcatus erat ab Aeſchino.

1 int. eſt. Metrum enim octonarii poſtulat primum caſum.

2 int. morem gerere.

3 *Age* corripientis eſt.

4 Plaut. Capt. II, 2, 75. *eſt etiam, ubi profecto damnum praeſtet facere, quam lucrum.*

5 int. paululum, quod conceſſiſſes.

6 Sapientiae Syri opponit ſuam, quae magis eſt foeneratorum.

7 Audi, quam dulce canat auceps Syrus. Sed & leno aeque aſtutus. Ita alter alterum fallit.

Sa. Credo iſtuc melius eſſe : verum ego nunquam adeo aſtutus fui,
Quin, quidquid poſſem, mallem auferre potius in praeſentia.
Sy. [1] Age, novi tuum animum [2] : quaſi iam uſquam tibi ſint viginti minae,
Dum huic obſequare. praeterea autem te aiunt proficiſci Cyprum. *Sa.* hem [3] !
Sy. Coemiſſe hinc, quae illuc veheres, multa : navem conductam. hoc ſcio,
Animus tibi pendet. ubi illinc, ſpero, redieris; tamen hoc ages.
Sa. Nuſquam pedem [4]. perii hercle : hac illi ſpe hoc inceperunt. *Sy.* timet [5] :
Inieci ſcrupulum homini. *Sa.* [6] o ſcelera ! illud vide,

1 Syrus prima via haud captans lenonem, alia eum aggreditur.

2 Quaſi liberalis eſſet. Blanditiis hiſce tegit dolum, quo illum velut cuniculo deterrere ſtudet.

3 Et ſane terretur Sannio.

4 Omiſit *fero.* Sannio perturbatus primum quidem negare cupit, ſed nimium perculſus recedit aliquantum a Syro, & ſecum loquitur *perii hercle* &c.

5 Syrus hac via, quod agebat, ſucceſſiſſe, ſibi gratulatur.

6 Sannio qui interea longius receſſerat, ſeorſim, quaſi re deſperata, loquitur, & denuo rationem ſecum putans, tandem ſibi non conſtans, ſatius habet, ſpem

Ut in ipſo articulo [1] oppreſſit. emptae mulieres
Complures, et item hinc alia, quae porto Cyprum.
Niſi eo ad mercatum venio, damnum maxumum eſt.
Nunc ſi hoc omitto [2], ac tum agam, ubi illinc rediero;
Nihil eſt: refrixerit res; [3] *nunc demum venis?*
Cur paſſus? ubi eras? ut [4] ſit ſatius perdere,
Quam aut hic manere tam diu, aut tum perſequi.
Sy. Iamne enumeraſti id quod ad te rediturum putes [5]?

maioris lucri pretio emere.

1 ſ. momento, hora ei rei tempeſtiva.

2 int. perſequi ius meum de erepta mihi ſerva.

3 Elliptica locutio, quae ſe ad ſqq. habet, ut antecedens. Si ſemel ſ. ubi refrixerit res, reſpondebitur mihi: *nunc demum venis* &c. cf. Heaut. I, 1, 27 ibique not. Eun. II, 2, 21. Inprimis Phorm. II, 3, 35 *Unum cognoris, omnes noris.* Monemus haec, quod omnes interpp. inde a Don. orationem h. l. minus cepiſſe videmus.

4 Poſt orationem affectuum plenam & narrationem ſaepe 7. *ut* locum invenit, ut vim concludendi habeat. cf. Heaut. II, 2, 64. Phorm. I, 2, 57.

5 Syrus, perſpecta ſollicitudine lenonis, ſed non intellecto, quid ſecum diſputaverit, ſatis comice rogat, quid ad ſe rediturum putet. Is vero perdere potius argentum maluerat, quam eius habendi cauſa

Sa. Hoccine illo dignum eſt [1]? hoccine incipere Aeſchinum?
Per oppreſſionem [2] ut hanc mi eripere poſtulet?
Sy. Labaſcit [3]. unum hoc habeo : vide ſi ſatis placet :
Potius, quam venias in periclum, Sannio,
Serves ne, an perdas totum, dividuum face [4].
Minas decem corradet [5] alicunde. *Sa.* hei mihi,
Etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer.
Pudet nihil : omnes dentes labefecit mihi.
Praeterea colaphis tuber eſt totum caput.
Etiam inſuper defrudet? nuſquam abeo [6]. *Sy.* ut lubet [7].

mercatum non adire. Daciería rogaſſe vult, quid putet rediturum ex mercatu iſto; tanquam rem praeſentem callide omittat.

1 Redit ad primos clamores, incertus quid agat.

2 *Oppreſſio;* quippe ſubita in ipſo articulo.

3 Hoc ſecum dicit Syrus; cetera lenoni. Mirum vero, quantum alter alterum fallat. Syrus metuit hero a lenone, & aſtutias adhibet, quibus hunc mitiorem reddat ad accipiendum. Sannio, metuens, ne argentum habeat, habebit pretium, circa quod uterque tergiverſari ſe ſimulant.

4 Sic ap. Plaut. Rud. V, 3 ſenex cum lenone agens etiam *dividuum talentum facere* promittit.

5 Ab ipſa argenti inveniendi difficultate argumentum ſumit ad molliendum lenonem.

6 Id ſimulat; ut metuant illi actionem de raptione.

7 Frigide reſpondet concedendo, quaſi ſecurus. Et

Numquid vis, quin [1] abeam? *Sa.* immo hercle hoc quaeſo [2], Syre,
Ut ut haec ſunt facta, potius, quam lites ſequar,
Meum mihi reddat, ſaltim quanti empta eſt. Syre,
Scio te non uſum antehac amicitia mea:
Memorem me dices eſſe, et gratum. *Sy.* ſedulo
Faciam. [3] ſed Cteſiphonem video. laetus eſt
De amica. *Sa.* quid, quod te oro [4]? *Sy.* pauliſper mane.

ACTUS II. SCENA V[5].

CTESIPHO, SYRUS, SANNIO.

C. ABs quivis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas:

is ſimulat ſe abiturum, callide ſimul rogans, numquid aliud forte velit. Inde tranſitus ad finem diſputationis.

1 ſ. quo minus.

2 Iam ſic mitis morem geret adoleſcenti, ut etiam obſecret operam Syri, atque ſe gratum fore polliceatur.

3 Syrus mittit lenonem, convertit ſe ad Cteſiphonem adventurum, & ſecum haec dicit.

4 Leno acclamat ſic ſupplex recedenti ſervo; qui ipſum in ſcena remanere iubet.

5 Cteſ. ingreditur in ſcenam laetus de ſua, & ſecum gratulans fratri; neque is, ſuam fortunam cogitans,

Verum enimvero id demum iuvat, ſi, quem aequom eſt facere, is bene facit.
O frater, frater, quid ego nunc te laudem! ſatis certo ſcio:
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua:
Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror,
Fratrem homini nemini eſſe primarum artium [1] magi' principem.
S. O Cteſipho! *C.* o Syre! Aeſchinus ubi eſt? *S.* ellum, te exſpectat domi. *C.* hem!
S. Quid eſt? *C.* quid ſit! illius opera nunc vivo. *S.* o feſtivum caput!
C. Qui omnia ſibi poſt putavit eſſe prae meo uno commodo;
Maledicta, famam, meum laborem, et peccatum in ſeſe tranſtulit.

ſtatim videt Syrum. Leno in diverſa ſcenae parte ſtat, ubi illos non audit.

1 *Primae artes* ſunt animi, eaeque amoris, amicitiae, beneficentiae, qua homines coniunguntur. Sed & *prima ars* eſt, non videri velle in arte primum, neque in ea gloriari, ut illi, *qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec ſunt.* cf. Eun. II, 2, 17. Aeſchinus vero ita dabat fratri beneficium, ut qui id deberet, neque de eo adeo magnam gratiam haberi vellet; vid. ſc. ſq. v. 7 ſqq.

S. Nil pote ſupra. *C.* ſed quiſnam foras exit [1] ? *S.* mane, ipſe exit foras.

ACTUS II. SCENA VI.

AESCHINUS, SANNIO, CTESIPHO, SYRUS.

Ae. [2] UBi ille eſt ſacrilegus ? *Sa.* me quaerit. num quidnam effert ? occidi :
Nil video. *Ae.* ehem, opportune : te ipſum quaero : quid fit, Cteſipho ?
In tuto eſt omnis res : omitte vero triſtitiam tuam.
C. Ego vero illam omitto, qui te quidem fratrem habeam. o mi Aeſchine !
O mi germane ! ah vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi [3] magis, quam quod habeam gratum, facere exiſtumes.

1 Cteſ. qui porro dicturus erat, ſubito territus crepitu forium, fugit. Metuit enim patrem. Hinc ipſum manere iubet Syrus, viſo, Aeſchinum eſſe.

2 Aeſchinus denuo ſuperbum agit, callidus morum lenonis. Leno in alia ſcenae parte convicii negligens, unius argenti avidus, & nihil videns, denuo deſperans ſecum ad ſpectatores loquitur. Aeſchinus vero fratre viſo, cum illo differit ita, ut animum prodat fraternum.

3 int. cauſa.

Ae. Age, inepte [1], quaſi nunc norimus nos inter nos, Cteſipho.
Hoc mihi dolet, nos paene ſero ſciſſe, et paene in eum locum
Rediſſe, ut, ſi omnes cuperent, nihil tibi poſſent auxiliarier [2].
C. Pudebat [3]. *Ae.* ah, ſtultitia eſt iſtaec, non pudor. tam ob parvolam

1 Non iniuriae cauſa id dicit; ſed blande finem facturus laudibus.

2 Inſigne documentum animi fraterni, cui dolebat, fratrem e patria abire, & quam leno, ad mercatum in inſ. Cyprum profecturus, abducere volebat, pſaltriam ſequi maluiſſe, quam, quod aequum erat, fratri credere. Itaque quamvis improbemus ſive amorem Cteſiphonis, aut eius impotentiam, ſive diſciplinam patris duri, quam ille elapſurus erat; laudamus tamen caritatem fratris, quae in Aeſch. apparet, & probata fuit huius patri mitiori; de quo alibi Act. III, 4 Syrum in principio loquentem. Diphilus (non Menander, ut Don. per errorem) mori illum voluiſſe cum ſua finxit; unde eius fabulae nomen *Commorientes* fuiſſe videtur. cf. prol. 6. Terentius fugam fingit, quae amatoribus comicis aptior viſa, quam tragica illa nimis ſententia.

3 int. me amoris mei; quem, quod eſſet *amor ſervae,* Aeſchinus pro ſua diſciplina mox *parvulam rem* dicit. Placet tamen pudor adoleſcentis, quamvis eum ſtultitiae ſ. imprudentiae arguat frater, cui gravius peccatum videbatur in fuga. Et ſane grave hoc fuiſſet.

Rem paene e patria [1]! turpe dictu. deos quaeſo, ut iſtaec prohibeant.
C. Peccavi [2]. *Ae.* quid ait tandem nobis Sannio [3]? *Sy.* iam mitis eſt.
Ae. [4] Ego ad forum ibo, ut hunc abſolvam [5]: tu intro ad illam, Cteſipho.
Sa. Syre, inſta [6]. *Sy.* eamus: namque hic properat in Cyprum. *Sa.* ne tam quidem:
Quamvis etiam maneo otioſus hic. *Sy.* reddetur; ne time.
Sa. At ut omne reddat. *Sy.* omne reddet; tace modo, ac ſequere hac. *Sa.* ſequor.

1 int. fugere. Fuga ob ob eam rem omnino turpis ſ. inhoneſta, forſan ut etiam pſaltriae conſervus fieret. Tam affectus iſta cogitatione Aeſchinus pathetice fratrem corrigit.

2 Ex periculo, quod ſubiturus erat, auget beneficium fratris.

3 Aeſch. hoc dicit Syro; qui itidem illi reſpondet, ut Sannio non audiat. Neque enim dicta audire debuit; cf. mox v. 18 & 19.

4 Haec clarius eloquitur; dein ad Cteſiphonem converſus eſt.

5 Nempe per argentarium pecuniam numerabant, cui pretium ſolvendum erat; ut teſtes eſſent negotii tabulae argentarii: necdum argentum ipſum acceperat Aeſchinus a patre, qui dein reddit. cf. Act. III, 4, 6.

6 Leno timens ſemper iam rogat Syrum, ut inſtet una iter, tanquam patronus. Hinc ille: *eamus;* ſed ludit ſimul comice hominis timores; dein ſecurum eſſe iubet.

C. Heus, heus, Syre [1]. *Sy.* hem, quid eſt? *C.* obſecro hercle te, hominem iſtum impuriſſimum
Quam primum abſolvitote: ne, ſi magis irritatus fiet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
Sy. Non fiet: bono animo es. tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos iube ſterni nobis, et parari cetera [2].
Ego iam tranſacta re convortam me domum cum obſonio.
C. Ita quaeſo: quando hoc bene ſucceſſit, hilarem hunc ſumamus diem.

ACTUS III [3]. *SCENA I.*

SOSTRATA, CANTHARA.

S. OBſecro te, mea nutrix, quid nunc fiet? *C.* quid fiat rogas?

1 Cteſ. patrem timens, revocat quaſi de longinquo Syrum, monetque ut abſolvatur leno.

2 Servus ſatis magnifice ſe admiſcet, cetera imperatorie loquitur ob rem bene geſtam.

3 Cum Actu priori raptio pſaltriae peracta ſit, a qua Aeſchinus ſuſpicionem fraterni amoris in ſe tranſtulerat, inde in vero Aeſchini amore, qui nunc primum

Recte aedepol ſpero. *S.* modo dolores, mea tu, occipiunt primulum [1].
C. Iam nunc times, quaſi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris.
S. Miſeram me [2], neminem habeo, ſolae ſumus: Geta autem hic non adeſt;
Nec quem ad obſtetricem mittam, nec qui [3] arceſſat Aeſchinum.
C. Pol is quidem iam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,

oſtenditur, turbae oriuntur ita, ut hic Actus paene tragicus appareat, totuſque ad miſerationem Phanii, eiuſque matris & familiae, comparatus ſit. Atque uti obſervante Donato, tragoedia in tria dividitur: exſpectationem, geſta, & exitum; ita prima quidem Scena habet exſpectationem, altera & in Getae nuntio geſta, & in planctu Soſtratae exitum. Quomodo autem ex his turbis dein expedietur amor Aeſchini; ita Actus IV natas ex Cteſiphonis amore turbas, quas dabit Demea, habebit. Verſ. 1. incerta Soſtrata minus etiam ſapientem rogat l. potius implorat nutricem; unde illius trepidatio de filia parturiente magis cognoſcitur.

1 Quo initium dolorum diminutive demonſtrari ait Don. cf. infra V, 4, 10. & ſic Plaut. Amph. II, 2, 105 *primulo diluculo*.

2 Muliebriter queritur, & ex metu, quae pauca ſunt, facit multa & graviora.

3 *Nec quem--nec qui*, h. e. *& quem* (Getam) *mittam*, *& qui* &c. non adeſt.

Quia ſemper[1] veniat. *S.* ſolus mearum miſeriarum eſt remedium.
C. E re nata[2] melius fieri haud potuit, quam factum eſt, hera:
Oblatum quando vitium eſt, quod ad illum attinet potiſſimum,
Talem, tali ingenio, atque animo, natum ex tanta familia.
S. Ita pol eſt, ut dicis. ſalvus nobis, deos quaeſo, ut fiet.

ACTUS III. SCENA II[3].

GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

G. NUnc illud eſt[4], quod, ſi omnia omnes ſua conſilia conferant,
Atque huic malo ſalutem quaerant, auxili nihil afferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeque herili eſt[5]. vae miſero mihi!

1 Quod vulgo redundanter additur.

2 Poſtquam res ita caſu ſ. forte facta eſt. Scil. virgo oppreſſa erat noctu & ab ebrio Aeſchino. Ita magis nata erat res, quam facta.

3 *Hic locus* (obſervat Don.) *ſecundum artem comicam ſervum currentem exprimit & nuntiantem mala. Maxima itaque pars ſcenae motoria eſt.*

4 h. e. eo nunc devenimus ſ. delapſi ſumus, ut ſi &c.

5 Oratio haec & ſequens mire exprimit ſervi curren-

Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt [1]:
Vis, egeſtas, iniuſtitia, ſolitudo, infamia.
Hoccine ſeclum? o ſcelera! o genera ſacrilega! o hominem impium!
S. Me miſeram! quidnam eſt, quod ſic video timidum [2] et properantem Getam?
G. Quem neque fides, neque iusiurandum, neque illiu' miſericordia
Repreſſit, neque reflexit, neque quod partus inſtabat prope,
Cui [3] miſerae indigne per vim vitium obtulerat. *S*. non intellego
Satis, quae loquatur [4]. *C*. propius, obſecro, accedamus, Soſtrata [5]. *G*. ah,

tis & anheli πάθος.

1 cf. Andr. III, 3, 30.

2 ſ. perturbatum. Quippe non timet, ſed dolet ea, quae acciderant. Gradatim vero nuntius malus invadit animum Soſtratae, quae praeparatur ſervi currentis timore.

3 Quod referas ad *illiu'* v. 8.

4 Rem ab Aeſchino admiſſam, non eius nomen dixerat ſervus. Hinc quidem ſciri potuit auctor, ſed incredibile videbatur Soſtratae, cui omnis ſpes in Aeſchino ſita erat. Et hic eſt alter gradus, quo vertitur Soſtrata ad metum.

5 Geta paulo ante cohibuerat curſum ad recipiendum ſpiritum, & ſimul doloris cum ira exprimendi cauſa, ſingulorum poenas edicturus. Prae ira vero mirum quantum fortis ſibi videtur ad eas capiendas.

Me miſerum, vix ſum compos animi; ita ardeo iracundia.
Nihil eſt, quod malim, quam illam totam familiam dari mi obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo [1].
Seni animam primum exſtinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus:
Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, et capite pronum in terram ſtatuerem [2],
Ut cerebro diſpergat viam:
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos; poſt haec praecipitem darem:
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et proſternerem [3].

1 Senſus eſt: Satis habebo ſupplicii ſ. ſatis poenae illi mihi dederint, ſi illos ulciſcar modo. Ita vero *dum-modo* conditionale eſt, uti Heaut. III, 1, 57. Dacieria expoſuit, quaſi dixiſſet: Quodvis ſupplicium lubens patiar, dum &c. Sed id repugnat uſui formulae latinae, quem diſcas ex Phorm. V, 8, 40. Plaut. Moſtell. V, 2, 43.

2 Exponas: praecipitem ita vehementer in terram immitterem, (veluti ſtatuam aliquam) ut &c. Pronunciat autem cum geſtu vehementiori, ad ipſas minas apto, unde totus anhelus evadit.

3 Litera R *de nare canina*

Sed ceſſo heram hoc malo impertiri propere [1] ? *S*. revocemus. Geta!
G. Hem, quiſquis es, ſine me. *S*. ego ſum Soſtrata. *G*. ubi es? te ipſam quaerito:
Te exſpecto [2]: oppido opportune te obtuliſti mi obviam,
Hera. *S*. quid eſt? quid trepidas? *G*. hei mihi! *S*. quid feſtinas [3], mi Geta [4]?
Animam recipe. *G*. prorſus... [5] *S*. quid iſtuc prorſus ergo eſt? *G*. periimus:
Actum eſt. *S*. eloquere ergo, obſecro te, quid ſit. *G*. iam... *S*. quid iam, Geta?
G. Aeſchinus... *S*. quid is ergo? *G*. alienus eſt ab noſtra familia. *S*. hei mihi,
Perii, quare? *G*. amare occepit aliam. *S*. vae miſerae mihi [6]!

ſonans (ut ait Perſ. Sat. I, 109) decies in uno verſu repetita, & aſyndeton bene exprimunt furorem ſervi minantis; quod iam obſervavit Weſterh.

1 Iam rurſus iter inſtat.— Et Soſtrata, quae cuncta Getae audiit, vidit, ſed cauſam nondum intellexerat, ſervum appellat miſere, iam ſatis praeparata nuntio.

2 h. l. impatienter cupio.

3 h. l. turbatus es prae metu, ut Eun. IV, 3, 8.

4 Amanter & miſere appellat fidum omnino ſervum.

5 Geta commotus & anhelans continuata verba fundere nequit; ſed intervalla praebet impatientia Soſtratae, anxie rogantis.

6 Soſtrata novo de amore

G. Neque id occulte fert : a lenone ipſus eripuit palam.
S. Satin' hoc certum eſt ? *G.* certum. hiſce oculis egomet vidi, Soſtrata. *S.* ah,
Ah! me miſeram [1]. quid credas iam ? aut cui credas ? noſtrum ne Aeſchinum,
Noſtram vitam omnium, in quo noſtrae ſpes opeſque omnes ſitae
Erant ? qui ſine hac iurabat ſe unum nunquam victurum diem ;
Qui ſe in ſui gremio poſiturum puerum dicebat patris [2] ;
Ita [3] obſecraturum, ut liceret, hanc ſe uxorem ducere ?
G. Hera, lacrumas mitte [4], ac potius, quod ad hanc rem opus eſt, porro conſule.

Aeſchini nuntio gravius afflicta, confecta ſtupet; cf. Andr. II, 1, 3--5. Sic & Heaut. II, 2, 6 primum exclamat *hei mihi*, dein v. 9 *vae miſero mihi, quanta de ſpe decidi.*

1 Ex Getae verbis v. 37 oſtenditur, Soſtratam lacrimis interpellare dicta.

2 Int. Micionis. Moris vero fuiſſe, ut recens nati a patre in gremio avi ponerentur, probat Dacieria ex Hom. Il. IX, 455.

3 h. e. deinde.

4 Servus frugi mireque fidelis, tactus planctu herae, dum monet, ut potius conſulat, diſtrahere eam ſtudet a nimia animi triſtitia. Ipſe vero ancipitem viam oſtendens, proponit, quod deliberetur.

Abi; atque Hegioni cognato eius [1] rem enarrato omnem ordine:
Nam is noſtro Simulo [2] fuit ſummus [3], et nos coluit maxume.
G. Nam hercle alius nemo reſpicit nos. *S.* propera tu, mea Canthara;
Curre, obſtetricem arceſſe, ut, cum opus ſit, ne in mora nobis ſiet.

ACTUS III. SCENA III [4].

DEMEA.

DIſperii: Cteſiphonem audivi filium
Una fuiſſe in raptione cum Aeſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt,

cedis, ut virtus ſola—vitam efficiat beatam. Itaque Geta dicit: Concedo, te melius dicere.

1 int. Phanii, filiae.

2 Graecum nomen: non ut Don. ait, latinum.

3 h. e. amiciſſimus: & nos coluit maxime ſ. curavit, dilexit; unde ſolatium accedit optimae feminae, & ſpes, rem melius actum iri.

4 Statim poſt abitum Soſtratae &c. cum clamore ingreditur Demea, homo non ſeverus modo, ſed & ſaevus; qui cum ſola ſuſpicione, Cteſiphonem participem eſſe raptionis, tantopere commoveatur, quantum ipſo eius amore comperto inſaniturus ſit, praemonſtrat.

Qui alicui rei eſt [1], etiam eum ad nequitiem adducere.
Ubi ego illum quaeram? credo abductum [2] in ganeum
Aliquo. perſuaſit ille impurus [3], ſat ſcio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc ſcibo iam, ubi ſiet.
Atque hercle hic de grege illo eſt: ſi me ſenſerit
Eum quaeritare, nunquam dicet carnufex.
Non oſtendam id me velle...

ACTUS III. SCENA IV [4].

SYRUS, DEMEA.

S. OMnem rem modo ſeni [5],
Quo pacto haberet, enarramus ordine:

1 int. idoneus, homo frugi.

2 Quaſi invitum iiſſe. Excuſat enim ſemper ſuum.

3 Iratus ſic Aeſchinum vocat.

4 Syrus incaute ſe ſcenam ingredi ſimulans, rem ipſam, ut urat Demeam, enarrat, modo eum non nominat, in cuius gratiam haec facta erant. Neque id de ſuo ſuſpicans Demea, dum clamat in fratrem eiuſque familiam, contemnitur tamen, mox palpando, mox irridendo; rudis homo ſibique uni ſapiens, ut in hac ſcena vim comicam omnino non deſideres.

5 int. Micioni.

Nil quidquam vidi laetius [1]. *D.* pro Iuppiter,
Hominis [2] ſtultitiam. *S.* collaudavit filium [3]:
Mihi, qui id dediſſem conſilium, egit gratias.
D. Diſrumpor. *S.* argentum [4] adnumeravit illico:
Dedit praeterea in ſumptum [5] dimidium minae:
Id diſtributum ſane eſt ex ſententia [6]. *D.* hem,
Huic mandes, ſi quid recte curatum velis [7].
S. Ehem Demea, haud aſpexeram te [8]: quid agitur?
D. Quid agatur? voſtram nequeo mirari ſatis
Rationem. *S.* eſt hercle inepta, ne dicam dolo [9],

1 Ob id, quod res non tangat ſuum filium, ſed fratris, Cteſiphonem; illum, quem ipſe pater Demea ſupra I, 2, 15 ut Aeſchino meliorem laudaverat, quod rei operam daret, parcus eſſet ac ſobrius. Atque nunc iam rei, ſcil. amori, operam dat.

2 Indignatur fratrem, tamquam Aeſchini flagitiis laetum.

3 int. Aeſchinum, φιλάδελφον, qui fratris cauſa id fecerat, ut maius malum averteret.

4 Viginti minas, pro tibicina argentario reddendas.

5 h. unde lautius viveremus. cf. Cic. ad fam. IX, 20, 5 *habere in ſumptum*; ad Attic. VIII, 5 extr.

6 Scil. in ſingulos lautiores cibos.

7 Cf. Phorm. IV, 4, 8 & Plaut. Aſin. I, 1, 107.

8 Viſo Demea perculſum ſe ſimulans, mox ludit ſenem agreſtem.

9 h. e. ne mentiar. Sed hoc ipſum tamen dolo dicit. Aſſentatione autem orationem, quam ſenex habere potuit, praetereundo repetit. Tum reverſus ad conſervos, ſenem parum curans iubet,

Atque abſurda. piſces ceteros purga, Dromo:
Congrum iſtum maxumum in aqua ſinito ludere
Tantiſper: ubi ego rediero, exoſſabitur:
Prius nolo. *D.* haeccine flagitia? *S.* mihi quidem non placent [1]:
Et clamo ſaepe. ſalſamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *D.* di voſtram fidem [2]!
Utrum ſtudione id ſibi habet, an laudi putat
Fore, ſi perdiderit gnatum [3]? vae miſero mihi;
Videre videor iam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. *S.* o Demea,
Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quae futura ſunt,
Proſpicere [4]. *D.* quid? iſtaec iam penes vos pſaltria eſt?

quae ad lautitiam pertineant.

1 Denuo quidem ſic aſſentatur Syrus, ſed & mox faſtidioſe rurſus ad conſervos, his porro praecipit in ſpeciem, quae agant.

2 Iracundiam, quam Syr. de induſtria ludi cauſa auxerat, tandem expromens, maledicendo cuncta pro agreſti ſuo ingenio auget; idque gaudet Syrus.

3 Putat ille Aeſchinum; quid ſi iam ſciſſet, Cteſiphonis cauſa haec fieri omnia?

4 Vide, quam ridendum praebeat ſenem ſententioſus ille carnufex, & ſimul palpando rudem decipiat. Captus vero mox Demea varia ſciſcere cupit ex Syro, tamquam qui cum ipſo faceret.

S. Ellam intus. *D.* eho [1], an domi eſt habiturus? *S.* credo, ut eſt
Dementia. *D.* haeccine fieri? *S.* inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. *D.* fratris me quidem
Pudet, pigetque. *S.* [2] nimium inter vos, Demea, ac
Non, quia ades praeſens, dico, hoc pernimium intereſt.
Tu, quantus quantus, nil niſi ſapientia [3] es;
Ille ſomnium. ſineres vero tu illum tuum
Facere haec [4]? *D.* ſinerem illum [5]? aut non ſex totis menſibus
Prius olfeciſſem [6], quam ille quidquam coeperit?
S. Vigilantiam tuam tu mihi [7]? *D.* ſic ſit modo

1 *Eho* eſt interiectio cum geſtu quaerentis arcana. Sed Demea etiam, ſcire cupiens, ubi Cteſ. iam ſit, haec & alia rogat, antequam tandem eum roget id, quod primum in animo habuerat.

2 Syrus riſor ita adulatur ſeni, ut hunc plane ſpectatoribus deridendum propinet. Atque is iracundus nihil videt veri.

3 Abſtractum hoc (quomodo mox *ſomnium* fortius dicitur, quam *ſomniculoſus*) totaque oratio Syri hyperbolica eandem vim habet, ac ſi ſtultiſſimum dixiſſet. Sed Dem. ſolus captus eſt.

4 Iam irrumpit plane adulatio. Senſum vero ſenis pulchre callet Syrus; cf. infra IV, 1, 17 ſq.

5 Captus eſt; habet.

6 Haud certe in hac re urbanum verbum, aptum eſt agreſti homini.

7 int. qui eam optime novi, narras? Sic. Hec. V, 4, 22 *Tune mihi iſtuc?*

Ut nunc eſt, quaeſo [1]. *S.* ut quiſque ſuum volt eſſe, ita eſt [2].
D. Quid? eum vidiſtin' hodie [3]? *S.* tuumne filium [4]?
(Abigam hunc rus [5]) iam dudum aliquid ruri agere arbitror.
D. Satin' ſcis ibi eſſe? *S.* oh, quem egomet produxi. *D.* optume eſt.
Metui, ne haereret hic [6]. *S.* atque iratum admodum.
D. Quid autem? *S.* adortus iurgio eſt fratrem apud forum
De pſaltria hac. *D.* ain' vero? *S.* vah [7], nil reticuit:
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviſo, coepit clamare: *o Aeſchine,*
Haeccine flagitia facere te? haec te admittere
Indigna genere noſtro? *D.* oh, lacrumo gaudio [8].
S. *Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.*

1 Ridet ſpectator votum Demeae, qui ſolus neſcit, ut nunc eſt Cteſipho.

2 Sententia alias probabilis pro perſona h. l. eſt ridicula. Don.

3 Nunc tandem ſciſcit, quod voluerat.

4 Moram quaerit interrogando Syrus, cogitans, quomodo ſenem abigat.

5 Quae uncinis incluſa ſecum loquitur Syrus.

6 Cf. ſupra ſc. III, 5. Simplex homo ſeſe aperit magis dolis.

7 Quam ſcite mentitur narratque Syrus, ut imponat ſeni!

8 Te lacrimantem gaudio quis non rideat? Infra Syrus IV, 1, 20 ſq. hoc narrat

D. Salvos ſit: ſpero, eſt ſimilis maiorum ſuum. *S*. hui.

D. Syre, praeceptorum plenus iſtorum ille. *S*. phy,

Domi habuit, unde diſceret. *D*. fit ſedulo [1]:

Nihil praetermitto: conſuefacio: denique

Inſpicere, tamquam in ſpeculum [2], in vitas omnium

Iubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.

Hoc facito. *S*. recte ſane [3]. *D*. *hoc fugito*. *S*. callide.

lio -- *Virtutes -- narro -- tuas. homini illico lacrumae cadunt quaſi puero, gaudio.*

1 Demea falſis laudibus a Syro riſore deceptus eo tandem devenit, ut ſe ipſe laudet, tamquam virtutis magiſtrum, rationemque diſciplinae ſuae efferat. In ea autem, tamquam in ſpeculo, intueri licet, non ſapientem aliquem, aut praeceptorem, ſed rudem & agreſtem hominem, qui velut unus de vulgo, non *philoſophice* (ut ait Don.) ſed *civiliter* moneat, ſcil. exemplis, non praeceptis. Eundem in modum ſe a patre ſuo doctum facit Hor. Serm. I, 4, 105--118, quem lege.

2 Aberrat comicus praeceptor a vera vi vocis & uſu. Ex ſpeculo cernimus, quales ipſi ſimus; ut ſi quid dedeceat in vultu & habitu, emendemus. Atque inde quod, qui in aliis, quidquid delinquitur, magis cernunt, facilius ſic corriguntur, haud ſubtiliter Demea vitas aliorum tamquam ſpeculum eſſe dicit; cf. Cic. de off. I, 41, 2.

3 Singula Demeae dicta Syrus ridicule approbat, tamquam praecepta ſapientiae.

D. Hoc laudi eſt. S. iſtaec res eſt. *D. hoc vitio datur.*
S. Probiſſume. *D.* porro autem... [1] S. non hercle otium eſt
Nunc mi auſcultandi : piſces ex ſententia
Nactus ſum : hi mihi ne corrumpantur, cautio eſt.
Nam id nobis tam flagitium [2] eſt, quam illa, o Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti : et quod queo,
Conſervis ad eundem iſtunc praecipio modum :
Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parum ;
Illud recte, iterum ſic memento : ſedulo
Moneo, quae poſſum pro mea ſapientia [3] :
Poſtremo, tamquam in ſpeculum, in patinas [4], Demea,

1 Demea, obſervante Donato, prope delinitus erat contra inſtitutum argumentum, novamque orationem coeptabat. Itaque artificioſe poeta ſubiecit ex perſona Syri, unde illum ad amaritudinem revocet. Syrus vero ex culina ſimile repetit, in quo, ſingula ſenis imitando, eius ſapientiam deridiculam det.

2 Qua voce Demea iracundus ſemper abutitur ad quaevis peccata deſignanda.

3 Erat ea coqui ſapientia, cuius eſt, condimentum guſtu ac ſapore temperare. Recte id monuit Don. neque Weſterh. id ſpernendo quidquam ſapit.

4 Ridiculi cauſa pariter

Inſpicere iubeo, et moneo, quid facto uſus ſit [1].
Inepta haec eſſe, nos quae facimus, ſentio:
Verum quid facias? ut homo eſt, ita morem geras.
Numquid vis? *D.* mentem vobis meliorem dari [2].
S. Tu rus hinc ibis? *D.* recte. *S.* nam quid tu hic agas,
Ubi, ſi quid bene praecipias, nemo obtemperet [3]?
D. Ego vero hinc abeo, quando is, quam ob rem [4] huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet:
Quando ita volt frater, de iſtoc ipſe viderit.
Sed quis illic eſt, quem video procul [5]? eſtne Hegio

Syrus ſpeculo adſimulat patinas.

1 Hactenus μιμησις Syri. Nunc iam is concludit, ſimulate & vultuoſe vituperando, quae agantur in domo Micionis, ad cuius ingenium tota familia ſe conformare debeat.

2 Demea fere ad ingenium rediens, pulchre, ſed ſatis dure reſpondet.

3 Addidit haec Syrus, ut ſenem abigeret; & ipſe peracto iam ſatis ludo diſcedit.

4 Scil. ut mecum rus abiret. Neque placet cum Don. exponere *propter quem.*

5 Opportune advenit Hegio, cognatus Phanii, a Soſtrata vocatus, idemque olim Demeae familiaris, ne abeat Demea, propter reliquam fabulae partem, & ſimul, quo eius, qui iam paene mitis factus erat, denuo provocetur iracundia.

Tribulis noſter ? ſi ſatis cerno, is hercle, vah!
Homo amicus nobis iam inde a puero. di boni,
[1] Nae illiusmodi iam magna nobis civium
Penuria eſt. homo antiqua virtute ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc ſit publice.
Quam gaudeo [2]! ubi etiam huius generis reliquias
Reſtare video, vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut ſalutem, et conloquar.

ACTUS III. SCENA V [3].

HEGIO, GETA, DEMEA, PAMPHILA.

H. PRo di immortales, facinus indignum, Geta,
Quod narras! *G.* ſic eſt factum. *H.* ex illan' familia
Tam illiberale facinus eſſe ortum? o Aeſchine!
Pol haud paternum iſtuc dediſti. *D.* videlicet
De pſaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is [4] nihili pendit: hei mihi!
Utinam hic prope adeſſet alicubi, atque audiret haec!

1 Magna ineſt in ſqq. commendatio viri ad fidem poſtulationi faciundam.

2 int. optimum virum, eumque amicum, tamdiu non viſum, habere obvium.

3 Haec ſcena (inquit Don.) fidem amici erga defunctum, maturitatem ſenilis orationis, & accuſationem eius, quem laedere nolit ipſe accuſator, continet.

4 int. Micio.

[1] Ille bonus vir nobis pſaltriam, ſi diis placet [2],
Paravit, quicum vivat, illam deſerat.
D. Pro certon' tu iſtaec dicis [3]? *H.* mater virginis
In medio eſt [4], ipſa virgo, res ipſa: hic Geta
Praeterea, ut captus eſt ſervorum [5], non malus,
Neque iners, alit illas, ſolus omnem familiam
Suſtentat. hunc abduce, vinci, quaere rem [6].
G. Immo hercle extorque [7], niſi ita factum eſt, Demea:
Poſtremo non negabit: coram ipſum cedo [8].
D. [9] Pudet: nec, quid agam, neque quid huic reſpondeam,

1 Concludit narrationem indicando id, quod graviſſimum erat, ironia indignationis plena.

2 Formula inſerviens ironiae & indignationi.

3 Quaeſtio Demeae tantum facit ad confirmationem.

4 h. e. adeſt, quae fidem dictis certiſſimam faciat.

5 Additur in laudem eorum, qui inter ſuae ſortis homines praeſtant; cf. Caeſ. B. G. IV, 3. Vulgo autem ſervorum ingenia male audiunt. Mox *malus* refertur ad animum, *iners* ad mentem.

6 Quaerebantur ſervi etiam tormentis.

7 int. verum. Uſque ſe offert ſervus probus.

8 h. e. ſiſte eum praeſentem. Certiſſimum argumentum rei, quam quis negare non audeat. Neque ſic opus ceteris.

9 Seorſim hoc dicit perturbatus Demea.

Scio. *P.* miſeram me! differor doloribus [1].
Iuno Lucina, fer opem: ſerva me, obſecro. *H.*
hem!
Numnam illa quaeſo parturit? *G.* certe, Hegio.
H. hem!
Illaec fidem nunc voſtram implorat, Demea [2]:
Quod vos ius [3] cogit, id voluntate impetret.
Haec primum ut fiant, deos quaeſo, ut vobis
decet [4].
Sin aliter animus veſter eſt [5], ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum [6].
Cognatus mihi erat: una a pueris parvolis
Sumus educti: una ſemper militiae et domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem [7].
Quapropter nitar, faciam, experiar: denique
Animam relinquam potius, quam illas deſeram.

1 Intus clamat Pamphila, & ſic res ipſa iam loquitur partem veri, & ſimul permovet.

2 Opportune tranſit ad perorationem, & aequiſſimam, & fortem.

3 h. e. ipſae leges, quibus ius continetur.

4 Sic dativo iungitur ſine verbo; cf. V, 6, 5. Pl. Amph. II, 2, 188. Capt. II, 2, 71.

5 Scil. quod virgo pauper ſit.

6 *Mortuorum manes*, inquit Mart. Cap. 2, *ſi vitae prioris adiuti fuerint honeſtate, in Lares domorum—vertuntur.* Ita & mortuus ab eadem iniuria defendebatur, a qua filiae vita.

7 Miſeriae, dum aequo animo una tolerantur, coniungunt animos, bonoſque efficiunt; felicitate corrumpimur.

Quid mihi reſpondes [1] ? *D*. fratrem conveniam, Hegio.
H. [2] Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillume agitis [3], quam eſtis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxume vos aequo animo aequa noſcere [4]
Oportet, ſi vos voltis perhiberi probos.
D. Redito [5]: fient, quae fieri aequom eſt, omnia.
H. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Soſtratam.
D. Non me indicente [6] haec fiunt: utinam hoc ſit modo
Defunctum [7]: verum nimia illaec licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.

1 Reſpondetur accuſanti.

2 Bene addit hoc monitum, quo magis Demea rei intentus, quam Micio, quem omnes norant humanum hominem, & aequum virum.

3 h. e. ſine labore vivitis.

4 h. e. aequos eſſe.

5 Iam abeunti Hegioni hoc dicit.

6 h. e. non dicente, ut ap. Liv. XXII, 39. Sic Phorm. V, 9, 57 *indictum* pro *non dictum;* & in vulgus nota eſt eſt formula, *indicta cauſa damnare*. Multum autem clamaverat, & pro ſuo more gravius dixerat ſupra I, 2, ubi vid. v. 59 ſq.

7 Paſſive pro *ſuperatum*, *finitum;* ut ap. Liv. II, 35 *Sed adeo infenſa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum eſſet patribus.* cf. Phorm. V, 10, 32. ſq.

Ibo, requiram fratrem [1], ut in eum haec evomam [2].

ACTUS III. SCENA VI.

HEGIO.

[3] BOno animo fac ſis, Soſtrata, et iſtam, quod potes,
Fac conſolere. ego Micionem, ſi apud forum eſt,
Conveniam, atque, ut res geſta eſt, narrabo ordine.
Si eſt, facturus ut ſit officium ſuum,
Faciat: ſin aliter de hac re eſt eius ſententia,
Reſpondeat mi, ut, quid agam, quam primum ſciam.

1 Scil. apud forum, uti & mox Hegio.

2 Vide hominem, qui fratrem convenire cupit non tam, ut cum eo conſulat de re ex aequo finienda, quam ut iram recens auctam evomat. Sed ita eſt homo.

3 Hegio feſtinantius agens, quae ſuſceperat, breviſſime ap. Soſtratam moratur, inſtante partu; & ab ea rediens haec ei, quae intus eſt, de Scena clamat. Ceterum Don. notat, hos ſex verſus in quibuſdam libris non ferri; quos quis non ferat?

ACTUS IV[1]. *SCENA I*[2].

CTESIPHO, SYRUS.

C. AIn' patrem hinc abiiſſe rus ? *S.* iam dudum. C. dic ſodes. *S.* apud
Villam eſt. nunc cum maxume operis aliquid facere. credo [3]. C. utinam quidem [4] !
Quod cum ſalute eius fiat, ita ſe defatigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorſum e lecto nequeat ſurgere.

1 Turbae creſcent ab amore Cteſiphonis iam magis periclitante ob patris Demeae remanſionem, moxque abolendam ſuſpicionem amoris, quam Aeſchinus a fratre in ſe tranſtulerat, ſollicitus iam iam de rebus ſuis inde turbatis. Facile vero iſtae tranſiguntur inter bonos viros, Heg. ac Micionem, qui ut aliquam poenam ob diſſimulatum amorem Pamph. a filio habeat, hunc ſimulatione ludit, anxiumque reddit, tandem omni metu liberat, & ſibi magis devincit. Sed tum redit in Scenam iratior Demea, ut maledictis fratrem oneret; a quo luſus, forte eo deveniet, ut ſuſpicetur, raptionem factam eſſe Cteſiphonis ſui cauſa.

2 Sc. I oſtendit Cteſiphonem (amatorem) timentem a patre, & ſimul ſimplicem; qualem ex ſeveriori rudis patris diſciplina eſſe eum neceſſe fuit.

3 Fallitur Syrus opinione. Neque enim is longe aberit.

4 int. id ſit. Al. vero 7. *utinam* coniungunt cum *velim*, & hoc *πλεονάζειν* volunt, quod abſque exemplo eſt. Nos cum Don. facimus.

S. Ita fiat [1] (et iſtoc, ſi quid potis eſt, rectius). *C.* ita! nam hunc diem
Miſere nimis, ut coepi, cupio perpetuum in laetitia degere:
Et illud rus nulla alia cauſſa tam male odi, niſi quia
Prope eſt: quod ſi abeſſet longius, prius
Nox oppreſſiſſet illic, quam huc revortier poſſet iterum [2].
Nunc, ubi me illic non videbit, iam huc recurret, ſat ſcio:
Rogitabit me, ubi fuerim: quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? *S.* nihilne in mentem [3]? *C.* nunquam quidquam. *S.* tanto nequior.
Cliens, amicus, hoſpes nemo eſt vobis? *C.* ſunt. quid poſtea?
S. Hiſce opera ut data ſit. *C.* quae non data ſit? non poteſt fieri [4]. *S.* poteſt.
C. Interdiu: ſed ſi hic pernocto, cauſae quid dicam, Syre?

1 Ambigua vox ſervi, quam Cteſ. accipit conditioni conſentaneam. Sed is pro malitia ſua, ut etiam peius quid accidat ſeni, exoptat. Neque verba *& iſtoc —rectius* audita Cteſiphoni cenſemus.

2 *Revorti iterum* pleonaſtice dicitur & Virg. Aen. VI, 720, ut noſtro *rurſus redire* ſupra I, 1, 46. infra IV, 2, 40. Eun. IV, 2, 6.

3 int. venit.

4 Simplex ingenium prae ſe fert.

S. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari [1].
Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem, reddo. C. quo modo?
S. Laudarier te audit libenter [2]: facio te apud illum deum [3]:
Virtutes narro [4]. *C.* meas? *S.* tuas. homini illico lacrumae cadunt,
Quaſi puero, gaudio. hem tibi autem. C. quidnam eſt? *S.* lupus in fabula [5].
C. Pater ne? *S.* is ipſus. *C.* Syre, quid agimus? *S.* fuge modo intro: ego videro.
C. Si quid rogabit, nuſquam tu me [6]: audiſtin'? *S.* potin' ut deſinas?

ACTUS IV. SCENA II [7].

DEMEA, CTESIPHO, SYRUS.

D. NAe ego ſum infelix! primum fratrem nuſquam invenio gentium:

1 Facetus ſemper eſt Syrus; cf. Heaut. V, 1, 38.

2 Hoc plerique omnes parentes ſibi dictum habeant.

3 h. e. ſummis laudibus effero, ut ſingularem virtutibus.

4 Cf. ſupra III, 3.

5 Adagium, in quo ineſt ſilentii indictio. vid. Ind.

6 Scil. vidiſſe reſpondeas. Ellipſis properanti apta.

7 Rudis, ſimplex, timiduſque adoleſceas, quem fu-

Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat eſſe ruri: nec, quid agam, ſcio.
C. Syre. *S.* quid eſt? *C.* men' quaerit? *S.* verum [1]. *C.* perii. *S.* quin tu animo bono es.
D. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo ſatis decernere:
Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſeriis.
Primus ſentio mala noſtra: primus reſciſco omnia:
Primus porro obnuntio: aegre ſolus, ſi quid fit, fero.
S. Rideo hunc: primum ait ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia.
D. Nunc redeo: ſi forte frater redierit, viſo. [2]. *C.* Syre
Obſecro, vide ne ille huc prorſus ſe irruat. *S.* etiam taces?

gere intro iuſſerat ſervus, reſtat in ipſo aditu forium, iterum obſecraturus Syrum, ut caveat, ne pater irruat. Syr. vero prope illas ſtans opperitur adventum ſenis, qui denuo, & iam magis iure ſuo querens ſcenam ingreditur.

1 *Verum* adv. affirmantis.

2 Qua voce audita Cteſ. miſere exterritus rurſus implorat Syrum; ſed quod prius facere potuit, fuga ſibi conſulere, tutiſſimum ratus,

Ego cavebo. *C.* nunquam hercle hodie ego iſtuc committam tibi.
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam : id tutiſſimum eſt.
S. Age, tamen ego hunc amovebo. *D.* ſed eccum ſceleratum Syrum.

ACTUS IV. SCENA III[1].

SYRUS, DEMEA.

S. NOn hercle hic quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt.
Scire equidem volo, quot mihi ſint domini. quae haec eſt miſeria?
D. Quid ille gannit[2]? quid volt? quid ais, bone vir? eſt frater domi?
S. Quid, malum! *bone vir*[3], mihi narras? equidem perii. *D.* quid tibi eſt?

1 Syrus poſt fugam Cteſiphonis, & nunc primum viſus a ſene, a foribus in ſcenam progrediens, quaſi non videat Demeam, mira arte ſimulat ſe verberatum, fugereque cupientem, ut nova ratione acceptum mitiget Demeam, qui Syri clamores contra Cteſiphonem, in huius laudem accipiet. Tandem vero mendaciis ſuis non tam amovet, quam praecipitat ſenem.

2 *Gannire* proprie vulpium eſt.

3 Indignationem ſimulans repetit cum μιμήσει illud *bone vir*.

S. Rogitas? Cteſipho me pugnis miſerum, et iſtam pſaltriam
Uſque occidit [1]. *D.* hem, quid narras? *S.* hem, vide, ut diſcidit labrum [2].
D. Quamobrem? *S.* me impulſore hanc emptam eſſe ait. *D.* non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas [3]? *S.* factum: verum venit poſt inſaniens:
Nihil pepercit. non puduiſſe verberare hominem ſenem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis?
D. Laudo, Cteſipho; patriſſas: abi, virum te iudico [4].
S. Laudas? nae ille continebit poſthac, ſi ſapiet, manus.
D. Fortiter. *S.* perquam: quia miſeram mulierem, et me ſervolum,

1 Supra III, 4, 41 Cteſiphonem in foro fratrem iurgio adortum finxerat. Coeptum mendacium nunc continuat, auget.

2 Oſtendit ſeni, parum proſpicienti, labrum digitis ita compreſſum, ut in duas partes ſciſſum videretur.

3 Demea, memor dicti a Syro ſupra III, 4, 39 cautus videtur, neque tamen minus falletur ab aſtuto ſervo.

4 Non modo fraude ſervi, ſed & caeco amore, quo in filium, ut patris ſimilem & ab ipſo educatum, fertur, mire deluſus oſtenditur ſenex.

Qui referire non audebam, vicit. hui, perfortiter [1]
D. Non potuit melius: idem, quod ego, ſenſit, te eſſe huic rei caput.
Sed eſtne frater intus? *S.* non eſt [2]. *D.* ubi illum quaeram, cogito.
S. Scio ubi ſit, verum hodie nunquam monſtrabo [3]. *D.* hem! quid ais? *S.* ita.
D. Diminuetur tibi quidem iam cerebrum. *S.* at nomen neſcio
Illius hominis, ſed locum novi ubi ſit. *D.* dic ergo locum.
S. Noſtin' porticum apud macellum hac deorſum? *D.* quidni noverim?
S. Praeterito hac recta platea ſurſus: ubi eo veneris,
Clivus deorſum vorſus eſt: hac praecipitato. poſtea
Eſt ad hanc manum [4] ſacellum: ibi angiportum propter eſt.
D. Quonam? *S.* illic, ubi etiam caprificus magna eſt. *D.* novi. *S.* hac pergito.

1 Ironia quaſi indignantis, cum ſervili geſtu.

2 Iam ne irruat ſe ſenex in aedes fratris, oſtendet Syrus, quam callidus ſit & expromptus ad fraudes & mendacia.

3 Vide, quam aſtute ſenem avidiorem ſua tergiverſatione faciat, ut is hoc magis credat, faciliuſque fallatur.

4 Perplexum faciebat ſignum; inde rogat Demea.

D. Id quidem angiportum non eſt pervium [1] *S.* verum hercle; vah!
Cenſen' hominem me eſſe? erravi. in porticum rurſum redi:
Sane hac multo propius ibis, et minor eſt erratio [2].
Scin' Cratini huius ditis aedes? *D.* ſcio. *S.* ubi eas praeterieris,
Ad ſiniſtram hac recta platea; ubi ad Dianae [3] veneris,
Ito ad dextram: prius, quam ad portam venias; apud ipſum lacum
Eſt piſtrilla, et exadvorſum eſt fabrica: ibi eſt. *D.* quid ibi facit?
S. Lectulos in ſole [4] ilignis pedibus faciundos dedit.

1 Mira arte poeta inducit ſenem non plane improvidum; & ſervum ad errorem fatendum paratiorem, ut ſic ſibi opinionem ſimplicitatis conciliet ad fallendum magis; idque vidit Don. Comice ſimul orditur iterum monſtrationem.

2 Vide, quam ſe tegat artifex.

3 int. aedem. Ellipſis ſolennis.

4 h. e. in quibus accubarent convivantes in ſolario ſ. ea parte domus, quae ſoli & aurae patebat. Bene vero *ilignos* dicit, quales nondum habuerit Micio; & ut ab adiunctis fidem faceret mendacio.

D. Ubi potetis vos? bene ſane. ſed ceſſo ad eum pergere?

S. I ſane: ego te exercebo [1] hodie, ut dignus es, ſilicernium.

Aeſchinus odioſe ceſſat [2]: prandium corrumpitur: 33

Cteſipho autem in amore eſt totus. ego iam proſpiciam mihi:

Nam iam adibo, atque unum quodque, quod quidem erit belliſſimum [3],

Carpam, et cyathos ſorbillans paulatim hunc producam diem [4].

ACTUS IV. SCENA IV [5].

MICIO, HEGIO.

M. EGo in hac re nil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.

1 h. e. curſuram docebo. cf. Plaut. Trin. IV, 3, 8.

2 Neque tamen ceſſator Aeſch. non ſollicitus nunc maxume eſt; quod ab amore ſuo patri aperiendo ceſſaverat. cf. Sc. 5, 21.

3 Cuiuſmodi ad irritandam gulam cibi *bellaria* dicuntur.

4 Lautis utitur verbis de prandio lauto, *belliſſimum — carpere — ſorbillando paulatim producere* (h. e. conſumere) *diem*.

5 Scena oſtendit duos ſe-

Meum officium facio : quod peccatum a nobis ortum eſt, corrigo :
Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam ultro, ſi, quam fecere ipſi, expoſtules :
Et ultro accuſant. id quia non eſt a me factum, agis ne gratias?
H. Ah, minime : nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quaeſo, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque iſtaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri,
Suſpicionem hanc propter fratrem eſſe, eius eſſe illam pſaltriam.
M. Si ita aequom cenſes, aut ita opus eſt facto, eamus. *H.* bene facis :
Nam et illi animum iam rellevabis, quae dolore, ac miſeria
Tabeſcit, et tu officio fueris functus. ſed ſi aliter putas,
Egomet narrabo quae mihi dixti. *M.* immo ego ibo. *H.* bene facis :

nes honeſtos, alterum humanum, alterum bonum; inter quos facile convenit de peccato Aeſchini corrigendo; plenaque eſt ſententiarum, in quibus ineſt officii demonſtratio.

Omnes, quibus res ſunt minus ſecundae, magis ſunt neſcio quo modo
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter ſuam impotentiam [1], ſe ſemper credunt laedier.
Quapropter te ipſum purgare ipſi coram, placabilius eſt.
M. Et recte, et verum dicis. *H.* ſequere me ergo hac intro. *M.* maxume.

ACTUS IV. SCENA V [2].

AESCHINUS.

Diſcrucior animi. hoccine de improviſo mali mihi obiici
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam, certum ſiet?
Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtupuit: pectore
Conſiſtere nihil conſili quidquam poteſt. Vah! quomodo

1 Res minus ſecundae *impotentia* lenius dicuntur, quam *paupertas* & *inopia.* Sed quae iis accidunt a potentibus, graviora ducunt.

2 Aeſch. oſtenditur pro ingenii bonitate maxime ſollicitus de ſuo amore ob turbam, quam faciebat pſaltriae raptio, indeque orta ſuſpicio. Trepidus tandem accedit ad fores Soſtratae, ſe ipſum purgaturus, ſed a patre, redeunte ex ipſis aedibus, excipitur.

Me ex hac expediam turba tanta ? tanta nunc ſuſpicio
De me incidit, neque ea immerito. Soſtrata credit, mihi
Me pſaltriam hanc emiſſe : id anus [1] fecit indicium mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obſtetricem miſſa erat, ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito [2], Pamphila, quid agat : iam partus adſiet :
Eone obſtetricem arceſſat. illa exclamat [3], *abi, abi iam, Aeſchine.*
Satis diu dediſti verba : ſat adhuc tua nos fruſtrata eſt fides.
Hem, quid iſtuc obſecro, inquam, eſt [4]? *valeas* [5], *habeas illam* [6], *quae placet.*
Senſi illico id illas ſuſpicari : ſed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam [7].

1 Canthara illa, quam Soſtrata III, 2 extr. iuſſerat arceſſere obſtetricem.

2 Scil. amore impulſus vero, ſtudioſe de ſua quaerit.

3 Non reſpondet, ſed exclamat; eiuſque clamorem triſtis reddit Aeſchinus.

4 Perculſus ſubito haec per interiectionem rogat.

5 Anus, quaſi eum fugiens reſpondet.

6 Pſaltriam innuit.

7 Etiam in ipſa turba animum in fratrem huiuſque curam non dimittit;

Nunc quid faciam [1]? dicam ne fratris eſſe hanc? quod minime eſt opus
Uſquam efferri [2]. iam mitto [3]: fieri potis eſt, ut ne qua exeat.
Ipſum id [4] metuo, ut credant: tot concurrunt veriſimilia:
Egomet rapui: ipſe egomet ſolvi argentum: ad me abducta eſt domum.
Haec adeo mea culpa fateor fieri [5], non me hanc rem patri,
Ut erat geſta, indicaſſe: exoraſſem ut eam ducerem.
Ceſſatum eſt uſque adhuc: nunc porro, Aeſchine, expergiſcere [6]:
Nunc hoc primum eſt [7]: ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores:

unde haec fabula vere dicta *Adelphi*, a φιλαδελφια, credimus Aeſchini.

1 Iam dubitans ſecum conſultat, quid faciat.

2 Refutat conſilium dicendi illis, pſaltriam eſſe fratris; quaſi dixiſſet ſibi, *nihil eſt*, ut Syrus dubitans ſecum Heaut. III, 6, 9. Vide, quam luctetur cum amore in ſuam amor in fratrem.

3 int. dubitationem.

4 Scil. fratris eſſe hanc.

5 Iam ſe ad certam animi ſententiam ipſe movet.

6 Qui adhuc ſomniculoſe & negligenter egiſti, intentior iam ſis ad agendum, ne & illam & vitam perdas.

7 Alterum, quod aget, ut patri omnia aperiat, eumque exoret. Sed in hoc a

Perii; horreſco ſemper, ubi pultare haſce occipio miſer [1].
Heus, heus: Aeſchinus ego ſum; aperite aliquis actutum oſtium.
Prodit neſcio quis, concedam huc.

ACTUS IV. SCENA VI [2].

MICIO, AESCHINUS.

M. ITa, uti dixi, Soſtrata,
Facite [3]: ego Aeſchinum conveniam, ut, quomodo acta haec ſunt, ſciat.

patre praevenitur.

1 Quam horret iam amator ante fores ſuae, qui tam fortiter agebat in raptione. Scil. fortis eſt & humanus.

2 Scena haec oſtendit liberalem animum & patris Micionis, regreſſi a Soſtrata, & filii ad eundem tendentis. Ille primum ſat habet, filium ob celatum amorem, indeque natas turbas punire, dum eum ludit brevi errore, & ſimul eius animum in hac re explorat; tum paterno affectu eum monet, erigit. Filius primum pudoris plenus, dein a patre luſus, mire de ſuo amore angitur, & cum patre ita diſputat, ut honeſtum animum prodat; tandem ab eo laetiora edoctus exemplo eſt, quo animo filii in parentes bonos eſſe debeant. Inde fructum curarum ſuarum habet Micio.

3 Iubet, ut ſecurae ſint, (quod certe Micione dignum) l. nuptias adornent. Don.

Sed quis oſtium hoc pultavit? *Ae.* pater hercle eſt: perii [1]! *M.* Aeſchine.
Ae. Quid huic hic negoti eſt? *M.* tune has pepuliſti fores? [2] tacet.
Cur hunc aliquantiſper non ludo? melius eſt [3]:
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipſe voluit credere.
Nil mihi reſpondes? *Ae.* non equidem iſtas, quod ſciam [4].
M. Ita? nam mirabar, quid hic negoti eſſet tibi.
Erubuit [5]: ſalva res eſt [6]. *Ae.* dic ſodes, pater,
Tibi vero quid iſtic eſt rei? *M.* nihil mihi quidem [7].

1 Novitate rei, ſc. quod pater a Soſtrata egrediens ipſi oſtenditur, perculſus exclamat.

2 Verba huius & ſq. verſ. ſecum dicit Micio, partes ſic primas huius Scenae oſtendens. Tacet autem Aeſch. non tam timore, quam pudore.

3 Quod ſic locus erit corrigendi filii. Bonus eſt pater.

4 Vide, quam perturbatus ſit Aeſchinus.

5 Primum, ſed ambiguum ſignum pudoris *tacet;* alterum certius *erubuit.*

6 h. e. nondum mihi in eo periit fructus diſciplinae meae, gaudium, quod mihi in eo unum eſt; cf. ſupra I, 1, 24. Affectum patris inſignem in eo vidit Don. cf. ſupra Eun. II, 2, 37. & quem locum Weſterh. excitat *Euge, ſalva res eſt, praeda haec perpetua eſt mea.* Adde Feſtum de proverbio: *Salva res eſt, ſaltat ſenex.*

7 h. e. nihil, quod ad me

[1] Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum ſibi. *Ae.* quid? *M.* ego dicam tibi.
Habitant hic quaedam mulieres pauperculae [2]:
Opinor has non noſſe te, et certo ſcio:
Neque enim diu huc commigrarunt. *Ae.* quid tum poſtea [3]?
M. Virgo eſt cum matre. *Ae.* perge. *M.* haec virgo orba eſt patre:
Hic meus amicus illi genere eſt proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. *Ae.* perii [4]. *M.* quid eſt?
Ae. Nil: recte: perge. *M.* is venit, ut ſecum avehat:
Nam habitat Mileti. *Ae.* hem! virginem ut ſecum avehat?
M. Sic eſt. *Ae.* Miletum uſque, obſecro? *M.* ita. *Ae.* animo male eſt [5].

pertineat. Sed &c.

1 Iam fingere incipit. Bene autem ſimulat, negotium eſſe alienum.

2 Obſcuras eas facit & pauperes; an ut filius credat, parum ſibi auxilii fore a patre ad nuptias, atque ſic ei obiiciantur curae paulatim?

3 Anxie quaerit filius amator: & creſcit cura, perinde ut commenta ipſum propius tangunt.

4 Aeſch. hoc ſeorſim dixit cum gemitu, ita ut ſubaudiret Micio. Quo magis vero pater ſe inſcium amoris eius ſimulat, hoc magis oſtenditur ab Aeſchino, quamvis ſe reprimente.

5 Iterum averſus dicit ſe-

Quid ipſae? quid aiunt? *M.* quid illas cenſes; nihil enim [1].
Commenta mater eſt [2], eſſe ex alio viro [3],
Neſcio quo, puerum natum, neque eum nominat:
Priorem eſſe illum; non oportere huic dari.
Ae. Eho nonne haec iuſta tibi videntur poſtea [4]?
M. Non. *Ae.* obſecro, non? an illam hinc abducet, pater?
M. Quid ni illam abducat? *Ae.* [5] factum a vobis duriter,

cum, mox ſe reprehendit.

1 h. e. nihil ſane, quo minus id fieri liceat.

2 Quam probabiliter comminiſcitur, matrem quaerere ſubterfugium. Noverat ſcil. Aeſchinus animum Soſtratae in ſe.

3 Pervenit ſic Micio ad ipſum filium, cuius amorem mire tractat.

4 Aeſch. rogat, tamquam id, quod pater dixerat commentum, verum omnino ſit. Ita ſe patri aperit. Don. l. hoc *poſtea* ad audita de puero ex alio viro nato referendum, l. abundanter dictum cenſet; cui poſteriori ſententiae accedunt hodie omnes, & conferunt Plaut. Men. III, 2, 31. Nobis in noſtro, quod ſaepius ſumitur παρέλκει, non placet. Sed & vetus ed. Argent. ſignum rogandi aliter ponit-- *videntur? poſtea* --- quaſi Aeſch. amplius dicturus fuiſſet *poſtea etiam illam hinc abducet?* A parte interpellatus id certe mox addit. Venerat quoque in mentem, an legi poſſit *poſcier.*

5 Aeſch. iam dolore & ira permotus ſummo cum πάθει loquitur; cui convenire dicit Don. illud *immiſ.* adverbium coniunctione auctum in octo ſyllabas, miſere pronuntiandum. *Inli-*

Immiſericorditerque, atque etiam, ſi eſt, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.
M. Quam ob rem? *Ae.* rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi miſero, qui illi conſuevit [1] prior,
Qui infelix, haud ſcio an, illam miſere nunc amat [2],
Cum hanc ſibi videbit praeſens praeſentem eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater.
M. Qua ratione iſtuc [3]? quis deſpondit? quis dedit?
Cui, quando nupſit? auctor his rebus quis eſt?
Cur duxit alienam? *Ae.* [4] an ſedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc

beraliter poſt praemiſſam excuſationem iratius profert.

1 Cave hoc verbum trahas ad Venerem ſ. ſtuprum. Innuit honeſtus adoleſcens & nuptiarum cupidus *amorem conſuetum.* cf. Andr. I, 1, 108.

2 Dum vult ut alienus loqui, ſo ipſe indicat affectu. *Haud ſcio an* idem eſt, ac *fortaſſe.*

3 Iam pater ad reprehenſionem filii procedit, quam breviſſimis abſolvit, finem facturus labori filii. Quae vero pater rogat, eorum nihil factum erat. Tot igitur peccata a filio erant in hac re. Nemo parens deſponderat; Aeſch. non datam vitiaverat, ac dein patrem celaverat factum; inde nuptiae non factae; auctoritatem Micionis patris neglexerat; non examinaverat, utrum liceret legibus eam ducere, an prior eſſet iure cognatus aliquis.

4 Aeſch. ultimum unum,

Illinc[1] veniret, exſpectantem? haec, mi pater[2],
Te dicere aequom fuit, et id defendere.
M. Ridiculum, advorſumne illum cauſam dicerem,
Cui veneram advocatus? ſed quid iſta, Aeſchine,
Noſtra? aut quid nobis cum illis? abeamus[3]. quid eſt[4]?
Quid lacrumas? *Ae.* pater, obſecro, auſculta. *M.* Aeſchine[5], audivi omnia.
Et ſcio: nam te amo: quo magi', quae agis, curae ſunt mihi.
Ae. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,

quod pro commento ſuo addiderat Micio, impugnans, cetera peccata praetereundo confitetur.

1 Quod referas ad Miletum.

2 Addit haec amore & dolore amens & voce ſupplici, iam plane confuſus, & fere iam lacrimans.

3 His verbis pater redigit filium ad ultimum, lacrumas & confeſſionem; iamiam ad veriora & leniora rediturus, cum habeat filium, qualem velit.

4 Abiturus quaſi nunc repente animadvertit flentem, & tamquam cauſae neſcius ſit, ſic inquirit. Metrum hinc iam vertit ita, ut ſenariis ſuccedant trochaici.

5 Lacrumantem non pluribus obſecrare paſſus interfatur pater benignus; iſque ſatis poenae habens dolenti iam rurſus ſubvenit; & ſic demum filius liberaliter & pie deprecatur patri.

Ut me hoc deliſtum admiſiſſe in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *M.* credo hercle : nam ingenium novi tuum
Liberale [1]: ſed vereor ne indiligens nimium ſies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiaſti, quam te non ius fuerat tangere [2]:
Iam id peccatum primum magnum; magnum, at humanum tamen:
Fecere alii ſaepe, item boni. at poſtquam id evenit, cedo,
Numquid circumſpexti? aut numquid tute proſpexti tibi,
Quid fieret? qua fieret? ſi te mihi ipſum puduit dicere,
Qua reſciſcerem? haec dum dubitas, menſes abierunt decem.
Prodidiſti et te, et illam miſeram, et gnatum, quod quidem in te fuit [3].

1 Ab ingrati animi crimine abſolvit filium, ſed clementer & blande monet, ne porro indiligens rerum ſuarum ſit, quomodo ſe in hac re praebuerit. Atque Aeſch. in eo ſe ipſe arguerat Sc. 5, v. 19.

2 Cf. Eun. V, 2, 18 *An paulum eſſe hoc tibi videtur, virginem vitiare civem?*

3 Senex feſtive correctionem accommodat amori iuvenis. Et dein facetius objurgat, tum v. 61 monet, haud quidem pro imperio,

Quid ? credebas dormienti haec tibi confecturos deos ?
Et illam ſine tua opera in cubiculum iri deductum domum ?
Nolim ceterarum rerum te ſocordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem. *Ae.* hem ! *M.* bono animo es, inquam. *Ae.* pater,
Obſecro, num ludis tu nunc me ? *M.* ego te ? quamobrem ? *Ae.* neſcio :
Quia tam miſere hoc eſſe cupio verum, eo vereor magis.
M. Abi domum, ac deos comprecare, ut uxorem arceſſas [1] : abi.
Ae. Quid ? iam uxorem ? *M.* iam. *Ae.* iam ? *M.* iam quantum poteſt. *Ae.* di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc ego amo meos.
M. Quid ? quam illam [2] ? *Ae.* aeque. *M.* perbenigne. *Ae.* quid ? ille ubi eſt Mileſius ?

ſed graviter ; tandem recreat moeſtum ſubito optatoque nuntio. Aeſch. vero quanta arte deducitur ad gaudium, gratique animi ſenſus !

1 Neque enim ipſi illi Deorum cultores nuptias contrahebant, celebrabant, niſi re divina prius facta, ſacrificiis & precibus.

2 Ipſe pater, in filii pietate gaudens, feſtive iocatur.

M. Abiit, periit, navem aſcendit [1]. ſed cur ceſſas? *Ae.* abi, pater:
Tu potius deos comprecare. nam tibi eos, certo ſcio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis [2].
M. Ego eo intro, ut, quae opus ſunt, parentur: tu fac, ut dixi, ſi ſapis.
Ae. [3] Quid hoc negoti? hoc eſt patrem eſſe, aut hoc eſt filium eſſe?
Si frater, aut ſodalis eſſet, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non geſtandus in ſinu eſt? hem!
Itaque adeo magnam mi iniicit ſua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit: ſciens cavebo.

1 Ridens & facete dicit, ſe omnia iſta finxiſſe.

2 Quam aſcendit grata laudatio patris ſine ulla aſſentatione. Quod ad ipſam ſententiam attinet, cf. Plaut. Rud. prol. 22. ſqq. Poen. V, 4, 107. & noſtrum Hec. V, 2, 6. Poetarum vero Deus Il. I, 218 cecinit Ος κε Θεοις επιπειθηται, μαλα τ' εκλυον αυτου.

3 Pulcherrime tandem poeta filium facit laudatorem patris abſentis. Ea ſumma laus, nec fucata pietas.

Sed ceſſo ire intro, ne morae meis nuptiis egomet ſiem [1].

ACTUS IV. SCENA VII.

DEMEA [2].

DEfeſſus ſum ambulando. ut, Syre, te cum tua
Monſtratione magnus perdat Iuppiter.
Perreptavi uſque omne oppidum: ad portam, ad lacum;
Quo non? nec fabrica illic ulla erat, nec fratrem homo
Vidiſſe ſe aibat quiſquam. nunc vero domi
Certum obſidere eſt uſque, donec redierit.

ACTUS IV. SCENA VIII [3].

MICIO, DEMEA.

M. IBo, illis [4] dicam, nullam eſſe in nobis moram.

1 Opportune abit Aeſch. ne in eum incidat Demea, natura pater, non cura.

2 Redit ex curſu ſuo ille ſemper iratus Demea, qui quantum a fratre mitiore diverſus, tantum abeſt ab eius gaudiis, ſolus aegre fert, quidquid ſit, nemini conſulit, omnibus inviſus eluditur ſolus. cf. cum hac ſcena illam ap. Plaut. Amph. IV, 1 & Epid. II, 2, 13 ſq.

3 Demeae iam primum offertur frater, in quem iras evomere voluerat. Sed hic eas hilariter reprimet.

4 Virgini eiuſque matri.

D. Sed eccum ipſum! te iam dudum quaero, Micio.
M. Quidnam? *D*. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adoleſcentis [1]. *M*. ecce autem [2]. *D*. nova,
Capitalia. *M*. ohe, iam [3]. *D*. ah, neſcis qui vir ſit. *M*. ſcio [4].
D. Ah ſtulte [5]. tu de pſaltria me ſomnias
Agere. hoc peccatum in virginem eſt civem. *M*. ſcio.
D. Eho, ſcis, et patere? *M*. quid ni patiar? *D*. dic mihi,
Non clamas? non inſanis? *M*. non. malim quidem.
D. Puer natus eſt. *M*. dii bene vortant. *D*. virgo nihil habet [6].

1 Adeo cum oſtentatione & εἰρωνεία nuntiat, ut credas, ipſi nihil eſſe antiquius, quam flagitia filii urbani ad fratrem deferre, & bella concitare.

2 *Ecce autem* dicitur, quum agentibus (h. l. laeta) aliud repente intervenit novum, minus laetum.

3 int. deſine.

4 Vel una hac vocula bellum, quod ſaevus ille denuo concitat, mire impellit, impetum iſtum reprimit.

5 Impulſum ſe ſentiens iraſcitur Micioni. Sed hic ardori porro frigidam ſuffundet.

6 Iam ſe prodit animus Demeae, quem Hegio ſupra III, 4, 55 ſqq. tam graviter monuerat, ut aequa

M. Audivi. *D.* et ducenda indotata eſt [1]? *M.* ſcilicet.
D. Quid nunc futurum eſt? *M.* id enim, quod res ipſa fert:
Illinc huc transferetur virgo. *D.* o Iuppiter,
Iſtoccine pacto oportet? *M.* quid faciam amplius?
D. Quid facias? ſi non ipſa re tibi iſtuc dolet,
Simulare certe eſt hominis [2]. *M.* quin iam virginem
Deſpondi: res compoſita eſt: fiunt nuptiae:
Dempſi metum omnem; haec magis ſunt hominis. *D.* ceterum
Placet tibi factum, Micio [3]? *M.* non, ſi queam
Mutare: nunc, cum non queo, aequo animo fero.
Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris [4]:
Si illud, quod maxume opus eſt iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

noſcat, ſi velit perhiberi probus.

1 Cf. ad Andr. IV, 5, 41.

2 Scil. hominis huius humanitas nihil eſt, niſi iracundia, ſaevitaſque diſciplinae. Alia eſt Micionis.

3 Ita profligatum ſe ſentit Demea, ut neſciat, quid fratri obiiciat, niſi virulentam irriſionem.

4 Sententiam hanc ab Alexide (ap. Stobaeum) l. ex Platone de rep. L. X mutuatum putant Terentium; quidni a communi ſenſu & iudicio uterque & alii?

D. Corrector [1]! nempe tua arte viginti minae,
Pro pſaltria periere: quae, quantum poteſt,
Aliquo abiicienda eſt; ſi non pretio, gratiis.
M. Neque eſt [2], neque illam ſane ſtudeo vendere [3].
D. Quid igitur facies? *M.* domi erit. *D.* pro divom fidem!
Meretrix et mater familias una in domo?
M. Cur non? *D.* ſanum te credis eſſe? *M.* equidem arbitror.
D. Ita me di ament, ut video ego tuam ineptiam:
Facturum credo [4], ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? *D.* et nova nupta eadem haec diſcet [5]? *M.* ſcilicet.
D. Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis [6]. *M.* probe.

1 Sarcaſmus.

2 int. abiicienda gratiis.

3 Micio ita reſpondet, ut ludere fratrem, l. ineptus videri malit, quam Cteſiphonem prodere. Praeparatur tamen ſimul via ad manifeſtandum Cteſiphonis amorem.

4 int. *te;* quod alii ingerunt.

5 Cum uxoris alias ſit, rem familiarem curare.

6 Iam ei conviciatur, quaſi is puerum agat. Puerorum enim & puellarum chori *manibus conſerti* in ſaltatione *reſtim ducere* dicebantur; Liv. XXVII, 37 *Per manus reſte data, virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.* Lucret. II, 631 *catenas ludere;* Hor. Od. II, 12, 18 *dare bracchia ludentem;* cf. doct. *Iani* ad h. l. Ita non a fune, quem ſaltantes manibus tenuere, proprie dicta iſta

D. Probe? *M.* et tu nobiſcum una, ſi opus ſit [1]: *D.* hei mihi!
Non te haec pudent? *M.* [2] iam vero omitte, Demea,
Tuam iſtanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum ac lubentem [3] fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam: poſt huc redeo. *D.* o Iuppiter!
Hanccine vitam! hoſcine mores! hanc dementiam [4]!
Uxor ſine dote veniet: intus pſaltria eſt:
Domus ſumptuoſa: adoleſcens luxu perditus:
Senex delirans [5]. ipſa, ſi cupiat, Salus [6]
Servare prorſus non poteſt hanc familiam.

ſaltatio, quod nemini eleganti placeat; fruſtraque huc alii trahunt Hor. I ep. 10, 48, ad quem locum vide Baxterum.

1 Reddit Micio Demeae, quod hic convicii cauſa dixerat.

2 Micio iam eludit fratrem. quorſum enim perpetua huius iurgia? Clamet ille mox ſibi, nemine audiente.

3 Vocem hanc, quae *laetitiam convivalem* notet, reſtituere quoque alii ap. Plaut. Perſ. V, 1, 8, ut legatur *omnes hilaros, lubentes, laetificantes faciam.* cf. Plaut. Aſin. II, 2, 2.

4 Crebra ellipſis convenit in ſtomachantem.

5 Senilis ſtultitia appellatur deliratio, Cic. de Sen. c. 11.

6 *Salus* Dea Romanis, uti Υγιεια Graecis. Aſcendit autem a ſuperioribus iam ad ſummum Demeae ardor, cui reſtinguendo iam nemo

ACTUS IV. SCENA IX[1].

SYRUS, DEMEA.

S. AEdepol, Syriſce [2], te curaſti molliter,
Lauteque munus adminiſtraſti tuum:
Abi [3]. ſed poſtquam intus ſum omnium rerum ſatur,

adfuit. Don. ad h. l. Terentium gravitatem Caecilii imitatum dicit.

1 Omnes fere edd. inde ab Eraſmo, hinc, ubi nullo intervallo opus, male ordiuntur Actum V, praeter Dacieriam, quae hanc & ſq. ſc. recte addit IV, uti & ed. noſtra vet. Reſtabat Demea (quem nemo ſapiens digredi in otium patiatur) ex priori ſcena viſo Syro; eiuſque nunc adventum opperitur. Oblitus eum erat ſenex, quo imaginem domus fraternae abſolveret. Syrus incedet etiam, non iam aſtutus ille, ſed madens vino. Donati ad h. l. notam prorſus corruptam ſic emendamus: *Qui adhuc texit Cliti-phonem per fallacias, iam oportet ut ebrius inducatur Syrus; per cuius fabulas* (levem garrulitatem & agendi rationem. cf. Don. ad ſc. ſq. v. 5.) *retegatur idem.* Inde turbae excreſcent ad ſummum.

2 Abblanditur ſibi madidus mente ſervus, diminutiva ſui nominis formula. Cf. ſupra Sc. 4 extr. Curaverat ſe per 5 ſcenarum ſpatium. Prodit vero ſic primum poſt potationem.

3 Sic Donatus: *Verbum vel ſibi l. alteri cum laudatione blandientis. Nam ſic dicunt, qui iam compotes ſunt votorum omnium, perfectique in rebus univerſis.* Sic & ſupra Demea ſc. 2, v. 25 in abſentem filium: *Laudo, Cteſipho,*

Prodeambulare huc libitum eſt. *D.* illud ſis vide
Exemplum diſciplinae [1]. *S.* ecce autem hic adeſt
Senex noſter. quid fit [2]? quid tu es triſtis? *D.*
oh, ſcelus!
S. Ohe iam! tu verba fundis hic, ſapientia [3]?
D. Tu, ſi meus eſſes... [4] *S.* dis [5] quidem eſſes,
Demea,

patriſſas; abi &c.

1 ſ. morum eius, quem tamquam magiſtrum ſequatur Aeſch.

2 Repente viſo ſene nil timet, nec cavet ebrius. *Mire*, inquit Don. *ſecuritatem ebrii hic expreſſit.*

3 Pro illo *ſcelus* redditur Demeae *ſapientia.* Eundem Syrus ſupra dixerat *Tu totus quantus nil niſi Sapientia es.* Irritandi cauſa dicit *verba fundis*, h. e. cum vi profers, & ſimul perdis. Credimus autem, Syro comice *Sapientiam* dici ſenem, quaſi unus ſeptem Graeciae ſapientes aequet; quorum dictis Ter. orationem paſſim diſtinguit. At Demea, praeceptorum omnium expers, filium ſuum in aliorum vitam, tamquam in ſpeculum inſpicere iubebat; nimius ſemper in ira, nunquam in tempore venit; omnia ſibi ignoſcebat, aliis nihil; non ferebat, quae neceſſe erat; neque corrigebat arte, quae male ceciderant; utile, non decorum quaerebat; cetera ſenex ingratus, qui non eſſet parilis iuventae. Sed idem ille inſpiciens in vitam Micionis moderari ſibi diſcet Act. V.

4 Interiecta a Syro verba non impediant, ut haec diſiungas a conſequente *exemplum* &c. Al. proinde male *Tun'? ſi meus* &c.

5 Dives. Sed ipſe divitiarum idemque infernorum Deus *Dis* dicebatur; hinc,

Ac tuam rem conſtabiliſſes [1]. *D.* exemplum omnibus
Curarem, ut eſſes. *S.* quamobrem [2]? quid feci? *D.* rogas?
[3] In ipſa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix ſedatum ſatis eſt [4], potaſti, ſcelus!
Quaſi re bene geſta. *S.* ſane nollem huc exitum [5].

ACTUS IV. SCENA X [6].

DROMO, SYRUS, DEMEA.

Dr. HEus, Syre, rogat te Cteſipho ut redeas. *S.* abi.
D. Quid Cteſiphonem hic narrat? *S.* nihil. *D.* eho, carnufex,
Eſt Cteſipho intus? *S.* non eſt. *D.* cur hic nominat?

credimus, riſus ſpectatoribus movebatur.

1 Dicens haec ſatis ipſe inſtabili pede vix inſtitiſſe videatur. Spectatores Ditem infernum cogitantes, poterant ad rem morte conſtabiliendam trahere. Orcus certe eſt tandem quietalis, & Syrus ſupra dixerat, *exercebo te, ſilicernium.*

2 *Nihil* (inquit Don.) *nunc in Syro, niſi ſimplex & purum ob ebrietatem.*

3 Ridiculus Demea, qui adverſus ebrium tam graviter peroret.

4 Sedata omnia ſunt praeter unum te.

5 Sane pro ebrio ſic dicit Syrus, qui pro ſecuritate invenerat litem.

6 Qua Cteſipho inter pocula eſſe oſtenditur.

S. Eſt alius quidam, paraſitaſter paululus:
Noſtin'[1]? *D.* iam ſcibo. *S.* quid agis? quo abis[2]? *D.* mitte me.
S. Noli, inquam. *D.* non manum abſtines, maſtigia?
An tibi iam mavis cerebrum diſpergam hic[3]? *S.* abit.
Aedepol comiſſatorem[4] haud ſane commodum,
Praeſertim Cteſiphoni. quid ego nunc agam?
Niſi, dum hae ſileſcunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiſcam hoc villi[5]. ſic agam[6].

ACTUS V[7]. *SCENA I.*

MICIO, DEMEA.

M. PArata a nobis ſunt, ut dixi, Soſtrata,

1 Etiam in mendacio parum ſubtili confidens tamen eſt.

2 Syrus Demeam retinet; & in eo eſt veri confeſſio. Sed iam neque abigetur, neque amovebitur ſenex.

3 Baculo minatur.

4 h. e. quaſi ſodalem, qui interſit convivio cum amica.

5 *Villi* diminut. pro *vini.*

6 Dormiendi igitur tempus detur Syro, interea dum Demea intus turbas det, & Micio nuptias paret. Ita demum h. l. finis ſit quarti Actus.

7 Rationes diximus, quare cum ed. noſtra vetere & Da-

Ubi vis. quiſnam a me pepulit tam graviter fores?
D. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?

cieria, hinc demum ordiamur Actum V, quo iam omnes turba evolvendi ſunt. Praecipua eius cauſa erat rigor & inſcitia Demeae, a quo iam retecto Clitiphoni filio, eiuſque amori metuenda cuncta videbantur. Sed ex hoc ipſo malo invenit poeta exitum honeſtiorem, converſionem ſenis Demeae a rigore diſciplinae ad aequitatem aliquam. Quod ad Aeſchini rem attinet, ea iam ſatis ſalva erat Micionis patris humanitate & profligato Demea. Hic quidem vel maxime adhuc ſuum Cteſiphonem obiecerat exemplum diſciplinae melioris (cf. Act. I, 2, 15 ſq.) ſeque ob id praepoſuerat fratri (cf. Act. III, 4, 46 ſq. & IV, 1, 17 ſq. & 2, 25). Is adeo ſuum ſui cauſa dilexerat, quod ipſe ſatis prodet Sc. 2; ſed Micio ſuum in animum ita inſtituerat Aeſchinum, ut ſolus ipſi eſſet carus; ab eoque item haberetur. A Micione humanitas in gaudium familiae redundabat; a Demea clamores & irae & turbae adhuc fuerant. Sed re omni manifeſta, Demea ſe falſum videns nil amplius habet, quo ſe opponat fratri, poſt primum impetum ſui poenitens, & mitior audit fratris rationes, & ipſa ſui impotentia ita convertitur ad contrarios ſenſus, ut prima ſpecie nimius videatur, & ſimul ulciſci cupiat fratrem, ſed relegentibus idem videbitur corrigere multa in bonum familiae, & vertere in omnium laetitiam. — Scena 1 Micio a Soſtrata egrediens incidit in Demeam, poſt turbas datas in aedibus Micionis, ſe proruentem.

O coelum, o terra, o maria Neptuni [1]! *M.* hem tibi,
Reſcivit omnem rem: id nunc clamat: ilicet [2], 5.
Paratae lites: ſuccurrendum eſt. *D.* eccum! adeſt
Communis corruptela noſtrum liberum [3].
M. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi [4].
D. Repreſſi, redii: mitto maledicta omnia [5]:
Rem ipſam putemus: dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo eſt ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? reſponde. *M.* factum eſt, non nego.

1 Quam tragice clamat ad ultimum ſenex. Act. I, 2 triſtis ingreſſus vehementi voce nuntiat mala; tandem erumpit v. 32 *Pro Iuppiter, tu me homo adigis ad inſaniam* &c. III, 3 adveniens: *Diſperii!* A. IV, 1 ingreſſus *Nae ego ſum infelix* &c. IV, 6 *Defeſſus ſum amb. ut, Syre, te magnus perdat Iuppiter;* cf. Sc. ſq. H. l. dolore ſummo victus numina omnia movet voce ſua.

2 h. l. idem eſt, ac *actum eſt de Clitiphone. Paratae mihi iam lites* &c.

3 Antea accuſaverat fratrem de uno filio, iam de ambobus gravius.

4 Non tam reprehendit iraſcentem, qui iuſte dolebat, ſed nimietatem irae.

5 Increpitus a fratre, ne videatur non eſſe prae ira apud ſe, & ſe a ſuo potius filio, laudato illo morum exemplo, deceptum ſentiens, mittit invitus maledicta, & ad rationes cum fratre diſputandas tranſit tacite fremens. Iam iure ſuo nititur contra fratrem; hic aequitatis patronum agit.

D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? num qui minus
Mihi idem ius aequom eſt eſſe, quod mecum eſt
tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non aequom dicis... *D.* non [1]? *M.* nam vetus
verbum [2] hoc quidem eſt,
Communia eſſe amicorum inter ſe omnia.
D. Facete! nunc demum iſtaec nata oratio eſt [3]?
M. Auſculta paucis, niſi moleſtum eſt, Demea [4].
Principio, ſi id te mordet, ſumptum filii
Quem faciunt, quaeſo hoc facito tecum cogites:

1 Don. hoc *non* etiam Micioni tribuit, qui id confidenter repetiverit; quod quam inepte in Micionem dicatur, patet ex eo, quod Micio iocoſe provocet ad proverbium. Ipſe Micio fratrem ſe reprimere iuſſerat. Itaque Codd. plures & edd. vett. in quibus & noſtra, cum Bentl. ſequimur, qui id vehementer a Demea interiectum voluit.

2 Scil. Graecorum, & quidem Pythagorea vox. cf. Cic. off. I, 16. de Legg. II, 12.

3 Signum rogandi addidimus. Ironice & irate rogat, cur id nunc demum (non prius) tibi in mentem venit, qui hodie dixiſti *Nam ambo curare propemodum repoſcere illum eſt, quem dediſti;* cf. ſupra I, 2, 53. Quod ille dixit *verbum*, hic *orationem* per ironiam vocat.

4 Iocari iam deſinit, ac ſublato iam proverbio, ſerio magis & ipſe, ſed moderate, rem putat cum fratre.

Tu illos duo olim pro re tollebas [1] tua;
Quod ſatis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem crediſti, ſcilicet,
Ducturum : eandem illam rationem antiquam ini,
Conſerva [2] : quaere, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu iſtam obtine [3] :
Mea, quae praeter ſpem evenere, utantur [4] ſine.
De ſumma [5] nil decedet: quod hinc [6] acceſſerit,
Id de lucro putato eſſe omne. haec ſi voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis dempſeris moleſtiam.
D. Mitto rem : conſuetudinem ipſorum [7]. *M.*
mane :

1 h. e. educandos ſuſcipiebas.

2 h. e. ad priorem illam redi, eamque ſerva. Haec vero haud ſine vehementia quadam & dedignatione pronunciat.

3 h. e. tuere ſ. conſerva.

4 *Mea- -utantur* l. antique pro *meis--utantur*; l. quod magis placet, *quae evenere* (illis) *mea*, his *utantur ſine.*

5 Scil. tua.

6 h. e. de meis, δικτικῶς.

7 Micio hactenus obiecerat fratri rationes de re familiari, quibus hic contra ire non audebat, metuens, ne, quidquid boni a Micione, & ex adoptione ſuis evenerat, de eo detraheret; cf. ſupra Act. I, 2. Itaque Demea honeſtum potius tangit, de eo ſe ſollicitum ſimulans. Micio, qui ſupra mores nimium urbanos filii, magis ut ſe a fratre defenderet, quam ut ei perſuaderet, fere approbaverat, antequam ad rationes pecuniae deſcenderet; nunc inverſo ordine, his prius expeditis,

Scio: iſtuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa inſunt, ex quis coniectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, ſaepe ut poſſis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet;
Non quo diſſimilis res ſit, ſed quo is, qui facit:
Quae [2] ego illis ineſſe video, ut confidam fore

iam quoque a fratre monitus, facta filiorum non approbat, ſed ita excuſat, ut ex bono eorum ingenio rectiora quaevis auguretur, fratremque ſic demulceat. Mox *mane* h. l. non eſt revocantis abeuntem, ſed animum ad ea, quae dicturus erat.

1 Obſcuriſſimam Don. dicit orationem Micionis, & quod ad rem & in verbis. Cunctique poſt ipſum interpp. parum ſcite volunt, Micionem, malae cauſae patronum, permiſcere omnia, & verba fundere ſine ſenſu. Caveamus nobis a tali iniuria in poetam, aut Micionem, virum moderatum ſemperque cum ratione dicentem. Vult vero, eſſe in homine quaedam (liberalis ingenii & animi) ſigna, unde ita coniicere poſſis, ut ſaepe, non ſemper, dicere poſſis, illi licere, quae aliis non licent. Condonandum eſt ingeniis liberalibus, ſi quid quandoque iuveniliter egerint, quippe cum aetate rectius ſapient. Quibus non aeque eſt liberum ingenium, cohibendi omnino ſunt, ne ad conſuetudinem peccandi delabantur, nunquam inde emerſuri. Signa vero liberalis ingenii & animi ſunt *ſapere, intelligere, in loco verecundum eſſe, inter ſe amare.* Atque ea eſſe in ambobus filiis vidit Micio; qui ſic ſapienter ſatis, certe humane diſſeruit.

2 Scil. ſigna liberalis ingenii & animi.

Ita ut volumus. video ſapere, intellegere, in loco
Vereri, inter ſe amare: ſcire eſt [1] liberum
Ingenium atque animum: quovis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re ſint tamen
Omiſſiores paulo [2]. o noſter Demea,
Ad omnia alia aetate ſapimus rectius:
Solum unum hoc vitium ſenectus adfert hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt:
Quod illos ſat aetas acuet. *D.* [3] ne nimium modo
Bonae tuae iſtae nos rationes, Micio,
Et tuus iſte animus aequus ſubvortant. *M.* tace,
Non fiet. mitte iam iſtaec: da te hodie mihi:
Exporge frontem [4]. *D.* ſcilicet [5], ita tempus eſt,
Faciundum eſt: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu [6]. *M.* immo de nocte cenſeo:

1 int. hinc.

2 Micio, qui fratris ingenium noverat, ad rem faciendam pronum, ſcite eius ſollicitudinem, ſi non adimere, at hodie imminuere ſtudens, blanditus etiam, utitur *o noſter Demea.*

3 Manſuetior iam Demea fere, non amplius clamat, ſed tamen miti ironia utitur. Ait: *Timeo, ne nimium--nos--ſubvortant--rationes & tuus an. aeq.*

4 Quam prudenter & humane tractat porro fratrem, quem cum ceteris hodie in laetitiam vertere cupit. Laetitia exporrigit frontem, triſtitia contrahit.

5 *Scilicet* aegre cedentis eſt, ut Eun. I, 2, 105.

6 int. *hinc me abſtraham*, quod dein dicit. Iocans vero Micio reſpondet, ut in hilaritatem vocet fratrem.

Hodie modo hilarum te face. *D.* et iſtam pſaltriam
Una illuc mecum hinc abſtraham. *M.* pugnaveris [1].
Eo pacto prorſum illi [2] alligaris filium.
Modo facito, ut illam ſerves. *D.* ego iſtuc videro:
[3] Atque ibi favillae plena, fumi, ac pollinis
Coquendo ſit ſaxo, et molendo: praeter haec,
Meridie ipſa faciam ut ſtipulam colligat:
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo eſt [4]. *M.* placet.
Nunc mihi videre ſapere. atque equidem filium
Tum etiam, ſi nolit, cogam [5], ut cum illa una cubet.
D. Derides? fortunatus, qui iſto animo ſies:
Ego ſentio. *M.* ah, pergiſne? *D.* iamiam deſino.
M. I ergo intro, et cui rei eſt, ei rei hunc ſumamus diem.

1 h. e. magnam rem feceris, inquit Don. Sic Cic. pro Roſc. Amerin. c. 3 *Hoc pugnatur*, h. e. hoc efficere ſtudent.

2 i. e. pſaltriae; ſed pſaltriam probe ſervandam dicit Micio. Al. *illi* volunt eſſe adv. pro *illic*; idque etiam dederunt.

3 Prior ſyllaba verſui priori adiiciatur.

4 Iam ira deferbuit; iociſque ſuis cavet Micio, ne denuo excitetur.

5 Scil. ſi ego ſim tu.

ACTUS V. SCENA II. [1]

DEMEA.

NUnquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuat,
Quin res, aetas, uſus, ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat: ut illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et quae tibi putaris prima [2], in experiundo ut repudies.
Quod nunc mi evenit. nam ego vitam duram, quam vixi uſque adhuc,

1 Demea, qui adhuc, niſi quod ipſe faciebat, nihil rectum putaverat, aliiſque ſemper iratus erat, comparans aequum & laetum animum fratris cum ſuo ſaevo & triſti, videnſque illum a filiis amari, ſe negligi, illum gaudia potiri, ſe miſeriam ex labore capere, invidet fratri, cumque l. aemulari, l. ulciſci cupiens, novam hodie init viam. Scilicet remiſſurus de ſua agreſti ſeveritate diſciplinae, & animi explendi cauſa omnibus ridicule abblanditur, & largitate ſimulata fratrem inducit ipſum, ut is nimium aliis obſequi ſuaque profundere videatur; tandem ſatiatus in extrema fabula ſe clementiorem factum ita profitetur, ut ſimilis ſui maneat. Ita convenientiam ſervabit poeta in apta hominis converſione.

2 h. e. eligenda prae aliis, ſ. optima.

Prope decurſo ſpatio mitto. id quamobrem? re ipſa repperi [1],
Facilitate nihil eſſe homini melius, neque clementia.
Id eſſe verum, ex me atque ex fratre cuivis facile eſt noſcere.
Ille ſuam ſemper egit vitam in otio [2], in conviviis:
Clemens, placidus [3], nulli laedere os, arridere omnibus:
Sibi vixit [4]: ſibi ſumptum fecit [5]. omnes benedicunt, amant.

1 Iam laudabit ipſe ille agreſtis humani fratris meliorem vitae rationem ſ. felicitatem; facta collatione cum ſua ſaevitate & tenacitate &c. Clementiora ſunt verba, quibus Micio mores ſuos & fratris confert Act. I, 1, 15--21 ſq.

2 *Otium* opponitur labori ſ. operi ruſtico. *Convivia* dicuntur a vitae coniunctione, Cic. de Sen. c. 13; & h. l. hanc per metonym. notant.

3 *Clemens* in alios, neminem laedit; ſed *placidus*, ipſe moribus aliis etiam placet. *Clementia* diverſa eſt ab *ira*; *placiditas* a *feritate*, adeoque eſt ipſa humanitas, quae nos faciles ſ. aliis aptos efficit.

4 *Vivit ſibi* non is, qui ſuo modo vivit, ſed qui cum aliis vivit, uſque amicus eſt.

5 Cf. Plaut. Aſin. I, 3, 65 *Neceſſe eſt facere ſumptum, qui quaerit lucrum.* Lucrum vero Micioni erat, laudari, amari.

Ego ille agreſtis, ſaevus, triſtis, parcus, truculentus, tenax [1],
Duxi uxorem: quam ibi miſeriam vidi! nati filii,
Alia cura: eia [2] autem, dum ſtudeo illis, ut quamplurimum [3]
Facerem, contrivi in quaerendo vitam atque aetatem meam.
Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium. ille alter ſine labore patria potitur commoda [4]:
Illum amant, me fugitant: illi credunt conſilia omnia:
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo: ego deſertus ſum:

1 Iam didicit ille *noſcere ſe;* quod ſapientiae eſt. Se autem, quem alii iam ſatis notum habeant, (*ille*), graphice pingit, agreſtis moribus, ſaevus factis, triſtis animo, parcus duriter vivendo, truculentus vultu, tenax ſ. in his omnibus contumax, ſ. avarus, qui nemini largitur. Vae uxori, quam talis vir ducat! inde miſeria utrique.

2 *Eia* eſt quaſi ſe ipſum reprehendentis ob inſcitiam agendi.

3 int. rei.

4 Iam ultro ad invidiam ſ. aemulationem ſe accendit; eoque ſapientiam ſ. potius reſipiſcentiam ſtultitia miſcebit.

Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem exſpectant ſcilicet [1]:
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit ſuos
Paulo [2] ſumptu. miſeriam omnem ego capio, hic potitur gaudia [3].
Age, age [4], nunc iam experiar porro contra, ecquid ego poſſiem
Blande dicere, aut benigne facere [5], quando huc provocat [6].
Ego quoque a meis me amari, et magni pendi poſtulo.
Si id fit dando atque obſequendo, non poſteriores feram [7].
Deerit: id mea minime refert, qui ſum natu maxumus [8].

1 *Scilicet* indignanter additum.

2 *Paulo* adiect. uti Andr. I, 5, 31. A *paulus* eſt *paululus.*

3 Repetit quod ipſi vere dolet.

4 Iam conſilium capit, cui ſubeſt & poenitentia & invidia.

5 Unde omnis turba & triſtitia nata erat, inde iam omnium laetitiam repetit poeta.

6 *int.* Micio.

7 Fallitur Demea, neſcius verae artis amorem ſibi conciliandi. Micio ita faciebat in loco. Humanitate verum aliorum amorem provocamus.

8 Aemulatione & amore ſui ductus, non humanitate, ſuum animum explere cupit, etiam cum damno fratris. Sed id quoque

ACTUS V. SCENA III [1].

SYRUS, DEMEA.

S. HEus, Demea, rogat frater, ne abeas longius.
D. Quis homo ? o Syre noſter, ſalve ! quid fit ? quid agitur ?
S. Recte. *D.* optume eſt. iam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam [2]: o noſter, quid fit ? quid agitur ?
Servom haud inliberalem praebes te ; et tibi
Lubens bene faxim. *S.* gratiam habeo. *D.* atqui, Syre,
Hoc verum eſt, et ipſa re experiere propediem.

ACTUS V. SCENA IV [3].

GETA, DEMEA, SYRUS.

G. HEra, ego huc ad hos proviſo, quam mox virginem

damnum in bonum vertet poeta. Supra clamaverat, quod uxor indotata ſit ducenda.

1 Syrus, qui iam edormiverat villum, iuſſus a Micione monet Demeam, ſed ſatis ſicce, ne longius abeat. Qui ſupra infatuaverat ſenem agreſtem, in eo hic iam rurſus ſtultam bene dicendi artem oſtendet. Sed ipſe Demea obſervabit, quae praeter naturam dixerit.

2 *Iam nunc--natur.* Hoc preſſius ſibi dicit : dein rurſus Syro palpat.

3 Egreditur a Soſtrata in ſcenam alter ſervus, iſ-

Arceſſant. ſed eccum Demeam! ſalvus ſies.
D. Oh, qui vocare? *G.* Geta. *D.* Geta, hominem maxumi
Pretii te eſſe hodie iudicavi animo meo.
Nam is mihi profecto eſt ſervus ſpectatus ſatis,
Cui dominus curae eſt, ita uti tibi ſenſi, Geta.
Et tibi ob eam rem, ſi quid uſus venerit,
Lubens bene faxim. [1] meditor eſſe affabilis;
Et bene procedit. *G.* bonus es, cum haec exiſtumas.
D. Paulatim plebem primulum facio meam [2].

ACTUS V. SCENA V. [3]

AESCHINUS, DEMEA, SYRUS, GETA.

Ae. OCcidunt me equidem. dum nimi' ſanctas nuptias

que probus, Geta, quem III, 4 ſenex cognoverat, nominis oblitus. Huic dum blanditur, verum tamen dicit.

1 Sqq. ſibi dicit preſſiori voce.

2 Dicit haec, ut qui ambitioſe quaerebat, alios ſibi bene dicere. Quamvis autem ſenex ſatis inepte ſervis primum benigne dicat ac facturus ſit, poeta tamen prudenter eius largitatem diriget utilitate domus fraternae. Syrus ſcil. libertus erit, ut domo exeat, quem magiſtrum nequitiae putat; Getaque, ſervus frugi, ſatis pretii habebit ſibi, cum hera tranſire in domum Micionis.

3 Nunc primum in tota fabula offertur Demeae Aeſchinus, in eo iam clementiorem & placidiorem pa-

Student ſacere, in apparando conſumunt diem.
D. Quid agitur, Aeſchine? *Ae.* hem, pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle vero et animo, et natura pater [1],
Qui te amat plus, quam hoſce oculos [2]. ſed cur non domum
Uxorem arceſſis? *Ae.* cupio: verum hoc mihi morae eſt,
Tibicina, et hymenaeum qui cantent. *D.* eho,
Vin' tu huic ſeni auſcultare [3]? *Ae.* quid? *D.* miſſa haec face,
Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas [4]:
Atque hanc in horto maceriam iube dirui
Quantum poteſt: hac transfer, unam fac domum:
Tranſduce et matrem, et familiam omnem ad nos. *Ae.* placet,

trem habiturus. Ingrediens vero ſe commendat ab amore Phanii, quam olim vitiatam, nunc uxorem futuram impatienter amat. Idem vero ſubito patris aſpectu conſternatus, ſtatim ab eo laetitiae datur.

1 Quam cum totum ſuum facere ſtudet, ut Micionem ſuperet! & illico ſubiungit, quae volenti illi eſſe audiverat.

2 Δεικτικῶς, eoque blandius & maiori cum affectu.

3 Penes ſenes eſt conſilium, quo utantur iuniores. Neque is tam pro patre ſe gerere voluit, quam amicum conſilium dare. Qui magis obſequi potuit filio? Don. nihil horum vidit.

4 Sollemnia haec fuere in nuptiis.

Pater lepidiſſime. *D.* euge, iam lepidus vocor.
Fratri aedes fient perviae: turbam domum
Adducet, ad ſumptum admittet multa [1]: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam, [2] ubi nunc item
Dinumeret ille Babylo viginti minas.
Syre, ceſſas ire, ac facere? *S.* quid ergo? *D.* dirue [3]:
Tu illac [4] abi et traduce. *G.* di tibi, Demea,
Bene faciant, cum te video noſtrae familiae
Tam ex animo factum velle. *D.* dignos arbitror [5].

1 h. e. multa patietur, quae ad ſumptum ſint.

2 Vulg. *iube nunc iam &c.* (vid. in fine) in quo haerent omnes interpretes. Noſtra ex lectione ſenex ſibi gratulatur de gratia, quam ineat, ubi ſimul fratrem ulciſcitur ob iſtas 20 minas pro pſaltria. cf. III, 4, 1--8 & IV, 7, 24 ſq. Cum enim Demea ipſam pſaltriam cum filio hinc abſtrahere vellet, atque ſic 20 minas fratri redditurus eſſet, quod dein videbimus, laetatur (quomodo Micionem laetum fuiſſe audiverat) ſe viam inveniſſe, ubi denuo viginti minas in ſumptus dinumerare queat ille *Babylo*, h. e. l. ſtultus, l. dives & profuſus homo, ut exponunt Don. Eugr. & Schol. ad Iuvenal. III, 221. ſ. quod ſumptus fecerit in prandium, cui intererat pſaltria; cf. Curt. V, 1, 37 & quae notamus infra ad ſc. 7.

3 Cum vultu ſerio iubentis dicit. Dein ad Getam converſus. Laconice vero imperat dicitque.

4 Int. qua Syrus aperiet viam per hortum. Mox *hac per viam*.

5 Hoc Getae reſpondet; dein ad filium ſe convertit.

Quid tu ais? *Ae.* ſic opinor. *D.* multo rectius eſt,
Quam illam puerperam nunc duci hac per viam
Aegrotam. *Ae.* nihil enim vidi melius, mi pater.
D. Sic ſoleo [1] : ſed eccum Micio egreditur foras.

ACTUS V. SCENA VI [2].

MICIO, DEMEA, AESCHINUS.

M. Iubet frater? ubi is? tune iubes hoc, Demea?

1 Ironice hoc dixerit, ut Gnatho Eun. II, 2, 48. Micioni intendebat, quod Aeſchinus ſibi factum credebat.

2 Advenit tandem Micio, cum audiſſet ex Syro iuſſum Demeae, ardentior, quam adhuc unquam ſe exhibuit; nihil ipſe intelligens de fratris conſiliis; nunc vero ipſe ab hoc, ſ. ſua facilitate victus, ſe ſeris nuptiis cum Soſtrata vetula, matre Phanii, implicari patitur. Cave autem iraſcaris ſ. Micioni, quaſi nimium patienti, ſ. Demeae, quaſi nunc iam malitioſo nimis. Quamvis enim Micio parum urbane in eo facere videatur; fecit tamen humane, neque prorſus contra ſuum ſenſum; qui uxorem non ducere, fortunatum videri iſtis otii ſtudioſis in urbe, ſupra dixerat. Neque hac aetate l. miſeriam a coniugio videbit, l. filiis adeoque novis curis augebitur; ſed in ipſa ſenectute habebit, quae ipſum iuvet, curaſque rei familiaris partiatur. Demea autem, quamvis ultionis cauſa fratrem ad nuptias adduceret, cetera gratiae ab aliis ineundae faceret, hoc

D. Ego vero iubeo, et hac re, et aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adiuvare, adiungere [1]. *Ae*. ita quaeſo, pater.
M. Haud aliter cenſeo [2]. *D*. immo hercle ita nobis decet.
Primum huius uxoris eſt mater [3]. *M*. quid poſtea?
D. Proba et modeſta. *M*. ita aiunt. *D*. natu grandior.
M. Scio. *D*. parere iam diu haec per annos non poteſt:
Nec, qui eam reſpiciat, quiſquam eſt: ſola eſt. *M*. quam hic rem agit?

ipſo tamen nil confecit, niſi honeſtum, & quod familiae omni laetum, ac dein profuturum eſſet. Egregium certe factum, quo Hegioni, viro honeſtiſſimo, praemium a fratre expoſtulaverat. Sic ipſe, vel poeta per ipſum direxit humanitatem fratris, correxit & ſecundavit in loco, ut plus nunc ſit boni, quam antea mali, & is qui primus mala reſciverat, auctor iam ſit boni.

1 *Colimus* bonos, l. a quibus bona accepimus, l. a quibus bonum porro ſperatur; *adiuvamus* inopes; *adiungimus* amicitia, commodi cauſa, eos, quorum ſimiles ſumus, eſſe cupimus, certe debemus.

2 Micio pro ſua humanitate obſequitur.

3 Demea iam inducere cupit fratrem ad nuptias, priuſque affert rationes movendi, & quae contra ſuadeant, evertit.

D. Hanc te aequom eſt ducere [1], et te operam, ut fiat, dare.
M. Me ducere autem? *D.* te. *M.* me? *D.* te, inquam. *M.* ineptis [2]. *D.* ſi tu ſis homo [3],
Hic faciat. *Ae.* mi pater. *M.* quid? tu autem huic, aſine, auſcultas [4]? *D.* nihil agis.
Fieri aliter non poteſt. *M.* deliras [5]. *Ae.* ſine te exorem, mi pater.
M. Inſanis? aufer [6]. *D.* age, da veniam filio [7]. *M.* ſatin' ſanus es?
Ego novus maritus anno demum quinto et ſexageſimo [8]

1 Rationibus aequi nititur Demea, qualibus Micio ſemper in ipſum uſus erat, & filium inſuper provocat.

2 h. e. poſtulas a me, quod neque perſonae meae, neque loco conveniat. Repugnat ex rationibus decori.

3 h. e. ſi ſapis, patremque diligis. Sic reddit Demea, quod ſupra I, 2, 27 Micio dixerat. Cf. Cic. ad Att. IV, 15, & X, 11 extr.

4 Micio cum hilaritate quadam increpat ſuum, & pro *homine* Demeae, facit *aſinum*, quaſi dicat: dum me movere aggrederis, tibi plus noceas, cf. Plaut. Pſeud. I, 2, 5.

5 Quod in ſenes ſaepe congruit; uti *inſanire* in iuvenes.

6 int. te.

7 Beneficium hoc concede.

8 Donatus obſervat: Apud Menandrum ſenex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὑρητικῶς.

Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne eſtis auctores mihi?
Ae. Fac: promiſi ego illis. *M.* promiſti autem? de te largitor, puer.
D. Age, quid, ſi quid te maius oret? *M.* quaſi non hoc ſit maxumum.
D. Da veniam. *Ae.* ne gravere [1]. *D.* fac, promitte. *M.* non omittitis?
Ae. Non; niſi te exorem. *M.* vis eſt haec quidem [2]. *D.* age prolixe [3], Micio.
M. Etſi hoc mihi pravum, ineptum, abſurdum, atque alienum a vita mea [4]
Videtur; ſi vos tantopere iſtuc voltis, fiat [5]. *Ae.* bene facis.

1 Don. exponit: ne te difficilem praebeas; quia *gravem* ſe dicitur *praeſtare*, qui id facile non praeſtat in beneficio, quod poteſt. Igitur Ter. ſua ratione correxit nuptias illas ſeniles Menandri, quae neſcimus, cur claro cuidam Dramaturgo tantopere diſpliceant.

2 Inſtantibus iam cedet. Neque vero ille repugnaverat, niſi primum rationibus, mox verbis.

3 h. e. promove rem.

4 *Pravum*, quod contra mores eius aetatis ſit; *ineptum*, quod praeter finem matrimonii ſit; *abſurdum* auribus hominum; *alienum a vita mea*, qui coelebs adhuc vixi.

5 Vivet is tamen ſibi, qui aliis & cum aliis vivit.

D. Merito tuo te amo. verum quid ego dicam? hoc confice, quod volo [1].
M. Quid nunc? *D.* quod reſtat: Hegio cognatus his eſt proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi, decet.
M. Quid facere? *D.* agelli eſt hic ſub urbe paululum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur [2]. *M.* paululum id autem? *D.* ſi multum eſt, tamen
Faciundum eſt: pro patre huic eſt, bonus eſt, noſter eſt, recte datur [3].
Poſtremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene, et ſapienter dixti dudum [4]: vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum eſt vere, et re ipſa fieri oportet, Micio.

1 Dem. ſupra monuerat fratrem, ut prolixe ageret ſ. promoveret; nunc ut conficiat rem, orat.

2 Ita tamen cavet filio maiori de proprietate retinenda & reverſuro ad eum agro.

3 Inopi eidem, apud quem beneficium bene collocetur, *recte* (ex officio) datur.

4 Denique omnem cunctationem Micionis dicto V, 1, 48 confutat.

M. Quid iſtic? dabitur quidem, quando hic volt.
Ae. mi pater. *D.* nunc tu mihi,
Micio, es germanus pariter animo et corpore.
M. gaudeo.
D. Suo ſibi hunc gladio iugulo [1].

ACTUS V. SCENA VII. [2]

SYRUS, DEMEA, MICIO, AESCHINUS.

S. FActum eſt, quod iuſſiſti [3], Demea.
D. Frugi homo es [4]. ego aedepol hodie mea quidem ſententia

1 Scil. dicto iſto, quo in auctorem retorto ipſum eludit victum. Iucunde vero coniungunt pronomina Latini, maxime Comici, etiam cum pleonaſmo. Exempla dabit Geſn. in theſ. voce *ſuus.*

2 Bene ſibi ultus videtur Demea fratrem, neque tamen non ſimul ad honeſta impulit. Nunc &, ut ordinaret in melius fraternam domum, inde abigere cupit Syrum, exemplum illud diſciplinae filiorum. Abigit autem eum ita, ut libertate donetur cum uxore ſerva, & aliquantum pecuniae, a Micione commodatum, habiturus ſit. Expleto ſic tandem animo & conſilio, haec ipſa aperit; Cteſiphoni filio condonat peccatum & amicam. Laetique abeunt omnes.

3 h. e. diruta eſt maceria.

4 Ironice ſic dicit, quem reapſe putabat ſervum nequam.

Iudico, Syrum fieri eſſe aequom liberum. *M.* iſtunc liberum?
Quodnam ob factum? *D.* multa. *S.* [1] o noſter Demea, aedepol vir bonu' es.
Ego iſtos vobis uſque a pueris curavi ambos ſedulo,
Docui, monui, bene praecepi ſemper, quae potui, omnia.
D. Res apparet [2]: et quidem porro haec; obſonare cum fide [3],
Scortum adducere, apparare de die convivium [4]:
Non mediocris hominis haec ſunt officia. *S.* o lepidum caput!
D. Poſtremo, hodie in pſaltria iſta emunda hic adiutor fuit,

1 Syrus iam laudabit eum, quem ſupra deluſerat; ſua iam priora promerita revocans.

2 Demea cum irriſione ſerium ſe ſimulat in nequitiis Syri celebrandis.

3 h. e. coemere obſonia ad convivium, ita ut herus non decipiatur. Al. verba *cum fide ſcortum* coniungunt, dictumque volunt in pſaltriam meretriculam. Sed reprehendit mores Aeſchini, & indulgentiam Micionis; & deinde de pſaltria dicet.

4 Turpia erant convivia de die, quibus luxuriae cauſa iam de medio die initis (cf. Hor. Serm. II, 8, 3) etiam ſcorta intererant; cf. Curtium V, 1 & 2. Cic. Phil. II, 35. Tac. Germ. c. 19.

Hic curavit : prodeſſe aequom eſt : alii meliores erunt [1] :
Denique hic volt fieri. *M.* vin' tu hoc fieri? *Ae.* cupio. *M.* ſiquidem
Tu vis, Syre, eho accede huc ad me, liber eſto. *S.* bene facis :
Omnibus gratiam habeo ; et ſeorſum tibi praeterea, Demea,
D. Gaudeo. *Ae.* et ego. *S.* credo. utinam hoc perpetuum [2] fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
D. Optumam quidem mulierem. *S.* et quidem tuo nepoti, huius filio,
Hodie primam mammam dedit haec [3]. *D.* hercle vero ſerio,
Si quidem primam dedit, haud dubium eſt, quin emitti aequom ſiet.
M. Ob eam rem? *D.* ob eam : poſtremo a me argentum, quanti eſt, ſumito [4].

1 Ironia. Itaque promoveatur Syrus, ut amoveatur. Senſere id quoque Aeſch. & Micio, & aſſenſere, ut gratum facerent Demeae.

2 f. ſolidum, integrum.

3 Decebat, ingenuos educi a nutricibus liberis. Sed quae primam dedit mammam, ideo non futura erat nutrix. Itaque Dem. id iocoſe repetet. Emittenda vero videbatur Demeae cum viro.

4 En occaſionem oblatam

S. Di tibi, Demea, omnes ſemper omnia optata offerant!
M. Syre, proceſſiſti hodie pulchre. *D.* ſi quidem porro, Micio,
Tu tuum officium [1] facies, atque huic aliquid paululum prae manu
Dederis, unde utatur [2]. reddet tibi cito. *M.* iſtoc vilius.
Ae. Frugi homo eſt. *S.* reddam hercle, da modo. *Ae.* age, pater. *M.* poſt conſulam.
D. Faciet [3]. *S.* o vir optime! *Ae.* o pater mi feſtiviſſime!
M. Quid iſtuc? quae res tam repente mores mutavit tuos [4]?

Demeae, qua pretium a Micione pro pſaltria numeratum ipſi reſtituere promittit, ne ipſe videatur emiſſe amicam filio.

1 Quod erat patronorum, libertos non deſerere.

2 Sic plenius, quam Plaut. Bacch. IV, 3, 9.

3 Satis certo id largiri videtur de Micione. Sed credimus, quod ex 20 iſtis minis, quanti non conſtare poterat Phrygia, ſupereſſe potuit, eo converti voluiſſe,

4 Miratur tandem Micio, Demeam, cum Micionis liberalitatem tentaſſet, etiam de ſuo promittere; & unde iſti haec morum mutatio evenerit; qua arte Ter. hunc exitum invenit, ut quomodo Demea de rigore ſuo remiſiſſe videbatur, ita etiam ab eo, quidquid fratris indulgentia adhuc potuit admiſſum videri, corrigeretur. Ita poeta hanc fabulam, quae a φιλαδελφια Aeſchini nomen traxit *Adelphi*, eo direxit,

Quod prolubium? quae iſtaec ſubita eſt largitas? D. dicam tibi:
Ut id oſtenderem, quod te iſti [1] facilem, et feſtivum putant,
Id non fieri ex vera vita [2], neque adeo ex aequo et bono;
Sed ex aſſentando [3], indulgendo, et largiendo, Micio.
Nunc adeo, ſi ob eam rem vobis mea vita inviſa eſt, Aeſchine,
Quia non iuſta, iniuſta, prorſus omnia, omnino obſequor [4]:

ut documento eſſet parentibus, quomodo lenitatem in filios, ubi opus ſit, ſeveritate temperare debeant.

1 Urbani homines. cf. Act. I, 1, 18.

2 *Vera vita* eſt, ubi non tam ex inſtinctu, quam cum ratione vivitur. Ratio ſcil. non ſolum id, quod aequum eſt, ſed & quod bonum conſulit; vid. Heaut. I, 1, 102.

3 cf. ſupra V, 2, 10 ſq.

4 Supra I, 2, 18 ſq. Micio Demeam imperitiae & iniuſtitiae arguerat, quod nihil, niſi quod ipſe faciat, rectum putet. Necdum igitur Demea ingenium exuerat, ſed tantum exemplo fratris, & uſu monitus, rationes alias prioribus induxit; cf. ſupra V, 1, 1-5. Don. vero obſervat, proverbialiter dici *iuſta iniu-*

Miſſa facio [1], effundite, emite, facite, quod vobis lubet.
Sed ſi id voltis potius, quae vos propter adoleſcentiam
Minus videtis, magis impenſe cupitis, conſulitis parum,
Haec reprehendere, et corrigere me, et obſecundare in loco [2];
Ecce me, qui id faciam vobis. *Ae.* tibi, pater, permittimus [3]:

ſta; cf. Heaut. III, 5, 29 ſq. uti Phorm. V, 2, 7 *recta prava.*

1 Monet iſta fratrem, ſed mitius, quam ſupra I, 2, 54 ſqq. Quare facile ei in his concedet Micio pro ſuo ingenio. Quae ſequuntur, Aeſchino dicit paterne magis.

2 Don. ad h. l. legit *ſecundare* h. e. laetum ac felicem reddere. Sed idem quoque addit: *Alii* ſecundare, *obſequi, dictum putant, & ideo additum eſſe* in loco, *quaſi non ſemper faciendum. Ergo* ſecundare *l.* in melius convertere, *l.* obſequi *intelligimus.* Ergo & hi *obſecundare* forſan legerint, ut ſcripti & edd. omnes habent. Id certum videtur, 1o *obſecundare in l.* diverſum eſſe ab illo v. 33 *omn. obſequi, iuſta iniuſta.* Itemque Heaut. IV, 2, 22 *obſec. in loco*, h. e. ubi id licet & opus videtur, obſequi patri, ſignificare poſſit. Supra II, 2, 8 Micio monuerat, pecuniam in loco negligendam eſſe. Neque inde Demea h. l. abludit.

3 h. e. te arbitrum faci-

Plus ſcis, quid facto opus eſt. ſed de fratre quid fiet [1] ? *D.* ſino,

Habeat : in iſtac finem faciat. *M.* iſtuc recte. plaudite.

mus, tibi nos dedimus; cf. Phorm. V, ſc. ult. 58. Tac. Annal. XIII, 13 ibique notata ed. Bip.

1 Poeta honeſtati conſulit, dum ipſum Cteſ. a ſcena removet; quod filio praeſenti non ſatis decore indulgere poterat ſenex. Is ſatis iam reprehenderat, nunc obſecundat in loco.

PUBLII TERENTII

PHORMIO.

ACTA LUDIS ROMANIS, L. POSTUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA, AEDIL. CUR. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII TIBIIS IMPARIBUS. TOTA GRAECA APOLLODORU EPIDICAZOMENOS. FACTA IV. C. FANNIO, M. VALERIO COSS.

Phaedria ſe ſtatim cithariſtriae cuiuſdam amore implicat. Sed hoc erat incommodi, quod, qui a lenone emeret, quod daret, nihil habebat. interea uxor e Lemno, quae, propter paupertatem, viri, diutius forte, quam ſolebat, morantis adventum exſpectare non poſſet, conſcenſa navi, Athenas una cum filia et nutrice ipſius venit, quaerunt Stilphonem fruſtra. Athenis, qui quemquam eo nomine noſſet, reperiebatur nemo. ibi mater (tanta eam aegritudo ceperat) moritur. ei funus una cum nutrice procurantem Phanium cum adſpexiſſet Antipho, ſubito amore illius exarſit. venit ad nutricem poſtridie, ut eius ſibi copiam faceret, obſecrans. illa ſe, niſi puellam uxorem duceret, facturam negat. illi, cum et quidvis facere cuperet, et patrem abſentem vereretur, paraſitus Phormio hoc conſilium dedit. lex erat Athenis, ut orbas puellas, qui eis genere proximi eſſent ducere; aut, ſi nollent, dotem eis dare cogerentur: ego, inquit paraſitus, ſimulabo, me patri virginis amicum fuiſſe, ideoque cauſam illius ſuſcipere: vocabo te in iudicium, tamquam illius cognatum, tecumque lege agam, ut eam ducas. tu ita te defendes, ut mihi facilem victoriam praebeas: ita condemnabere. ſic fiet, ut et tu potiaris tua, et patre reverſo, paratam excuſationem habeas. ita fiunt omnia, ut paraſitus ſuaſerat. confectis iam nuptiis eodem die ambo redeunt ſenes. turbari uterque; ille, quod filius indotatam uxorem ſe abſente

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

CHremes et Demipho fratres Athenienſes erant. Chremes Athenis uxorem divitem ac bene dotatam duxerat Nauſiſtratam : et ex ea ſuſceperat filium Phaedriam. habebat Nauſiſtrata, praeter ceteras opes, opima praedia in Lemno. eo igitur Chremes quotannis, ad ea locanda, capiendoſque fructus, commeabat. dum illic reſidet, pauperculae cuiuſdam mulieris amore correptus, eam quoque ducit uxorem, et ex ea ſuſcipit filiam Phanium; ac ne res emanaret, commutato nomine, Stilphonem ſe Lemni vocari iubet. detrahebat autem e fructibus praediorum uxoris Athenienſis, quantum ſatis eſſet ad illam alteram una cum filia nutriendam: deinde Athenas reverſus, aut calamitatem, aut vilitatem, ut tale aliquid cauſabatur. Erat Demiphoni filius Antipho. Cum igitur Phanium quindecim iam haberet annos, conveniunt inter ſe Chremes et Demipho, ut Chremes quidem et Lemniam uxorem, et Phanium Athenas clanculum adduceret; Demipho vero Phanium filio ſuo uxorem daret. eius rei cauſa proficiſcitur in Lemnum Chremes. eodem tempore accidit, ut Demiphoni quoque iter eſſet in Ciliciam. abeuntes, ambo Getae (is Demiphonis ſervus erat) filios committunt ſuos. profectis ſenibus,

PUBLII TERENTII AFRI

PHORMIO.

PROLOGUS.

Poſtquam poeta vetus [1] poetam non poteſt
Retrahere ab ſtudio, et tranſdere [2] hominem in otium:
Maledictis deterrere, ne ſcribat [3], parat.
Qui ita dictitat, *quas antehac fecit fabulas,*
Tenui eſſe oratione, et ſcriptura [4] *levi;*

1 Idem ſemper malevolus vetus poeta, contra quem prologi Ter. omnes directi ſunt. Is ſeneſcens, invidebat novo, eique ſapientiori Terentio; cui non ſatis erat, viris principibus placere, ſed & populi, a quo pendet fortuna ſtudii muſici, ſ. artis comicae, opus erat favore. Ita ſemper prologi opera ad ſui defenſionem abuti debuit.

2 *Tranſdere* antiquum & ſonantius; *tradere* recens & lenius.

3 ſ. componat fabulas.

4 Haud bene vulgo *ſcriptura* pro *ſtilo* habetur. Eſt potius *ſcriptura* ipſa fabula, quoad compoſitionem ſive artificium ſpectata. Atque is hanc *levem* arguebat, tamquam nil gravitatis, vehementiae & fervidioris ingenii habentem, ſed abiectam & humilem. *Orationem* vero, quae alias perſonarum eſt, neque h. l. a *ſtilo* diſiungenda, cui iungitur Andr. prol. 12. (ſermo enim perſonarum ſenſibus convenit) *tenuem*, nec *altam*, nec *copioſam*, ſed *nimium politam*, *extenuatam* dicebat. Ita ille virtutes Terentii in vitia

Quia nuſquam inſanum [1] ſcripſit [2] adoleſcentulum
Cervam [3] videre [4] fugere, et ſectari canes,
Et eam plorare, orare ut ſubveniat ſibi [5].
Quod ſi intellegeret, olim cum ſtetit nova,
Actoris opera magis ſtetiſſe, quam ſua [6];
Minu' multo audacter, quam nunc laedit, laederet.
Nunc ſi quis eſt, qui hoc dicat, aut ſic cogitet:
Vetus: ſi poeta non laceſſiſſet prior [7];

vertebat, cuncta ex ſe ſuoque ingenio, haud ſatis docto, non ex veriori fabularum indole, qua vitam quotidianam imitentur, iudicans.

1 Amore inſanientem, furioſum; quod tragicum eſt, & a Comoedia alienum. Apud Plaut. Men. V, 2, 60 ſqq. comice tantum adſimulatur inſaniens.

2 Reprehendit iam ſcripturam veteris poetae; & eſt *ſcripſit* h. l. idem ac *finxit*, quod ingenii & artificii eſt. Mox *adoleſcentulum* imminuit, ut in quem iſta parum conveniant.

3 Amicam ſcil. mutatam in cervam, Boeclero interprete. Virg. Aen. IV, 69 Didonem in urbe furentem aſſimilat cervae, telo coniectae, fugienti.

4 *φανταζεσθαι.* Sic etiam *ſomnia videre* dicimur, & Tac. Ann. II, 14 *vidit* pro *ſomniavit.*

5 Iam quoque ridendam praebet *orationem* in fabula Lanuvini, qui parum comice faciat cervam plorare, orare adoleſcentulum, ut &c.

6 Ita populum excuſat ob non exactam fabulam, actoribus blanditur, poetam exagitat.

7 *Prior* abundanter additum verbo.

Nullum invenire prologum [1] *potuiſſet novus*,
Quem diceret, *niſi haberet* [2], *cui malediceret;*
Is ſibi reſponſum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam [3], qui artem tractant muſicam.
Ille ad famem [4] hunc ab ſtudio ſtuduit reicere:
Hic reſpondere voluit, non laceſſere [5].
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene [6].
Quod ab illo allatum eſt, id ſibi eſſe rellatum putet.
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipſe de ſe [7] finem non facit.
Nunc [8] quid velim, animum attendite. apporto novam,

1 Cf. Heaut. prol. 11 ibique notata.

2 *Mire*, (inquit Don.) haberet : *quaſi dubium non ſit, maledicendum eſſe* Luſcio.

3 h. e. praemium omnibus ex aequo dari, ſ. uti Tac. H. IV, 74 *in communi ſitum*, ſ. uti idem l. c. 64 *in medium cedere.* Sed vetus poeta neminem alium eius participem fieri vult.

4 Opponitur palmae ſ. fructui; cf. Hec. prol. 22 ſq. Plaut. Capt. prol. 13.

5 Cf. Eun. prol. 6.

6 h. e. ei pariter bene dictum, ſ. laudatus a nobis fuiſſet. Oppoſita *male audire*, infra III, 2, 11 *aegre quidquam ex aliquo audire.* Hec. V, 1, 38, & Plaut. Pſeud. IV, 7, 77 *contumeliam ſi dices, audies.*

7 h. e. quantum ad ſe attinet, ſ. in ſe. Gravius eſt *de ſe*, quam *de ſuo* peccare. Al. male exponunt: de ſua voluntate ſ. ultro.

8 Deſinit iam eſſe orator

Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graece. Latine hic *Phormionem* nominat,
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio
Paraſitus [1], per quem res geretur maxume;
Voluntas voſtra ſi ad poetam acceſſerit.
Date operam, adeſte aequo animo per ſilentium;
Ne ſimili utamur fortuna, atque uſi ſumus [2],
Cum per tumultum noſter grex motus loco eſt [3],
Quem actoris virtus nobis reſtituit locum [4],

& incipit prologus.

1 Cic. pro Caec. c. 10 teſti huius nominis illudens dicit: *& argentarius Sex. Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio.* Geta, ſervus I, 2, 72 ſic de eo: *Homo confidens: qui illum Dii omnes perduint* &c. Cur vero *nigrum* dixit? an ut *improbum*, a quo cavendum ſit, aut quod moris fuerit, ut nigri paraſiti in ſcenam producerentur? Apud Athenaeum certe L. VI in Gubern. Alexis Comicus duplex facit paraſitorum genus, alterum vulgare eorum, qui μελανες *nigri* vocantur, alterum graviter adulantium, qui dicantur χιλιοταλαντοι.—Mox *geretur* h. e. ſuſtinebitur, imperatoris inſtar; cf. Varr. de L. L. V, 8. Et is non ſolum ipſe aget, ſed etiam per alios rem geret.

2 Fortunam mavult accuſare, quam populum.

3 Hinc coniicit Donatus Hecyram prius actam eſſe, in cuius prologo altero poeta id queritur pluribus.

4 Blanditur poeta actoribus, tum populo.

Bonitaſque voſtra adiutans, atque aequanimitas [1].

ACTUS I. SCENA I [2].

DAVUS [3].

AMicus ſummus meus, et popularis, Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula [4]
Iam pridem apud me relliquum pauxillulum
Numorum: id ut conficerem, confeci: affero.

1 *Bonitas* multum largitur; *aequanimitas* modum non egreditur, ſed tranquilla eſt, non plura poſtulat, quam aequum, nec detrahit de aliorum iure.

2 Poeta ad narrandum argumentum inducet Getam ſervum. Cum vero artis ſit, rem ita enarrare, ut iam agi videatur, & comoedia ſpectetur, προσωπον προτατικον ſ. perſonam extra argumentum, ante inducit alium ſervum. cui a tota fabula alieno, dum ille rem geſtam, e qua feretur fabula, aperit; populus ex continentia rerum ad ipſam fabulam, ab Actu II agendam, inſtruitur.

3 Cauſam adventus ſui in ſcenam alienus ſervus, tantum argumenti narrandi cauſa inductus, ſtatim indicat probabilem. Davus non malus & aſtutus, ſed ſimplex videtur.

4 Habebant enim Athenienſes ſervi *ſuum*, quod ſibi comparabant, *peculium*; ex quo aliquid dominis ſuis pendebant quotannis, atque etiam pro capite ſuo numerare poterant, ut ſervitutem exuerent. Iura ſervorum Athenis ſolutiora quare fuerint, explicat Xenoph. in rep. Ath.

Nam herilem filium [1] eius duxiſſe audio
Uxorem : ei credo munus hoc [2] conraditur.
Quam inique comparatum eſt ! ii qui minus habent,
Ut ſemper aliquid addant divitioribus [3].
Quod ille unciatim vix de demenſo [4] ſuo,
Suum defrudans genium, comperſit miſer,
Id illa univerſum abripiet [5], haud exiſtumans,
Quanto labore partum. porro autem Geta
Ferietur [6] alio munere, ubi hera pepererit [7]:

1 Scil. Antiphonem.

2 Munera haec, Graece *απαυλια*, dabantur novae nuptae in repotiis, & ab amicis, & a domeſticis.

3 Graecis vulgatam ſententiam extulit ſic Philemon: *Μισω πενητα πλουσιω δωρουμενον, Ελεγχος εστι της αχορταστου τυχης*, *Odi pauperem diviti dantem : Exprobratio eſt inſatiabilis ſortunae.*

4 Servi quaternos, ut Don. notat, (Seneca ep. 80 ſuo tempore *quinque* dicit) modios accipebant frumenti in menſem, l. ultimo menſis die, l. quotcalendis; idque dicebatur *demenſum* (al. *dimenſum*) Graece *αρμαλια* Heſ. dies penſ. I, 3; l. *σιτομετριον* Ev. Lucae 11, 42.

5 Magna virtus, inquit Don. paene in ſingulis ſyllabis. Quam contrariantur ſibi *ille* & *illa ; unciatim, vix, de dem.* & *in univerſum ; corraditur* & *abripiet ; comperſit miſer* &c. & *haud exiſt.*

6 Significanter ; ferietur ſervus, qui dum vel invitus dat munus, plagam accipit.

7 Quinto a partu die, ſ. luſtrico, qui Graecis dicebatur *αμφιδρομια*, infantem circum focum ferebant, currentes in circulum ; & mittebantur dona *κειμηλια* puerperis, a domeſticis & amicis. cf. Suidas voc. *αμφι-*

Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies;
Ubi initiabunt [1]: omne hoc mater auferet:
Puer cauſa erit mittundi [2]. ſed videon' Getam?

ACTUS I. SCENA II [3].

GETA, DAVUS.

G. SI quis me quaeret rufus [4]. *D.* praeſto eſt, deſine. *G.* oh!

δρομια, & Athen. IX, 2.

1 Non reſpicimus in fabula Graeca ad morem Romanum, ſed ad απατουρια, quorum tertio die (κουρεωτις dicto) a patribus, dum ſacra facerent, filioli ab anno nati, l. bimi, trimi, quadrimi offerebantur in album civium conſcribendi, ut ex ſe, iiſque Athenienſibus nati; ante quem diem pueri dicebantur απατορες. An is forſan natalis dies? Don. vult, Davum hoc uno verbo lentius pronuntiato innuere, ſe defeſſum enumerando occaſiones dandorum munerum; quod maxime ſit, ſi ad plures & diverſas initiationes reſpiciatur.

2 *Mittere* proprie dicitur de muneribus.

3 Ipſe iam Geta, egrediens e domo, mire oſtenditur Davo ſatagens, ſcil. & triſtis v. 7. Provocatus inde a v. 13 narrationem inſtituet, tum perſonarum imagines pulcherrime proferet, tum quae ab iis geſta ante ſcire oportet, ita narrabit, ut nihil brevius, nihil lucidius, nihil veriſimilius tota hac parte ſit; cuncta vero ſalibus comicis quaſi extrinſecus adſperſa videantur.

4 Comice Davum, quem abſentem putat, ſic notat;

At ego obviam conabar[1] tibi, Dave. *D.* accipe[2], hem
Lectum eſt, conveniet numerus, quantum debui.
G. Amo te[3], et non neglexiſſe habeo gratiam.
D. Praeſertim ut nunc ſunt mores[4]. adeo res redit:
Si quis quid reddit; magna habenda eſt gratia.
Sed quid tu es triſtis[5]? *G.* ego ne? neſcis, quo in metu, et
Quanto in periclo ſimus[6]. *D.* quid iſtuc eſt? *G.* ſcies,
Modo ut tacere poſſis. *D.*[7] abi ſis, inſciens[8]:
Cuius tu fidem in pecunia perſpexeris,

ſed mandare conſervo quae velit, deſinit impulſus a praeſente. Pleniorem dictionem ſimilem vid. Hec. I, 2, 1 ſq. Mox Getam, praeſente Davo, poenitebit ſimul *ruſum* notaſſe. Sed ſtatim ad rem venit.

1 ſ. cogitabam, intendebam ipſe.

2 Praevenit petitionem reddendo aere & probo & numerato; cf. Plaut. Perſ. III, 3, 33 & Pſeud. IV, 7, 50.

3 Ob meritum tuum; bene facis; cf. Eun. I, 2, 106.

4 Se ipſe quoque amat, laudatque ſe ſupra nunc homines honeſtum. Facete.

5 Vultus hic admonet, quomodo pronuntiaverit ante; notante Donato.

6 Ego cum ceteris, quos ego curo (herilem filium &c.)

7 Quam feliciter exprimit poeta naturam & ſermones hominum in ſqq.

8 *Inſciens* molliter dicit pro *ſtulto.*

Verere ei verba credere [1]? ubi quid mihi lucri eſt
Te fallere? *G.* ergo auſculta. *D.* hanc operam tibi dico.
G. Senis noſtri, Dave, fratrem maiorem, Chremem
Noſtin' [2]? *D.* quid ni? *G.* quid? eius gnatum Phaedriam?
D. Tamquam te. *G.* [3] evenit, ſenibus ambobus ſimul,
Iter illi in Lemnum ut eſſet, noſtro in Ciliciam
Ad hoſpitem antiquom. is ſenem per epiſtolas
Pellexit, modo non monteis auri [4] pollicens.
D. Cui tanta erat res et ſupererat [5]? *G.* deſinas:

1 Vide, quam ſibi placeat ob fidem in reddendo mutuo praeſtitam; & tamen curioſus eſt.

2 Incipit rerum narratio a perſonis, in quibus illae vertuntur. Brevius autem perſonarum notitiam efficit interrogando.

3 Conſtrue: evenit, ut ſimul eſſet ſen. amb. illi-noſtro.

4 Proverbialis hyperbole, pro *multa magnaque.* Plaut. Mil. IV, 2, 73 mire auget *argenti montes, non maſſas habet Aetna, non aeque altus eſt.* Sall. Cat. 23 *glorians maria monteſque polliceri coepit.* Sollennis ea eſt de glorioſis, & qui pollicitis divites ſunt.

5 Deeſt *eum pellexit;* (iſne ea aetate tam longum & periculoſum ſuſcepturus erat iter?)

Sic eſt ingenium [1]. *D*. oh, regem [2] me eſſe oportuit [3]!
G. Abeuntes ambo hinc tum ſenes me filiis
Relinquunt quaſi magiſtrum [4]. *D*. o Geta, provinciam [5]
Cepiſti duram. *G*. mi uſus venit [6]: hoc ſcio.
Memini, relinqui me deo irato meo [7].
Coepi advorſari [8] primo: quid verbis opu' ſt?
Seni fidelis dum ſum, ſcapulas perdidi [9].

1 int. Demiphonis. Huc facit dictum Biantis ap. Auſon. in ludo VII ſapientium: *Quis dives? qui nihil cupiat. Quis pauper? avarus.* Avari in dies plura avent.

2 h. e. potentem, opulentum; cf. Plaut. Capt. IV, 2, 45. Hinc paraſiti ſuos patronos vocant reges, ut infra II, 2, 24.

3 Deeſt l. non plura cuperem, l. divitibus non aliquid adderem, ſed pauperibus. Ita ſunt affecti pauperes, ut ſe ſolos uti divitiis ſcire putent, praedicent, ſi eas habeant.

4 Addit *quaſi*, quia iam ex ephebis exceſſerant; cf. Andr. I, 1, 27. Monitorem tamen filiis relinqui oportuit.

5 Magnifice ſic dicit pro *officio*. Blandiuntur ſibi & ſervi.

6 Plenius vid. infra III, 5, 20.

7 *Deus meus* eſt genius; in viris, (uti *Iuno mea* in feminis) quem homini appoſitum tutelarium fingebant, nunquam alias ab eo abſcedere. Hinc proverbialis hyperbole. Auget magis Plaut. Poen. II, 4 *Dis meis iratiſſimis.*

8 Adoleſcentibus, Antiphoni & Phaedriae.

9 Dum ſeni fidem *ſervo*,

Rogamus, quid ſit [1] : nunquam aeque, inquit; ac modo
Paupertas [2] mihi onus viſum eſt et miſerum et grave.
Modo quandam vidi virginem hic viciniae
Miſeram, ſuam matrem lamentari mortuam [3].
Ea ſita erat ex advorſo [4] : neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam [5],
Quiſquam aderat, qui adiutaret funus [6]. miſeritum eſt [7].
Virgo ipſa facie egregia, quid verbis opu' eſt?
Commorat omnes nos. ibi continuo Antipho [8],
Voltiſne eamus viſere? alius [9], *cenſeo*,

1 Int. *quod lacrumet.*

2 Ex hac mentione paupertatis, int. virginis amabilis, Don. putat praeparari cauſam fallaciae Phormionis.

3 Bene nuntiatur mors, quae valebit ad exitum comoediae. Fuit enim iſta mater virginis, ſuperducta Chremetis bigami uxor. cf. Act. IV, 5, 23 & V, 9, 74 & ſc. 10, 30.

4 Collocari ſolebant mortui in atrio, verſis in portam pedibus.

5 Quae infra IV, 5 cognoſcetur a Chremete eſſe nutrix filiae, Sophrona.

6 ſ. una curaret funus; uti Andr. I, 1, 81.

7 Int. eius. Brevitate magis afficit narratio adoleſcentis, qui ipſe affectus eſt.

8 Antipho diſerte nominatur, qui princeps erit in hac re.

9 Scil. Phaedria.

Eamus, duc nos ſodes. imus [1], venimus;
Videmus : virgo pulchra; et quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem [2] :
Capillus paſſus, nudus pes; ipſa horrida [3];
Lacrumae; veſtitus turpis; ut, ni vis boni [4]
In ipſa ineſſet forma, haec formam [5] extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam [6], tantummodo,
Satis, inquit, *ſcita eſt :* noſter vero. *D.* iam ſcio :
Amare coepit. *G.* ſcin' quam [7]? quo evadat [8], vide.

1 Mirari perge breviloquentiam narratoris ἀσύνδετον. Quinctil. IV, 2, 40 hanc *partium brevitatem* dicit *longam efficere ſummam.*

2 Cf. Heaut. II, 2, 47 ſqq. A concitatiori hac mirantis oratione pulchrius demonſtratur, quaſi δραματι, virgo pulchra, quam ſi narraſſet : *videmus virginem p.*

3 h. e. omnis nitoris expers in lugubribus ſordibus fere iacebat.

4 h. e. proprius & potens ſplendor; cf. Propert. I, 2 & II, 4, 28.

5 Don. obſervat, veteres dixiſſe ignem & calorem quendam, quaſi fervorem, *formam :* & *formus, a, um*, habet notionem calidi. cf. Geſn. in theſ.

6 Obiter Phaedriam adducit, qui laudans tantum formae ſpeciem, eius ignes non ſenſit animo, alterius amore occupatus.

7 Ἀποσιώπησις ſuccurrit, ubi verba rebus minora ſunt. Quam vehementer amore captus fuerit, vide ex iis, quae dein evenerunt.

8 Quaſi per obſtantia.

Poſtridie ad anum recta pergit: obſecrat,
Ut ſibi eius faciat copiam. illa enim [1] negat:
Neque eum aequom ait facere [2]: illam civem eſſe Atticam,
Bonam, bonis prognatam [3]: ſi uxorem velit,
Lege id licere facere [4]: ſin aliter, negat.
Noſter, quid ageret, neſcire: et illam ducere
Cupiebat, et metuebat abſentem patrem.
D. Non, ſi rediſſet, ei pater veniam daret [5]?
G. Ille indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. *D.* quid ſit denique?
G. Quid fiat [6]? eſt paraſitus quidam Phormio [7],

1 h. e. autem; & int. *ſe facturam eſſe*.

2 Int. hoc petendo.

3 Tria ſunt, ob quae iniquum puellae, quamvis pauperi illudere; & a quibus commendari poterat ad nuptias: 1) civis virgo; qua ut meretrice abuti peccatum magnum erat; immo legibus cautum iis, ne quid turpe civis in ſe admitteret propter egeſtatem, cf. infra III, 2, *66--69* & Adelph. IV, 5. Eun. V, 2, 18. tum legibus civi nonniſi civem ducere l. ei nubere licebat. 2) bona erat; aliena igitur ab arte meretricia, & quam quis ſibi optet uxorem. 3) bonis orta; & *dos eſt magna parentium virtus*. Hor. Od. III, 24, 21.

4 Orba quidem fuit, quam ducere non licebat alieno; ſed anus, patre virginis nondum explorato, ad id conſilii progreſſa eſt.

5 Interrogatio facit, ut Geta etiam ingenium ſenis quam breviſſimis, ſed graphice ſignificet.

6 Int. rogas.

7 Per quem res geretur

Homo confidens, qui [1], illum dii omnes perduint!
D. Quid is fecit? *G.* hoc conſilium, quod dicam, dedit [2]:
Lex eſt, ut *orbae, qui ſint genere proxumi,*
Iis nubant [3]; et *illos ducere* [4] eadem haec lex iubet.
Ego te cognatum dicam, et tibi ſcribam dicam;
Paternum amicum me aſſimulabo virginis:
Ad iudices veniemus: qui fuerit pater,
Quae mater, qui cognata tibi ſit, omnia haec
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum [5],
Cum tu horum nihil refelles, vincam ſcilicet.
Pater aderit: mihi paratae lites. quid mea [6]?

maxime; vid. Prol. v. 28 ſq. In eo abſolvit Geta pinacothecam ſuam.

1 Iunge, quae mox pergit--*hoc conſ. dedit.* Dum id meminit Geta, cohorrens in diras erumpit; unde excitatior Davus rogat. In hoc enim conſilio omnis fabula vertitur. Spectatores igitur excitari debuerunt.

2 A perſonarum deſcriptione ad argumenti praecipuum ſ. rem a perſona principe geſtam tranſit, narrando ipſius verbis, quae a Phormione conſtituta ſint.

3 Cf. Ind. voc. *Epidicazomenon.*

4 Int. orbas.

5 Senſum dicti proferre iubet: quod mihi bonum erit, tu nil refelles, & cum ſic facies, vincam. Don. aberrat a ſenſu, cum id ioculariter praefatum eſſe velit a Phormione, inſtar illius *quod felix fauſtumque ſit.*

6 Quod Antiphoni formidabile eſt, id paraſito ri-

Illa [1] quidem noſtra erit. *D.* iocularem audaciam [2]!

G. Perſuaſum eſt homini [3]. factum eſt [4]: ventum eſt [5]: vincimur:

Duxit [6]. *D.* quid narras [7]? *G.* hoc, quod audis. *D.* o Geta,

Quid te futurum eſt [8]? *G.* neſcio hercle: unum hoc ſcio:

Quod fors feret, feremus aequo animo. *D.* places:

Hem, iſtuc viri eſt officium [9]. *G.* in me omnis ſpes mihi eſt [10].

diculum; cf. quae de ſe narrat III, 1, 8 ſqq.

1 Sitne cum Eugr. & Dacieria, virgo, quam ſcil. poſt nuptias mittere nolit Antipho, honeſtus adoleſcens; an *lis* ipſa? Sic Plaut. Caſ. II, 8, 73 *noſtra omnis lis eſt.*

2 h. e. quae multis riſum moveat.

3 Comice pro *Antiphoni.*

4 Scripta eſt dica.

5 Int. ad iudices.

6 Scil. eam uxorem Ant.

7 Admirantis magis eſt, quam rogantis.

8 Cum miſeratione pronunciat; ſed Geta rei deſperatae fortem animum opponit, ne res tota migret in tragoediam.

9 Iam quoque aſſentando quaſi conſolatur.

10 Haec in rebus adverſis addit vires, redditque actuoſum. Et ſic ſpectatoribus ſpes ſit, omnium rerum comicum fore exitum; cf. Eun. II, 2, 9.

D. Laudo. *G*. ad precatorem adeam? credo, qui mihi [1]
Sic oret: *nunc amitte quaeſo hunc: ceterum*
Poſthac ſi quidquam [2], *nihil precor;* tantummodo
Non addat: *ubi ego hinc abiero, vel occidito.*
D. Quid paedagogus ille, qui citthariſtriam [3]?
Quid rei gerit [4]? *G*. ſic, tenuiter. *D*. non multum habet,
Quod det fortaſſe. *G*. immo nihil, niſi ſpem meram.
D. Pater eius rediit, an non? *G*. nondum. *D*. quid? ſenem

1 Pro me. Iam aſpernatur ignaviam ſervilem, qua quis in re deſperata precatorem ſibi paret; cf. Heaut. V, 3, 16 ſq.

2 Ellipſis; & int. admiſerit, cf. Eun. V, 2, 14 & Plaut. Caſ. V, 4, 21 ſqq. Precatores vero ſolent praeſentia tantum mitigare, futura permittere; quod quidem Geta deridet.

3 Int. ſectatur l. amat. Poſt narratam argumenti principalem partem ſuperarant, quae ad Phaedriae amorem ſpectarent, & dialogo plane nativo exponuntur. Pulchre vero dicit Geta, haud ei ſpem eſſe ab argento, cum nil habeat, ſed ex iis, quae inſperato eveniant. Atque tale eveniet artificio Phormionis, ſed cum metu ſummo Antiphonis, Actu IV, in ipſo fabulae nodo. *Paedagogum* Davus comice vocat Phaedriam.

4 ſ. an ei amor ſuccedit; cf. Eun. V, 4, 1.

Quoad [1] exſpectatis voſtrum? *G.* non certum ſcio:
Sed epiſtolam ab eo allatam eſſe audivi modo [2], et
Ad portitores eſſe delatam: hanc petam.
D. Numquid Geta aliud me vis? *G.* ut bene ſit tibi [3].
Puer, heus! nemon' huc prodit? cape [4], da hoc Dorcio.

ACTUS II[5]. SCENA I[6].

ANTIPHO, PHAEDRIA.

A. ADeon' rem rediſſe, ut, qui mihi conſultum optume velit eſſe,

1 h. e. ad quod tempus; ſ. quando is adventurus eſt?

2 Sed ipſe mox inopinatus adveniet.

3 Formula valedicendi.

4 Puero tradit argentum a Davo redditum. Mox *Dorcium* nomen mulieris, quae Getae uxor videtur.

5 Vulg. Act. I, Sc. 3. Sed vid. in fine.

6 Habet haec ſcena collationem duorum adoleſcentum, qui inter ſe contendunt, uter altero magis miſer ſit, iſne, qui amatam habet, ſed a patre metuat de amore amittendo; an is, cui nondum amor ſucceſſit, ſed eius mittendi poteſtas ſit. Ut ſunt homines; quemque ſui poenitet. Ille quidem praeparat fugam ab aſpectu patris, huius confidentia ſignificationem habet boni defenſoris futuri.

Phaedria, patrem ut extimeſcam [1], ubi in mentem eius adventi [2] venit?
Quod ni [3] fuiſſem incogitans, ita eum exſpectarem, ut par fuit.
P. Quid iſtuc [4]? *A.* rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conſcius
Sis? quod utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet,
Neu me cupidum eo [5] impuliſſet, quod mi principium eſt mali.
Non potitus eſſem; fuiſſet tum illos mi aegre aliquot dies [6]:
At non quotidiana cura haec angeret animum. *P.* audio [7].
A. Dum exſpecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi conſuetudinem [8].

1 Qui peccarunt, magis metuunt eos, a quibus maxime diliguntur.

2 Genit. antiquus.

3 Elegans pleonaſmus pro *niſi;* uti mox *quod utinam.*

4 Phaedria extenuare volens metum Antiphonis, ignarum, unde ipſi tanta ſollicitudo eſſe poſſit, ſimulans, cauſam rogat.

5 Scil. in nuptias.

6 Vide, quam adoleſcentes ſint prudentes poſt peccata. Et ſane primam cupiditatem facilius eſt vincere, quam conſuetudinem.

7 Indignantis ſ. irridentis; quod Antiphonem fortunae ſuae poenitere videatur.

8 Amatorie maxime haec dicit, e quibus videas, honeſtum iuvenem non poenitere amoris, ſed maritum firmum fore.

P. Aliis, quia deſit quod amant, aegre eſt: tibi, quia ſupereſt, dolet [1].
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certe vita haec expetenda optandaque eſt.
Ita me dii bene ament [2]: ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui,
Iam depeciſci morte cupio [3]. tu coniicito cetera [4],
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, et quid tu ex iſtac copia:
Ut ne addam, quod ſine ſumptu, ingenuam, liberalem [5] nactus es:

1 Phaedria, ex ſe ſuaque libidine coniiciens cuncta, irridet timido. Aſſimulat vero amorem appetitui ſtomachi. Stomacho aegre eſt ex fame, quam nulla copia relevat. Ille abundans copia & immoderatus dolet. Hic ſe ex inopia amoris infeliciorem praedicat.

2 Iurat neceſſario, quia quod dicturus eſt, nonniſi de amatore, qualis ipſe eſt, credi poſſit.

3 Amoris fructum, quantum tu iam cepiſti, ad mortis conditionem, duriſſimam certe, depeciſci velim. Sed meliorem mentem prodiderat iam Antipho, cui voluptas erat e conſuetudine uxoria.

4 Scil. quae iam ipſe ſignificat, meum infortunium, meaſque ex eo curas, tuamque fortunam.

5 h. e. civem, eamque bonam, qualem decet eſſe ingenuam, boniſque ortam. Singula vero, & dein *ha-*

Quod habes, ita ut voluiſti, uxorem, ſine mala fama [1]: palam
Beatus, ni unum deſit, animus qui modeſte iſtuc ferat.
Quod ſi tibi res ſit cum eo lenone, quocum mihi eſt, tum ſentias.
Ita plerique ingenio ſumus omnes: noſtri noſmet poenitet [2].
A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus [3], Phaedria,
Cui de integro eſt poteſtas etiam conſulendi, quid velis;
Retinere amorem, an amittere [4]: ego in eum incidi infelix locum,

bes uxorem, habes *ſine mala ſama*, diverſa facit ab amore ſuo.

1 Scil. tua. Ad adoleſcentes pertinet *fama*, & eſt *mala* ex libidine; cf. infra II, 3, 40. Andr. I, 1, 72, II, 6, 13. Heaut. II, 2, 93 & 110. Ad. II, 3, 10. Hec. V, 1, 31. Virginum *vita* domi erat, nulla *fama*. Et iam liberalem laudaverat noſter. An igitur Dacieria verum vidit, dum id dictum de Phanio velit, ut de qua fama mentiri vereatur?

2 Cupita nobis diſplicent, poſtquam potiti ſumus. P. Syrus id plenius effert: *Aliena nobis, noſtra plus aliis placent.*

3 Beatus erat Ant. ſi ei metum adimeres. Fortunatus Phaedr. cui &c. ſed non beatus amore.

4 *Mittimus* volentes; *an mittimus* inviti.

Ut neque mihi eius ſit amittendi, nec retinendi copia [1].
Sed quid hoc eſt? videon' ego Getam currentem huc advenire [2]?
Is eſt ipſus. hei, timeo miſer, quam hic mihi nunc nuntiet rem.

ACTUS II. SCENA II [3].

GETA, ANTIPHO, PHAEDRIA.

G. NUllu' es, Geta, niſi iam aliquod tibi conſilium celere repperis.
Ita ſubito nunc imparatum tanta te [4] impendent mala:

1 Vero amore & conſuetudine devinctus non invenit, quo a ſe amittat; neque, uti retineat, ſcit, ſi pater eam nolit.

2 Iam turbae incipiunt a nuntio de patris adventu.

3 *In hac ſcena* (inquit Don.) *ſervi currentis officium eſt, tendens ad perturbationem Antiphonis.* Hic patris reverentia, ſuique peccati conſcientia victus fugiet, a patre abſuturus uſque ad καταστροφήν. Phaedria confidentior cum Geta reſtant, illius ap. patrem defenſores.

4 Caſum quartum antique ſic verbo iungi volunt, & illuſtrant ex Lucilii fragm. incerti libri; *quae res me impendet* &c. Sed Feſtus adnotat: me *pro* mihi *dicebant antiqui.* Quidni potius legas *mî?* Ter. h. l. expreſſit ſimilem locum Plauti Epid. I, 1, 75 ſq. ubi dicitur:

Quae neque uti devitem, ſcio, neque quomodo me inde extraham.
Nam non poteſt celari noſtra diutius iam audacia.
A. Quidnam ille commotus venit?
G. Tum, temporis punctum mihi ad hanc rem eſt: herus adeſt.
A. Quid iſtuc mali eſt [1]?
G. Quod cum audierit [2], quod eius remedium inveniam iracundiae?
Loquarne? incendam; taceam? inſtigem; purgem me? laterem lavem [3].
Eheu me miſerum! cum mihi paveo, tum [4] Antipho me excruciat animi:
Eius me miſeret: ei nunc timeo: is nunc me retinet. nam abſque eo
Eſſet, recte egomet mihi vidiſſem [5], et ſenis [6] eſſem ultus iracundiam:

Tantae in te *impendent ruinae.* Itaque *te* caſum ſextum habeas.

1 Sic Ant. prae timore, non, quaſi iam audiſſet de adventu patris, quod Donatus putat.

2 Scil. herus ſ. ſenex.

3 Proverbium. Graecorum πλινθȣς πλυνειν; idem eſt, ac *operam perdere.* Later, qui proprie eſt ad ſolem ſiccatus, (coctus enim dicitur *teſta*) dum lavatur, in lutum reſolvitur.

4 *Tum* plus ſonat, quam *cum.* Hinc approbat maxime fidem ſuam Antiphoni, quem haec audire neſcit ſervus.

5 h. e. providiſſem.

6 Odioſe ſic herum di-

Aliquid convaſaſſem, atque hinc me coniicerem protinam in pedes.
A. Quam hic fugam aut furtum parat?
G. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quaerere inſiſtam via?
P. Te nominat [1]. *A.* neſcio quod magnum hoc nuntio exſpecto malum.
P. Ah, ſanu' ne es?
G. Domum ire pergam: ibi plurimum eſt [2]. *P.* revocemus hominem. *A.* ſta illico. *G.* hem!
Satis pro imperio, quiſquis es. *A.* Geta. *G.* ipſe eſt, quem volui obviam.
A. Cedo [3], quid portas [4], obſecro? atque id, ſi potes, verbo expedi.
G. Faciam. *A.* eloquere. *G.* modo apud portum [5]. *A.* meumne? *G.* intellexti. *A.* occidi! *P.* hem!
A. Quid agam? *P.* quid ais? *G.* huius patrem vidiſſe me, patruum tuum.

cit; & *iracundiam* a moribus.

1 Iam audiri clarius coepit Geta, qui antehac tantum viſus eſt perturbationis plenus. Et creſcit metus Antiphonis in pavorem.

2 Apud uxorem.

3 Pavidus propere ſibi malum nuntium impertiri vult, velut qui fugere velit.

4 Magna *portantur.*

5 Geta anxius & anhelus minutatim reſpondet.

A. Nam quod ego huic nunc ſubito exitio remedium inveniam miſer?
Quod ſi eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut diſtrahar:
Nulla eſt mihi vita expetenda [1]. *G.* ergo iſtaec cum ita ſint, Antipho,
Tanto magis te advigilare [2] aequom eſt. *fortes fortuna adiuvat* [3].
A. Non ſum apud me. *G.* atqui opus eſt nunc cum maxume, ut ſis, Antipho:
Nam ſi ſenſerit te timidum pater eſſe, arbitrabitur
Commeruiſſe culpam. *P.* hoc verum eſt. *A.* non poſſum immutarier.
G. Quid faceres, ſi aliquid gravius tibi nunc faciendum foret?

1 Tragicus amator deſperat.

2 Scil. defendendae ap. patrem noxiae; cf. infra v. 44 & 48.

3 *Ut eſt in vetere proverbio* (addit Cic. Tuſc. II, 4.) *ſed multo magis ratio, quae quibuſdam quaſi praeceptis confirmat vim fortitudinis.* Idem de Fin. III, 4 elliptice *Fortuna fortes.* Sed fugiebat iam ratio amatorem verum, eundemque filium verecundum, eoque nunc pavidum. Itaque fruſtra monebitur, praeparabitur ſimulandi neſcius.

A. Cum hoc non poſſum, illud minus poſſem [1]. *G*. hoc nihil eſt [2], Phaedria : ilicet.
Quid hic conterimus operam fruſtra? quin abeo. *P*. et quidem ego. *A*. obſecro [3] :
Quid ſi aſſimulo? ſatin' eſt ? *G*. garris. *A*. voltum contemplamini. hem,
Satine ſic eſt ? *G*. non. *A*. quid ſi ſic? *G*. propemodum. *A*. quid ſic? *G*. ſat eſt :
Hem, iſtuc ſerva : et verbum verbo, par pari ut reſpondeas [4],
Ne te iratus ſuis ſaevidicis dictis protelet. *A*. ſcio.
G. [5] Vi coactum te eſſe invitum, lege, iudicio : tenes ? .

1 Sic plane rumpit argumenta, quibus eum ad fortitudinem adduci cupiunt. At ea non venit ab argumentis, ſed eſt ab animo. Itaque mox ſe eum deſerturos minantur uterque audentior Geta & Ph.

2 Quod de eo ſperabamus, nihil eſt. cf. Heaut. III, 6, 5. Don. & Daceria nugantur, dum *hoc* contemtim dici putant, pro *hic Ant. nihil eſt.*

3 Territus expergiſcitur; ſed quamvis obnitatur pavori, nil promovebit. Cum non animum confidentem induere valeat, fruſtra vultum aſſimulat, magiſque ut retineat abiturientes, quam ut ipſe audeat. Itaque comici dantur ludi in triſtitia.

4 Non ſolum verbum verbo, ſed etiam rationes pares rationibus regerere iubet prudens artifex ſ. Geta ſ. poeta. Exemplum praebebit Phaedria ſc. ſq.

5 Mira brevitate praeci-

Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea? *A.* ipſus eſt.
Non poſſum adeſſe [1]. *G.* ah [2]! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. *A.* egomet me novi [3], et peccatum meum [4]:
Vobis commendo Phanium [5], et vitam meam.
P. Geta, quid nunc fiet [6]? *G.* tu iam lites audies;
Ego plectar pendens, niſi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id noſmet ipſos [7] facere oportet, Phaedria.

pit, quibus rationibus ad defendendam noxiam utatur. Eaſdem praemeditatur ſenex ſc. ſq. v. 6 & 7. Int. vero h. l, *reſpondeas v. c. t. e.* h. e. invitum feciſſe; *lege*, ex qua proximus genere teneatur ducere orbam; *iudicio*, in quo cauſa maxime vertebatur, an ſc. Antipho proximus ille. Mox *tenes* exquiſite addit Geta, ut appareat, Antiphonem vultu oſtendere, ſe perturbatum hoc non agere.

1 Patre viſo ingenuus adoleſcens metu fugit.

2 *Ah* dolentis eſt; cetera revocantis verba ſunt.

3 Timidum.

4 Quod ſe in iudicio vinci paſſus erat, ad nuptias faciendas.

5 Amatori viro uxor prior eſt, quam vita ſua.

6 Phaedria conſilii expers, ſed promptus Geta illi callide animum addit, ut prior cauſam ſuſcipiat: Tibi verba tantum parata erunt, mihi verbera; cf. Heaut. II, 2, 115.

7 Se ſocium tamen pollicetur; hinc confidentior erit Phaedria.

P. Aufer mihi [1], *oportet:* quin tu, quid faciam, impera.
G. Meminiſtin', olim ut fuerit voſtra oratio [2]
In re incipiunda ad defendendam noxiam [3],
Iuſtam illam cauſam, facilem, vincibilem, optumam [4]?
P. Memini. *G.* hem, nunc ipſa eſt opus ea [5], aut, ſi quid poteſt,

1 Is *mihi* redundat pulchre; cf. infra V, 8, 18. Quanto levior eſt mente, hoc audaciorem ſe praebet Phaedria.

2 *Oratio* h. l. maxime *argumenta* notat, quibus inventis verba aptantur.

3 h. e. ad eam ab Antiphone tranſmovendam in patronum mulieris, qui in ſe omnem iram ſenis derivare promiſerat; cf. ſupra I, 2, 83 & infra III, 1, 8 ſq.

4 Alterum conſilii & orationis compendioſae exemplum exhibet Geta. Iam vero maxime inſtruit ad id, quod pronum videri poterat in noxia, defendendam ſcil. ad cauſam in iudicio diſceptatam. Erat vero *iuſta*, Phanii, quae lege nitebatur; 2) *facilis*, illius patrono agendi perito & callido; 3) *vincibilis*, ob imperitiam & pudorem Antiphonis; 4) *optima*; favore enim ſummo iudicum utebantur orbae, quibus ſic provideri honeſtum videbatur, ſ. iudices invidia, ſ. miſericordia permoverentur. Hanc ſingulorum vim intelligimus ex iis, quae Phaedria dicet ſc. ſq. v. 40—47 & conſilio illo Phormionis, in quo notamus paribus reſpondentia. 1 *Lex eſt* &c. 2 *Ego te—confingam.* 3 *Tu nihil refelles.* 4. *Vincam ſcilicet.* Interpp. ad unum omnes nihil horum viderunt.

5 Int. oratione.

Meliore, et callidiore. *P.* fiet ſedulo.
G. Nunc prior adito tu [1]: ego in inſidiis [2] hic ero
Succenturiatus, ſi quid deficias. *P.* age [3].

ACTUS II. SCENA III [4].

DEMIPHO, GETA, PHAEDRIA.

D. Itane tandem uxorem duxit Antipho iniuſſu meo?

1 l. *eum;* l. potius *contra eum*, uti Plaut. Rud. I, 4, 22 h. e. obviam ito. Don. ait *quaſi ad proelium;* ut Virg. Aen. V, 378. Et ſane pericula adeuntur in proeliis; & ſqq. tranſlata a re militari.

2 Si *inſidiis* praeponitur praepoſitio *in* l. *ex*, haud notant quamcunque rationem nocendi occultam; ſed locum occultum, unde *inſidiae* ſ. impetus fiat; quod bene docet Geſn. in theſ. cf. Plaut. Caſ. II, 7, 13. Igitur Geta in occulto erat, donec ſuccederet novus aggreſſor. Magnifice vero & iocoſe utitur ſermone militari ad exhilarandum & augendum animum Phaedriae.

3 h. l. non hortantis ſit, quod Don. innuit, ſed reſpondentis magnifice iocanti, & a verbis ad rem tranſituri; fere uti illud *age inepte.* Dacieria vertit cum Don. *ſais:* nos *allés.*

4 Scena iurgium continet, accuſationem & defenſionem exhibet. Quaeſtio omnis eo redit, an in culpa ſit filius. Ipſe vero ſenex ſecum ita proludit, ut ipſe, quod ad priora duo argumenta: *invitus feci: lex coegit*, concedat, nihilque ſuccenſeat, quam quod filius in iudicio cauſam tradidiſſet adverſariis. Poſt primas igitur ambages diſceptationis

Nec meum imperium: age mitto imperium: non ſimultatem meam
Revereri ſaltim? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! *G.* vix tandem [1]. *D.* quid mihi dicent? aut quam cauſam reperient?
Demiror [2]. *G.* atqui repperi iam: aliud cura. *D.* an hoc dicet mihi?

in tertio verſabitur, ut prius Phaedria, cauſam Ant. iuſtam, facilem, vincibilem, optimam paucis, ſed callide probet, ſenemque a iurgio in lites cum Phormione deiiciat. Impulſum tum ſenem excipit alter artifex, ex inſidiis in eum irrumpens, cuius ut ſervi partes agendi in iſto iudicio nullae eſſe poterant, ita hunc ſenex adoritur, quod non dotem potius, quod lex permittebat, dandam curaverit. Sed & ſervus, uti facete culpam a ſe in ſenis avaritiam avertet, ita ſenem facilius profligabit. Et is ſic tandem deiicitur, quo voluerant, ſcil. in rixas cum Phormione, homine confidenti & verſuto; qui illum conficiet. Non potuit autem vehementius incipere Dem. ſtatim in adventu ſuo de nuptiis filii certior factus, quam mirando admiſſum a filio. Sed vide etiam, patrem crimen magis arceſſere ab imperii paterni negligentia, quam a re ipſa, in qua nil mali erat, praeterquam quod indotata fuit. Id animo magis dolet. Sed quod ad ipſum iurgium, audiamus potius obſervatorem intelligentem & facetum, ipſum Getam, in inſidiis poſitum.

1 Int. mei meminit.

2 C. neſcio.

Invitus feci : lex coegit. audio, fateor [1]. *G.* placet.
D. Verum ſcientem, tacitum cauſam tradere adverſariis,
Etiamne id lex coegit? *P.* illud durum [2]. *G.* ego expediam [3] : ſine.
D. Incertum eſt, quid agam, quia praeter ſpem, atque incredibile hoc mihi obtigit:
Ita ſum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum inſtituere [4].
Quamobrem omnes, cum ſecundae res ſunt maxume, tum maxume
Meditari ſecum oportet, quo pacto advorſam aerumnam [5] ferant :
Pericla, damna, peregre rediens ſemper ſecum cogitet,
Aut filii peccatum [6], aut uxoris mortem, aut morbum filiae :

1 Ex parte cedit ſenex. Levabitur igitur parte defenſionis Phaedria.

2 Atque id tamen molliturus eſt Phaedria.

3 Int. te; ſcil. Phaedriam. cf. Andr. III, 5, 11.

4 Abſceſſit iam aliquantum irae, dum ſe iratum ſenſit; & commentando ea, quae & ſibi praecepta putat, paulatim eo recedet, ut dein verbum verbo, par pari reſpondere queat Phaedria.

5 *Adv. aer.* nobis videtur, quae a fortuna obiicitur, extrinſecus nobis advenit. Alia comes eſt laborum. Donato videtur abundare *advorſam.* Nobis augere rem videtur Demipho.

6 Iam quaſi deſcendens ad ſuum caſum, lenius de-

Communia eſſe haec: ne quid horum unquam animo accidat novum:
Quidquid praeter ſpem eveniat, omne id deputare [1] eſſe in lucro.
G. O Phaedria, incredibile quantum [2] herum anteeo ſapientia.
Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda: heru' ſi redierit;
Molendum [3] uſque in piſtrino, vapulandum, habendae compedes,
Opus ruri faciundum. horum nil quidquam accidet animo novum.
Quidquid praeter ſpem eveniet, omne id deputabo eſſe in lucro.
Sed tu quid ceſſas hominem adire, et blande in principio alloqui?
D. Mei fratris video filium mi ire obviam.
P. Mi patrue, ſalve. *D.* ſalve. ſed ubi eſt Antipho [4]?

ſignat, quod ſupra v. 3 *ſac. audax* dixerat.

1 Scil. *oportet*, quod ex v. 12 repetendum.

2 ſ. mirum quantum. Comice autem Geta ſua facit, quae Demea nunc ſero meditatus eſt, extenuatque, *incommoda* potius, quam *poenas* l. *aerumnas* vocando, quae ſibi ſervo metuenda ſint, ut ſic ipſe fortis viſus forti Phaedriae attollat animum.

3 Int. mihi eſt.

4 Promptus iurgandi cum filio, blandas ambages Phaedriae abrumpere vult. Sed

P. Salvom venire... [1] *D.* credo: hoc reſponde mihi.

P. Valet: hic eſt: ſed ſatin' omnia ex ſententia [2]?

D. Vellem quidem [3]. *P.* quid iſtuc? *D.* rogitas, Phaedria [4]?

Bonas me abſente hic confeciſtis nuptias.

P. Eho, an id ſuccenſes nunc illi? *G.* o artificem probum!

D. Egone illi non ſuccenſeam? ipſum geſtio

Dari in conſpectum, nunc ſua culpa ut ſciat

Lenem patrem illum factum me eſſe acerrimum.

P. Atqui nil fecit, patrue, quod ſuccenſeas.

D. Ecce autem ſimilia omnia: omnes congruunt:

Unum cognoris, omnes noris. *P.* haud ita eſt.

D. Hic eſt in noxia, ille ad defendendam [5] adeſt:

Cum ille eſt, hic praeſto eſt: tradunt operas mutuas.

G. Probe horum facta imprudens depinxit ſenex.

D. Nam ni haec ita eſſent, cum illo haud ſtares, Phaedria.

---

1 int. gaudeo. Interpellat ſtatim Demea.

2 int. evenerunt.

3 Cum geſtu dolentis ita negat.

4 Iam eo devenit, quo hic etiam coercebit tamen. voluerat Phaedria, defenſor Antiphonis. Pugna initur. Ex Getae bonis verbis videas, quomodo ſe geſſerit Phaedr.

5 h. e. depellendam.

P. Si eſt, patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit [1],
Ex qua re [2] minus rei foret aut famae temperans [3];
Non cauſam dico, quin, quod meritus ſit, ferat.
Sed ſi quis forte malitia [4] fretus ſua,
Inſidias noſtrae fecit adoleſcentiae,
Ac vicit, noſtrane culpa ea eſt, an iudicum?
Qui ſaepe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter miſericordiam addunt pauperi.
G. Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui.
D. An quiſquam iudex eſt, qui poſſit noſcere
Tua iuſta [5], ubi tute verbum non reſpondeas,
Ita ut ille fecit? *P.* functus adoleſcentuli eſt
Officium liberalis [6]; poſtquam ad iudices

1 Vide, quam ſubtiliter defenſionem ingreditur. Primo crimen aliquod ſubeſſe concedit quaſi, ſed dein illud ab Antiphone dimovet in actorem, l. etiam iudices.

2 h. e. *ex hoc* (ob id) quia; cf. Andr. II, 5, 34; ſ. *ex hoc, quod.* Itaque neque cum Don. invenuſte inſertum *re*, cum praecedat *culpa*, putamus, neque cum Mer. Caſaub. aliiſque πλοκὴν Terentio, in vocis *rei* duplici ſenſu quaeſitam, minute affingimus.

3 h. e. quod ducendo neque dotatam, neque nobilitate parem, parum rei fam. neque honeſtati ſui generis conſuluiſſet.

4 Verſuta & fallaci ratione nocendi; (cf. Cic. de nat. D. III, 30) quae in foro ſaepe admittitur.

5 Diſertius ſic dicit, quam iura; cf. Ad. IV, 6, 26.

6 Quod pater filio tan-

Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obſtupefecit pudor.
G. Laudo hunc: ſed ceſſo adire quamprimum ſenem?
Here, ſalve: ſalvom te adveniſſe gaudeo. *D*. oh,
Bone cuſtos, ſalve; columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
G. Iam dudum te omnes nos [1] accuſare audio,
Immerito, et me omnium horunc' immeritiſſimo.
Nam quid me in hac re facere voluiſti tibi?
Servom hominem [2] cauſam orare leges non ſinunt:
Neque teſtimonidictio [3] eſt. *D*. mitto omnia [4]:
Addo iſtuc: imprudens timuit adoleſcens: ſino:
Tu ſervus: verum ſi cognata eſt maxume,

dem unum obiecit, id Phaedria ita defendet, ut etiam, officii nomine, ad laudem Antiphonis convertatur. Ita omnem iram ſenis a filio in patronum mulieris derivavit; audetque Geta prodire, ſane confidenter.

1 Scil. Antiphonem, Phaedriam, & ipſum Getam.

2 Sic Plaut. Aſin. II, 4, 64 dicit *hominem ſervum*; Stich. III, 1, 37 *homines ſervolos*; & Sall. Iug. c. 12 *mulieris ancillae*.

3 h. e. ius teſtim. dicendi ei eſt; (ſervi erant *inteſtabiles*) uti *iuriſdictio* eſt ius iuris dicendi; pariterque illud coniunctim ſcribatur.

4 Ita tandem pater cedit in iis, quae validiores cauſae iurgandi erant. Cetera refutabit ſervus magis eludendo.

Non fuit neceſſe, habere: ſed, id quod lex iubet [1],
Dotem daretis [2]; quaereret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum [3]?
G. Non ratio, verum argentum deerat. *D.* ſumeret
Alicunde. *G.* alicunde [4]? nihil eſt dicto facilius.
D. Poſtremo, ſi nullo alio pacto, foenore [5].
G. Hui! dixti pulchre, ſi quidem quiſquam crederet
Te vivo [6]. *D.* non, non ſic futurum eſt: non poteſt.
Ego illam cum illo ut patiar nuptam unum diem [7],
Nil ſuave meritum eſt [8]. hominem commonſtrarier

1 Ita ſcil. lex edicebat: *Orbae, qui ſint genere proximi, eis nubunto: aut iis orbis dotem danto.*

2 int. illi; & mox *quaereret* int. illa. Ellipſis dedignationem ſignificans.

3 Maiori iam clamore pronuntiat, quod minoris erat momenti adverſus filium & ſervum. Sed & hic illud ludibundus breviter abſolvit.

4 Subridens hoc imitatur, averſo a Demea vultu, tamquam ſecurus ſui.

5 Iterum a ſervo profligatus recedit, & ultimum telum expromit.

6 Quam alacriter ſervus *εἴρων* reſpondet, ſenem nunc eludendo!

7 Cf. quae de eo exiſtimaverat Geta ſupra I, 2, 70 ſq. Sed ſimul praeſtruitur, quam facilis is cum fratre futurus ſit ad amittendas a ſe 30 minas, eiiciendae illius cauſa.

8 Nos cum Donato, con-

Mihi iſtum volo, aut, ubi habitet, demonſtrarier.
G. Nempe Phormionem. *D.* iſtum patronum mulieris.
G. Iam, ſaxo, hic aderit. *D.* Antipho ubi nunc eſt [1]? *P.* foris.
D. Abi, Phaedria, eum require, atque adduce huc. *P.* eo [2],
Recta via quidem illuc. *G.* nempe ad Pamphilam [3]. *D.* at ego
Deos penateis hinc ſalutatum domum
Divortar [4]: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adſient [5],

tra Bentl. qui h. l. Don. & ipſo Ter. illudit, *meritum* exiſtimemus ſubſtantive poni pro *mercede.* Illud *nil* vero non ſubſtantive, ſed adverb. pro *non* ſumimus, & ſic ſenſum adiuvamus: *Non ſuavis eſt merces ulla mihi, ego ut illam cum illo nuptam* &c. *patiar.* Conferunt hiſce Plautina Menaechm. I, 3, 34. Poen. I, 3, 20. Verum ſic quoque aptius ſit, rogationem v. priori tollere, quod Don. innuit, legendo *ego* pro *egone.*

1 Filium requirit, quem ab uxore abſtrahat, facilius ſic patronum mulieris vincere ſe poſſe ſperans.

2 Ita clare reſpondet, cetera ſubmiſſius dicit, ita ut Geta tamen audiat.

3 Scil. amicam tuam. Ridet Geta laetus iurgii eventu.

4 Ex more, quo peregre advenientes ante omnia adorare Deos, iiſque grates agere de reditu felici ſolebant.

5 Scil. ut advocati, qui l. conſilio adeſſent, l. teſtes

Ut ne imparatus ſim, ſi adveniat Phormio.

ACTUS III[1]. *SCENA I*[2].

PHORMIO, GETA.

P. Itane [3] patris ais conſpectum veritum hinc abiiſſe? *G.* admodum.
P. Phanium relictam ſolam? *G.* ſic. *P.* et iratum ſenem?

agerent.

1 Vulg. Actum II hinc ordiuntur; quamvis Don. rectius doceat: *Tertio Actui attribuitur litigium ſenis & Phormionis* &c.

2 In hac ſc. paraſiti de genere viliori nigrorum, (cf. ad prol. v. 28) ſed eiuſdem callidi, & omnia cibi captandi cauſa audentis, imaginem proponit. Diverſus ſcil. eſt Phormio a Gnathone, adulatorii generis nuper auctore; cf. ad Eun. II, 2, 14.

3 Don. *Adhuc narratur fabula de Terentio, & Ambivio ebrio; qui acturus hanc fabulam, oſcitans temulenter, atque aurem minimo inſcalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit verſus. quibus auditis exclamaverit poeta, ſe talem, quum ſcriberet, cogitaſſe paraſitum; & ex indignatione, quod eum ſaturum potumque deprehenderat, delinitus ſtatim ſit.* Lindenbr. ex Amm. Marcell. L. XVII, 11 de Pompeio, & Schol. Lucani ad VII, 132 obſervat, uno digito aurem ſcalpere pro indicio ſuperbiae habitum eſſe; cf. Iuvenal. Sat. IX, 130 ſq. tum irati, cf. Apul. Mileſ. L. VI & X; tum commentantis ſecumque murmurantis, cf. Cic. in Piſ. c. 25, & Hor. I Sat. 10, v. 70. Omnia conveniunt in paraſitum & confidentem &

G. Oppido. *P.* [1] ad te ſumma ſolum, Phormio, rerum redit,
Tute hoc intriſti [2], tibi omne eſt exedendum: accingere [3]:
G. Obſecro te [4]. *P.* ſi rogabit [5]. *G.* in te ſpes eſt. *P.* eccere [6].
Quid ſi reddet [7]? *G.* tu impuliſti. *P.* ſic opinor [8].
G. ſubveni.
P. Cedo ſenem: iam inſtructa ſunt mihi in corde conſilia omnia [9].
G. Quid ages [10]? *P.* quid vis [11]? niſi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc

luxurioſum, & aegre excitatum ad alias curas, quam ad convivia. Addit tandem Don. *haec & labia lingens, ut ebrius: & ructans, utpote ſatur, pronuntiavit actor bonus,* ſcil. Ambivius Turpio.

1 Vide, quomodo is ſuperba & imperatorie dicta miſceat humilibus.

2 Paroemia, apta paraſito viliori, ſervo homini.

3 Cf. Eun. V, 11, 12.

4 Getae, provocantis hominem, dicta continuam orationem praebent. Sed nihil audit homo, ſecum ipſe deliberans, quid agat, fere uti Syrus Heaut. III, 6, 9 ſq. Hinc quae interloquitur, non ſunt reſpondentis.

5 Vide quid primum rogaverit Dem. ſc. ſq. v. 31 ſqq.

6 Scil. habeo, quid reſpondeam.

7 ſ. regeret, uti ſc. ſq. v. 43.

8 Cf. ibid. v. 44 ſq.

9 Verſum hunc reddit Cic. de N. D. extr. cf. Plaut. Pſeud. II, 3, 10 ſq.

10 Rogat, metuens ab homine, qui nimium ſecure ſe habeat.

11 Tria promittit, quis

Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem ſenis?
G. O vir fortis, atque amicus: verum hoc ſaepe, Phormio,
Vereor [1], ne iſtaec fortitudo in nervom erumpat [2] denique. *P.* ah,
Non ita eſt: factum eſt periclum [3], iam pedum viſa eſt via [4],
Quot me cenſes homines iam deverberaſſe uſque ad necem
Hoſpites [5]? tum cives [6], quo magi' novi, tanto ſaepius?

bus cauſam Antiphonis bene abſolvi exiſtimabit ipſe Geta.

1 Geta tentat Phormionem, an ſatis interritus futurus ſit; l. eius audaciam, hominis ſuperbi, magis dubitatione provocare ſtudet, & ſimul non ſolum fortiter, ſed & caute agere monet.

2 Cf. infra IV, 4, 15 *in nervom ibit.* Nervus erat vinculi genus, idque ligneum, quo pedes vinciebantur, quod Scaliger oſtendit; Graece ξυλοπέδη; Atticis κάλον, lignum, unde qui ex lege *nexi* erant, dicebantur L. L. Athen. ἐγκαλοπεκλεισ... Verbum *erumpere* congruit cum *fort.* ſ. audacia.

3 h. e. experimentum habeo artis meae. Experientia facit artem.

4 h. e. incolumis ſemper evaſi, velut qui eadem via, quam adveniens pedibus ſignavit, regreditur, incolumis evaſit; an? novi ego, ubi pedem ponam.

5 Scurrilis, & ferociter ſe iactantis oratio.

6 Vulg. h. l. ſignum rogandi ponunt, & vertere-

[redacted]

Cedo dum, en unquam [1] iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?
G. Qui iſtuc [2]? *P.* [3] quia non rete accipitri tenditur, neque miluo [4],
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis [5] fructus eſt, in illis [6] opera luditur.
Aliis aliunde eſt periclum, unde aliquid abradi poteſt:

λογιαν aliquam in ſq. ſtatuunt: quo ſaepius id feci, tanto magis novi. Falſiſſimum id putamus; & ſublato ſigno rogandi poſt *cives*, cetera ita coniungimus, ut augeatur gloriatio, *tum cives, quo magis* eos *novi*, (quo notiores mihi fuere) *tanto ſaepius* int. *deverberaſſe*, h. e. male tractaſſe.

1 h. e. unquamne vero?

2 Rogat Geta, ut hominis, quo opus habet, paraſitica oratio progrediatur. Sic & audacia augebitur.

3 Per allegorias, e trivio & ab eſcis petitas reſpondet.

4 Triſyllabum eſt. Al. *miivio*; contra vett. Codd. Comice autem paraſitus ſe comparat ad volucres rapaciſſimas & famelicas.

5 Scil. qui nil male faciunt, ſ. innoxiis.

6 Si quidem hi ſunt iidem cum iis, in quibus fructus eſt, opera in iis, velut in ludo conſumitur, conteritur, quamvis ſumptus & fructum quandoque perdamus; cf. Plaut. Caſ. II, 7, 1--3. Ipſa enim aves dolis ludendi opera voluptatem habet. Sed alii hoc de avibus male facientibus dictum volunt; & ipſe Don. dubius eſt, dum exponit: *exercetur; an illuditur i. e. fruſtratur.*

Mihi ſciunt nihil eſſe. dices, ducent damnatum [1] domum.

Alere nolunt hominem edacem [2]: et ſapiunt mea ſententia,

Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.

G. Non poteſt ſati' pro merito ab illo [3] tibi referri gratia.

P. Immo enim nemo ſati' pro merito gratiam regi [4] refert.

Bentl. auſus eſt reſcribere *iſtis*. Neque tamen ei aſſentimur, cum avibus maleficis rete non tendi (adeoque nec operam in iis ludi) dixerit; his vero pericula eſſe, in quibus l. fructus eſt, l. unde aliquid auferri l. eripi poſſit. Hominibus, qui imbelles ſed frugi ſ. utiles ſunt, doli tenduntur; potentioribus vi eripiuntur ſua. Aucupii ſimilem etiam quaeſtum ſuum dicit leno ap. Plautum Aſin. I, 3, 63 ſq.

1 ſ. *iudicatum*, ſecundum ius quo debitores ſolvendo impares creditoribus addicebantur in ſervitutem, & ni ſuo viverent, alendi erant ab illis. cf. Plaut. Aſin. V, 2, 87.

2 Facete ſe ipſe exhibet, qualis eſt.

3 Scil. Antiphone; cuius nomine ſervus etiam promiſſis incitat avidum hominem.

4 *Rex* (cf. Plaut. Aſin. V, 2, 69. Capt. I, 1, 24. Hor. ep. I, 17) *dominus* dicitur paraſito is, a quo alitur, ſ. qui ſe ſinit adulari; Graece vocatur κολακευομενος, τρυφων, αυτος, δεσποτης, τυραννος; cf. Caſaub. ad Theophr. Ch. 2.

[1] Tene aſymbolum venire, unctum, atque lautum a balneis,
Otioſum ab animo; cum ille et cura et ſumptu abſumitur,
Dum tibi ſit, quod placeat; [2] ille ringitur, tu rideas;
Prior bibas [3], prior decumbas; coena dubia [4] apponitur [5].
G. Quid iſtuc verbi eſt? *P*. ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.
Haec, quum rationem ineas, quam ſint ſuavia, et quam cara ſint;

1 Tres ſqq. verſus praeivit Terentio Ennius Sat. L. VI, quos vide ap. Don.

2 Deeſt τὸ *cum* l. *ſi*; ellipſi frequente.

3 Loquitur de προπωματι, praebibitione, qua appetitum provocabant ad coenam. Atque iſtud convivii principium, cibis tenuibus & acutis auctum, Latinis dicebatur *antecoena*, *guſtatio*, *promulſis*, in qua iam dictator bibendi creari poterat paraſitus, vid. Plaut. Perſ. V, 1, cf. ſc. 2, v. 68. Sequebatur eam ipſa coena, in qua praecipui ac lautiſſimi cibi apponebantur; noſtro *coena dubia* dicta. Poſt προπωμα ad hanc decumbebant. Diverſa erat *guſtatio* a *coenatione*; cf. Plin. ep. V, 6, 36. Sic certe non opus eſt υστερολογια, quam Grammatici h. l. Terentio affingunt.

4 Terminum hunc paraſiticum recepit quoque Hor. Serm. II, 2, 77 pro *lauta*, & Auſon. Moſ. v. 102.

5 Poſtquam reſpondit Getae, reſumet orationem ſuam v. 30.

Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praeſentem deum [1] ?

G. Senex adeſt : vide, quid agas. prima coitio [2] eſt acerrima :

Si eam ſuſtinueris, poſt illa iam, ut lubet, ludas [3] licet.

ACTUS III. SCENA II. [4]

DEMIPHO, GETA, PHORMIO, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

D. [5] EN unquam cuiquam contumelioſius

Audiſtis factam iniuriam, quam haec eſt mihi ?

1 Menander : *Deus* eſt, qui nos alit, iuvat, noſtri curam gerit; -- et *praeſens*, qui ſtatim auxilium affert. Famelicus eſt paraſitus.

2 Primus impetus, quaſi militum & gladiatorum.

3 Victi *luduntur*; cf. Eun. I, 1, 10.

4 Dem. tandem cum tribus amicis, quos advocatos iam inſtruxerat, obviam it, cum Phorm. litigaturus. Hic vero non tam defenſorem aget, ſed ipſe ultro accuſator advenit. Inde ab utraque parte uno tempore eſt contentio. Simplicem & iratum ſenem tandem vincet calumnioſus ſycophanta.

5 Concludit cum indignatione narrationem iniuriae factam amicis; qui dum tacent, invidia divitiarum, hoc accidiſſe amico, clam gaudere videntur.

Adeſte [1] quaeſo. *G*. iratus eſt. *P*. quin tu hoc age [2]. ſt.
Iam ego hunc agitabo. pro deum immortalium [3]!
Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat eſſe cognatam [4]? *G*. negat [5].
D. Ipſum eſſe opinor, de quo agebam [6]: ſequimini.
P. Neque eius patrem ſe ſcire, qui fuerit? *G*. negat.
P. Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens,
Neglegitur ipſa: vide, avaritia quid facit [7]!

1 *Adeſte* proprium eſt advocatorum.

2 h. e. quin tu ad me attende, me vide; uti Andr. II, 2, 9 Heaut. V, 1, 17. *Hoc agere*, eſt animum & aures advertere ad id, quod agitur; cf. infra v. 88. Andr. I, 2, 16 Eun. I, 2, 50. Heaut. IV, 3, 16. Contrarium eſt, alias res agere. Mox ſilentium indicat, quaſi magna iam coeptaturus.

3 Alta iam vox ultro accuſando & vociferando rem geſturi.

4 Invidioſa flagitatio.

5 Geta, defenſorem ſenis ſimulaturus, fortiter pro illo contradicit, ut paraſitus ulterius clamandi cauſam habeat.

6 Dem. excitatus clamore paraſiti ſubtimere videtur, neque ſine advocatis obviam ire audet.

7 Adverſarium ſtatim in invidiam adducturus coram advocatis, locum communem de potentibus ac divi-

G. Bonorum extortor, legum contortor [1]. *D.* Geta.
P. Reſponde [2]. *G.* quis homo eſt? hem! *D.* tace. *G.* abſenti tibi
Te indignas ſeque dignas contumelias
Nunquam ceſſavit dicere. *D.* ohe! deſine [3].
Adoleſcens [4], primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis eſt, mi ut reſpondeas:
Quem amicum tuum ais fuiſſe iſtum? explana mihi:
Et qui cognatum me ſibi eſſe diceret?
P. Proinde expiſcare, quaſi non noſſes [5]. *D.* noſſem? *P.* ita.
D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
P. Eho, tu ſobrinum tuum non noras [6]? *D.* enicas:

1 Convicia ſollennia in ſycophantas & rabulas forenſes.

2 Scil. hero. Dicit hoc ipſi ſummiſſe.

3 Silentio Getae indicto convertitur ipſe in adverſ. eumque lenibus verbis aggreditur, ne quid iratus dicat, quod cauſae obſit, aut hominem magis irritet. Sed advocati inde colligere poterant, Demeae cauſam haud bonam eſſe, qua ipſe minus confidat.

4 Dum eum ſic compellat ſenex, ſimul verecundiae monet. Eſt ſcil. adoleſcentis, maiores natu vereri.

5 Uti confidenter reſpondet, ita aſtute hominis iram provocare cupit, ut lis in convicium abeat.

6 Scurriliter fatigat hominem.

Dic nomen. *P.* nomen? maxume [1]. *D.* quid nunc taces?
P. Perii hercle! nomen perdidi. *D.* hem, quid ais [2]? *P.* Geta,
Si meminiſti id quod olim dictum eſt, ſubiice. hem!
Non dico [3]: quaſi non noris, tentatum advenis.
D. Egon' autem tento? *G.* Stilpho. *P.* atque adeo, quid mea?
Stilpho eſt. *D.* quem dixti? *P.* Stilphonem, inquam: noveras [4]?
D. Neque ego illum noram, neque mihi cognatus fuit
Quiſquam iſtoc nomine. *P.* itane? non te horum pudet?
At ſi talentum rem [5] reliquiſſet decem...
D. Dii tibi male faciant! *P.* primus eſſes [6], memoriter

1 *Maxume* eſt annuentis, ut ſtatim dicturi. Plenius Hec. III, 5, 36 *maxume volo.* Sed haeret ille, qui nimium ſui ſecurus fuerat; qua difficultate quomodo expediatur anxius ipſe, ſuſpenſos reddit ſpectatores.

2 A ſene urgetur ipſe, qui illum agitare voluerat. Sed Geta adeſt ei opportunius, quam Demeae ſui advocati. Itaque Getam ſeorſim rogat, ut ſuggerat nomen. Mox *hem* Dacieriae videtur eſſe tuſſientis, ut Getae copiam faciat monendi.

3 Tuſſiens hoc artificioſe reſpondet.

4 Confidenter rogat, quaſi id negare nequeat ſenex.

5 ſ. hereditatem.

6 h. e. prior omnibus adveniſſes ad iudices, petitu-

Progeniem voſtram uſque ab avo atque atavo proferens.
D. Ita ut dicis [1]. ego, cum adveniſſem [2], qui mihi
Cognata ea eſſet, dicerem: itidem tu face:
Cedo, qui eſt cognata? *G.* eu, noſter! recte: heus tu, cave [3].
P. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Iudicibus [4]: tum, id ſi falſum fuerat, filius
Cur non refellit? *D.* filium narras mihi?
Cuius de ſtultitia [5] dici, ut dignum eſt, non poteſt.
P. At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi,
Iudicium de eadem cauſa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem ſolus regnas [6], et ſoli licet
Hic de eadem cauſa bis iudicium adipiſcier [7].

rus ex lege virginem ἐπίκληρον, ſ. heredem.

1 h. e. concedo tibi. Concedit vero, ut Phormionem ſuo ſibi gladio iugulet.

2 Revocamus verba ad ſenſum, quem recte ſignificat Don. ut ſit *quum ad iudicium veniſſem.* Cenſemus autem, id proprie dici de *petitore*, quem ſupra dixit *primum.*

3 Geta clara voce herum, qui veriſſimam diſputandi ineat rationem, laudans, an ſubmiſſe monet Phorm. ut caveat ſibi, an coram hero quaſi inſultat eidem, qui dum aliis cavere vult, ſibi parum cavere ſciat?

4 Caute Ph. elabitur praeſcriptione ſ. exceptione rei iudicatae.

5 ſ. inſcientia; contrarium eſt *ſapiens*, qualem mox Ph. patrem dicit per ſarcaſmum.

6 Cf. ad Ad. II, 2, 1.

7 Quod L L. Athen. prohibitum fuiſſe, docet Demoſth. contra Lept. cf.

D. Etſi mihi facta iniuria eſt [1], veruntamen
Potius, quam lites ſecter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata ſi ſit, id quod lex iubet,
Dotem dare [2], abduce hanc, minas quinque accipe.
P. Ha, ha, hae, homo ſuavis [3]! *D.* quid eſt? num iniquom poſtulo?
An ne hoc quidem ego adipiſcar, quod ius publicum [4] eſt?
P. Itane tandem [5], quaeſo, item ut meretricem ubi abuſu' ſis,
Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in ſe admitteret
Propter egeſtatem, proxumo iuſſa eſt dari,
Ut cum uno aetatem degeret? quod tu vetas [6].

Plaut. Rud. prol. v. 16.

1 Dem. ſe hac ex parte profligatum ſentiens, ad alteram partem legis de orba confugit, ex qua tranſigere cupit. Sed denuo profligabitur.

2 Ut oratio ſibi conſtet, coniunge *iubet dotem dare*, ut mox v. *66*. & ordina *potius--abduce--accipe.* Credimus tamen, ſermonem referre perturbationem ſenis, cum alias rectius fuerit, *potius--dotem dabo : abd.* &c. cf. ſc. priorem v. *66* ſq. Athenis prius V minas dabant orbis, ſerius X.

3 Riſu confutat ſenem.

4 Quo omnes uti licet, ſ. quod nemini abſque iniuria detrahitur.

5 Iam fortius pugnat argumento ex ratione & ſenſu legis petito.

6 Invidioſa hac concluſione ſenem percellit.

D. Ita, proxumo quidem [1] : at nos unde? i
quam ob rem? *P.* ohe!
Actum, aiunt, *ne agas.* *D.* non agam? imı
haud deſinam,
Donec perfecero hoc. *P.* ineptis. *D.* ſine modo
P. Poſtremo tecum nihil rei nobis, Demipho, e
Tuus eſt damnatus gnatus, non tu : nam tua
Praeterierat iam ad ducendum aetas [3]. *D.* omı
haec
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere :
Aut quidem cum uxore hac ipſum prohibebo dom
G. Iratus eſt [4]. *P.* tute idem melius feceris [5].
D. Itane es paratus facere me advorſum omni
Infelix? *P.* metuit hic nos, tametſi ſedulo
Diſſimulat. *G.* bene habent tibi principia [6].
quin [7], quod eſt

1 Senex confuſus & iratus ad priora fruſtra redit, victuſque eluditur.

2 Comminantis eſt; cf. Eun. I, 1, 20.

3 Iam quoque irridet ſeni ob aetatem.

4 Haec Geta ſubmiſſe ad Phorm. Iratus vero eſt, qui in prima coitione moderatius agebat; & Ph. qui prius acrius inſultabat, nunc victor ridet.

5 h. e. iam non eris i tus, meliuſque id conſul cf. Eun. III, 1 extr. c Heaut. I, 2, 24. *idem* maſc. nexum *τῷ tute.*

6 In hac voce praepara eſt ad maiores difficulta & labores cf. ſc. 4. v. 15.

7 h. e. cur non &c. infra V, 3, 1 & 2.

Ferundum, fers? tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos ſimus. *D.* egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te viſum, aut auditum velim?
P. Si concordabis cum illa, habebis, quae tuam
Senectutem oblectet; reſpice aetatem tuam.
D. Te oblectet: tibi habe. *P.* minue vero iram.
D. hoc age [1]:
Satis iam verborum eſt: niſi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eiiciam. dixi [2], Phormio.
P. Si tu illam attigeris ſecus, quam dignum eſt, liberam,
Dicam impingam tibi grandem. dixi [3], Demipho.
Si quid opus fuerit, heus [4], domo me [5]. *G.* intellego.

ACTUS III. SCENA III [6].

DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

D. QUanta me cura, et ſollicitudine afficit

1 ſ. audi.

2 *Dixi* ſolent dicere perorata cauſa. Don.

3 Ferocitatem & minas refert haec imitatio; tum repentina hominis diſceſſio habet maiorem litigaturi denuntiationem. ex Don.

4 Haec Getae clam dicit abiens.

5 Int. teneo; uti Cic. poſt. red. in Sen. c. 12.

6 Scena haec deliberationem habet ſenis cum amicis, veram conſiliorum imaginem. Poſt ambages ad rem

Gnatus, qui me et ſe hiſce impedivit nuptiis!
Neque mi in conſpectum prodit, ut ſaltim ſciam,
Quid de hac re dicat, quidve ſit ſententiae.
Abi tu; viſe, redieritne iam, an nondum, domum.
G. Eo. *D.* videtis, quo in loco res haec ſiet.
Quid ago? dic, Hegio. *H.* ego? Cratinum cenſeo [1],
Si tibi videtur. *D.* dic, Cratine. *Crat.* mene vis?
D. Te. *Crat.* ego, quae in rem tuam ſint, ea velim facias [2]: mihi
Sic hoc videtur: quod te abſente hic filius
Egit, reſtitui in integrum, aequom eſt, et bonum
Et id impetrabis. dixi. *D.* dic nunc, Hegio.
H. Ego ſedulo hunc dixiſſe credo [3]. verum ita eſt:
Quot homines, tot ſententiae [4]; *ſuus cuique mos* [5].
Mihi non videtur, quod ſit factum legibus,

non pertinentes primus ſuadet, alter diſſuadet, tertius, neutri accedens, amplius pronuntians Demiphonem in praeſenti incertiorem relinquit. Unde hic fratrem exſpectat, cuius conſilium ſequatur.

1 Int. prius rogandum. cf. Hec. IV, 4, 94.

2 Primus iam advocatus ab utilitate commendat conſilium, quod Demiphoni arrideat, nullis additis rationibus.

3 Laudat perſonam, conſilium eius refutat a turpitudine & iniquitate, ſcil. Phormionis cauſam meliorem putans.

4 Eadem verba habet Cic. de fin. I, ſect. 15, c. 5. cf. Hor. Sat. II, 1, 27 & Perſ. Sat. V, 52 ſq.

5 *Mos* eſt animi, ut mentis *ſententia*.

Reſcindi poſſe : et turpe inceptum eſt. *D.* dic, Crito.

Crit. Ego amplius deliberandum cenſeo [1] :
Res magna eſt. *H.* numquid nos vis ? *D.* feciſtis probe :
Incertior ſum multo, quam dudum. *G.* negant
Rediiſſe. *D.* frater eſt exſpectandus mihi : is
Quod mihi dederit de hac re conſilium, id ſequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad ſe recipiat.
G. At ego Antiphonem quaeram, ut, quae acta hic ſint, ſciat.
Sed eccum ipſum video in tempore huc ſe recipere.

ACTUS III. SCENA IV. [2]

ANTIPHO, GETA.

A. ENimvero, Antipho, multimodis cum iſtoc animo es vituperandus [3].
Itane te hinc abiſſe, et vitam tuam tutandam aliis dediſſe ?

1 Tertius cautior *amplius* pronuntiat h. e. ſententiam differt. Cauſa ſcil. *ampliari* dicitur, ubi nondum liquet.

2 Antiphonem ex fuga reducem facit amor & cura de uxore; ex principiis a Geta auditis ſolatium invenit, ſed mox in novos metus conii-citur, ſcil. metuens patrui adventum & ſententiam.

3 Cf. Andr. V, 4, 38 *dignus es cum tua religione odio.*

Alios tuam rem credidiſti magis, quam tete, animadverſuros [1]?
Nam, ut ut erant alia, illi certe, quae nunc tibi domi eſt, conſuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali;
Cuius nunc miſerae ſpes opeſque ſunt in te uno omnes ſitae.
G. Et quidem, here, nos iam dudum hic te abſentem incuſamus, qui abieris...
A. Te ipſum quaerebam. *G.* ſed ea cauſa nihilo magis defecimus.
A. Loquere, obſecro, quonam in loco ſunt res et fortunae meae?
Numquid patri ſubolet [2]? *G.* nil etiam. *A.* ecquid ſpei porro eſt? *G.* neſcio. *A.* ah.
G. Niſi Phaedria haud ceſſavit pro te eniti. *A.* nil fecit novi.
G. Tum Phormio itidem in hac re, ut aliis, ſtrenuum hominem praebuit.

1 Cf. ap. Gellium II, 29 apologum Aeſopi de inani amicorum fiducia, quem Ennius verſibus quadratis compoſuit; quorum ultimus *Ne quid exſpectes amicos, quod tute agere poſſis.* Tum tamen adſunt, ſi id e re ſua eſſe cenſent, ſcil. amici vulgares, paraſiti, conſcii &c.

2 *De conſcientia ſua & Phormionis dicit.* Sic emendamus locum Donati corruptum.

A. Quid is fecit? *G.* confutavit verbis [1] admodum iratum ſenem.
A. Eu, Phormio. *G.* ego quod potui, porro [2]. *A.* mi Geta, omnes vos amo.
G. Sic habent principia ſeſe, ut dico: adhuc tranquilla res eſt:
Manſuruſque patruum pater eſt, dum huc adveniat. *A.* quid eum? *G.* ut aiebat,
De eius conſilio ſeſe velle facere, quod ad hanc rem attinet.
A. Quantus metus eſt mihi, venire huc ſalvom nunc patruum [3], Geta!
Nam, per eius unam, ut audio, aut vivam, aut moriar [4] ſententiam.
G. Phaedria tibi adeſt. *A.* ubinam? *G.* eccum! ab ſua palaeſtra [5] exit foras.

1 Cf. ad Heaut. V, 1, 76.

2 Int. feci. Mediocriter de ſe tandem dicit.

3 Non optat, ut ne ſalvus veniat patruus (quod repugnat bono ingenio); ſed oſtendit, quantum ſibi ab eius adventu metuendum ſit; cf. IV, 3, 3.

4 Amatorie haec dicit.

5 Iocoſe & quaſi conſolandi cauſa ſic notat domum lenonis, ubi Phaedriae magis confligandum ſit cum homine avariſſimo, amicae domino, ne is hanc alii vendat. Scena ſq. ſpecimen dabit.

ACTUS III. SCENA V[1].

PHAEDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

P. Dorio, audi, obſecro. *D.* non audio. *P.* parumper. *D.* quin omitte me.
P. Audi, quod dicam. *D.* at enim taedet iam audire eadem millies.
P. At nunc dicam, quod lubenter audias. *D.* loquere, audio.
P. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
D. Mirabar, ſi tu mihi quidquam afferres novi.
A. Hei, metuo lenonem, ne quid ſuo ſuat capiti [2]. *G.* idem ego vereor.

1 Scena alteram fabulae partem nectit, Phaedriae amores, illiuſque ex his miſeriam, ſ. luctam cum lenone impuriſſimo, vix tandem diem concedente de ſerva, illius amica, nemini alii vendunda, ſi ille prior attulerit pretium. (Similem rixam lenoniam vide ap. Plaut. Pſeud. I, 3.) Unde eſt praeparatio ad argentum dolo inveniendum, & implicandam magis rem Antiph. A principio diverſis in partibus ſtant Ph. cum lenone, & Ant. cum Geta.

2 *Ne quid* (deeſt *mali*) *ſuo ſuat* (leno ſartor ſcelerum) *capiti*, h. e. ne quid leno nunc l. avarius l. gravius doloſe faciat, quod in ipſum potius auctorem recidat velim. Ita difficultatem h. l. in qua haerent interpp. abſolvi poſſe cenſemus ex Cic. ad Attic. VIII, 5, ubi de Dionyſio, magiſtro, qui

P. Non mihi credis? *D*. hariolare. *P*. ſin fidem do. *D*. fabulae.
P. Foeneratum [1] iſtuc beneficium pulchre tibi dices. *D*. logi [2].
P. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc eſt. *D*. ſomnia.
P. Experire: non eſt longum. *D*. cantilenam eandem canis.
P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu . . . [3] *D*. garri modo.
P. Adeon' ingenio eſſe duro te atque inexorabili,

ſuperbius cum Cic. egerat, ſcribit: *etſi ſolet eum, cum aliquid furioſe fecit, poenitere: nunquam autem certior* (h. e. perſeverantior) *fuit, quam in hoc negotio. nam---poſtea audivi--tum--multa mala eum dixiſſe, ſuo capiti, ut aiunt.* Sed legas totum Cic. locum. Id quidem certum videtur, proverbialiter dictum *ſuo capiti*. Ita quoque Cic. Phil. XI, 5 de Saxa trib. pl. *a qua* (urbe) *cum ſit alienus, ſuo capiti, ſalvis nobis, ominetur.* Addebant igitur formulam *ſuo capiti*, ubi gravius quidquam ſ. formidandum ab alio dici, fieri, intendi, cum indignatione ſ. imprecatione ſignificabant; cf. Hec. III, 1, 53. Tibull. I, 2, 12. Cic. ad fam. VIII, 1. Ita tandem Donati mentem h. l. obſcurius l. fractius redditam aſſecuti nobis videmur, ut non deſideremus aliorum emendationes.

1 Cf. infra v. 31 & Ad. II, 4, 11.

2 Int. ſunt. Graecorum eſt λογυς λεγειν.

3 Interpellatur, quo minus forſan diceret *patronus*. Plaut. Capt. II, 3, 84.

Ut neque miſericordia, neque precibus molliri quea

D. Adeon' te eſſe incogitantem atque impuden tem, Phaedria,

Ut phaleratis [1] dictis ducas me et meam ductes gra tiis?

A. Miſeritum eſt [2]. *P.* hei veris vincor [3]. *G.* qua uterque eſt ſimilis ſui [4]!

P. Neque Antipho alia cum occupatus eſſet ſo licitudine,

Tum hoc eſſe mi obiectum malum [5]? *A.* ah quid iſtuc eſt autem, Phaedria?

P. O fortunatiſſime Antipho [6]. *A.* egone? *P.* c quod amas, domi eſt;

1 ſpecioſis, ſed inanibus; uti ornamenta equorum iactationem habent.

2 h. e. miſeret me Phaedriae. Id Ant. ad Getam.

3 Phaedria hoc ſecum. *Veris* int. dictis a lenone, qui vere dixerat, multa inaniter promittere Phaedriam.

4 Ad Antiph. Scil. adoleſcens honeſtus vero ſe vinci paſſus. Sed impurus leno moris ſui retinens.

5 Conſtrue: *& cum Ant. non alia* (h. e. pari) *ſoll. eſſet occ. tum hoc eſſe* &c. Alii cum Don. *neque* intercidunt ab *Ant. alia* &c. et dum co iungunt *neque tum hoc e* &c. ſenſum magis implicat quam verba ordinant. A enim Ant. alia (ſcil. qua de nuptiis) ſollic. occup tus, minus liber fuiſſet iuvandum Phaedriam? Su tiliter vero poeta preces i fert, quas ſi praeſentem v diſſet Phaedria, non aud ret. Et Ant. iam ante m tus miſericordia, nunc h maniſſime rogando illi a fore intelligitur.

6 Cf. Act. I, 3, 10 ſq Fortunatiorem miſereat

[redacted]

Nec cum huiuſmodi unquam uſus venit ut conflictares malo.
A. Min' domi eſt? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum [1]:
Nam neque quo amittam a me invenio, neque, uti retineam, ſcio.
D. Ipſum iſtuc mihi in hoc eſt [2]. *A*. eia, ne parum leno ſies [3].
Numquid hic confecit? *P*. hiccine? quod homo inhumaniſſimus:
Pamphilam meam vendidit [4]. *G*. quid? vendidit? *A*. ain? vendidit?
P. Vendidit. *D*. quam indignum facinus, ancillam aere emptam ſuo.

miſerioris. Sic tacite additur & Antiphoni animus, & vis precibus. Eleganter mox neutrum *quod amas* pro *quam amas*. cf. Eun. II, 3, 16.

1 Graecum proverbium, quod Ant. mox explicat, ſollenne cunctantibus ob metum undique imminentium diſcriminum, ut Suet. ait de Tib. c. 25.

2 Demonſtrat Phaedriam, cui roganti ſi concedat, veretur, ne emptorem alium ſ. praeſentem pecuniam non inveniat; ſi deneget, ne Phaedriam, & cum eo lucrum, quod ex adoleſcentum amoribus faciebant lenones, amittat.

3 Deeſt *vereris*, *ne p. l. ſ.* h. e. ne minus lucri facias, minus turpem te praebeas, quam vulgus lenonum eſt.

4 Quanto dolore affectus! *hiccine? -- meam v.* Doloris participes ſtupent.

5 Ironice; hinc quod illorum dictis deſit, ita affingit, ut oſtendat, ſe illorum

P. Nequeo exorare, ut me maneat, et cum illo mutet fidem [1].
Triduum hoc: dum id, quod eſt promiſſum ab amicis, argentum aufero.
Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus ſies.
D. Obtundis. *A.* haud longum eſt id quod orat, Dorio: exoret, ſine:
Idem hic tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit [2].
D. Verba iſtaec ſunt. *A.* Pamphilamne hac urbe privari ſines?
Tum praeterea horunc' amorem diſtrahi, poterin' pati [3]?
D. Neque ego, neque tu [4]. *G.* di tibi omnes id, quod eſt dignum, duint!

mirari imperitiam.

1 *Servare fidem cum aliquo* eſt promiſſis ſ. contractui ſtare (Plaut. Curc. I, 2, 49 & Merc. III, 1, 33) *Mutamus fidem cum aliquo*, ſi cui in alterius gratiam, contractum ſ. fidem renuntiamus. Plenius vero ſic dicitur, quam illud Plauti Pſeud. I, 3, 142 *Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.* Poterat id ſuo iure poſtulare Phaedria; cf. v. 39 ſq. Et in quaeſtu lenonio id erat ſollenne. Quaeſtus corrumpit fidem.

2 Spe lucri tentat hominem. Sed leno ſpem, nedum verba, pretio non emet; cf. Ad. II, 2, 11.

3 Quam ſimplex eſt & bonus Ant. dum hominem improbum et quaeſtuoſum deducere cupit ad humanitatem!

4 Int. in cauſa ſumus. Sic re-

D. Ego te complureis advorſum ingenium meum menſes tuli
Pollicitantem, nihil ferentem, flentem: nunc contra, omnia haec
Repperi, qui det, neque lacrumet [1]: da locum melioribus [2].
A. Certe hercle, ego ſi ſatis commemini, tibi quidem eſt olim dies,
Quoad dares huic, praeſtituta [3]. *P.* factum. *D.* num ego iſtuc nego [4]?
A. Iam ea praeteriit? *D.* non: verum haec ei anteceſſit [5]. *A.* non pudet
Vanitatis? *D.* minime, dum ob rem [6]. *G.* ſterquilinium! *P.* Dorio,

iicit culpam in Phaedriae inopiam. Mox *dignum* int. factis tuis. cf. Andr. IV, 1, 43.

1 Vide, ut homo ex ſuo ingenio facete & venuſte Phaedriam comparat e diverſo cum illo emptore.

2 *Ditiores* inhoneſtis dicuntur *meliores*.

3 Bene Antiphoni in mentem venit argumentum a fide olim data Phaedriae, cui ita cedet homo, (cf. v. 46) ut ſua tamen lege utatur, cf. v. 41 & 48.

4 Impudenter concedit.

5 Dies, qua accipiam argentum, diei praeſtitutae anteceſſit. Reſponſum dignum lenone, cui potior eſt, qui prior eſt.

6 f. in rem *meam* ſit. Haec enim lex eſt ſumma, uti artis lenoniae (cf. v. 48), ita omnis quaeſtuoſae, dominatricis, adulatoriae. Videant igitur boni viri, qui rem ſuam, partem, a communi, toto, ſeiungunt, ut ſimiles ſunt lenoni. Mox *ſterq.*

Itane tandem facere oportet? *D.* ſic ſum [1]: ſi placeo, utere.
A. Siccine hunc decipis? *D.* immo enim vero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me huiuſmodi eſſe ſciebat: ego hunc eſſe aliter credidi.
Iſte me fefellit: ego iſti nihilo ſum aliter, ac fui.
Sed utut haec ſunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare ſe dixit: ſi mihi prior tu attuleris, Phaedria,
Mea lege utar, ut potior ſit, qui prior ad dandum eſt. vale [2].

ACTUS III. SCENA VI [3].

PHAEDRIA, ANTIPHO, GETA.

P. QUid faciam? unde ego nunc tam ſubito huic argentum inveniam miſer,

quod quo turpius eſt, hoc melius lenonem deſignat. Plaut. ſuo modo auget Perſ. III, 3, 2 ſq. *Eho lutum lenonium, com-mictum coenum, ſterquilinium publicum.*

1 Leno tamen ſe novit & prodit, qualis eſt. Aliis ſupereſt ars, turpitudinem ſuam tegendi verbis phaleratis.

2 *Vale* h. l. eſt abeuntis, ut cum dubitet, an Ph. inventurus ſit argentum, ſibi praeter hoc nihil cum eo negotii amplius velle ſignificet.

3 Scena haec habet deſ[illegible]

Cui minus nihilo eſt? quod, hic ſi pote fuiſſet exorarier
Triduum hoc, promiſſum fuerat [1]. *A.* itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miſerum, qui me dudum, ut dixti, adiuverit comiter?
Quin, cum opus eſt, beneficium rurſum ei experimur reddere?
G. Scio equidem hoc eſſe aequom. *A.* age ergo, ſolus ſervare hunc potes.
G. Quid faciam [2]? *A.* invenias argentum. *G.* cupio: ſed, id unde, edoce.
A. Pater adeſt hic [3]. *G.* ſcio: ſed quid tum? *A.* ah, dictum ſapienti ſat eſt.

berationem de conficienda Phaedriae, ad emendam, quam amabat, ſervam, pecunia; unde ea evenit rerum diſpoſitio, quae & ad nodum implicandum, & ad futurum exitum comoediae tendit. Ant. ſcil. Phaedriae vicem dolens, & par pro pari reddere cupiens, Getam ſemper callidum ad argentum inveniendum provocat. Geta pollicetur, ſi adiutorem fraudis Phormionem habeat; ad quem igitur abeunt Geta & Phaedria.

1 *Triduum* hoc, & *promiſſum* facient, ut citius auxilium inveniat.

2 Aſtutus ſervus, dolum meditans in ſenem, exprimere ſtudet Antiphonis de ea re ſenſum, ut habeat, quo adverſus hunc ſe tueatur, ſi in maiorem metum adduxerit illum; nihil hercle putans tridui ſollicitudinem; cf. Andr. II, 6, 9.

3 Subtiliter innuit, patrem fallendum eſſe. Neque id facit, niſi amici cauſa, & ob periculum in mora.

G. Itane [1]? *A.* ita. *G.* ſane hercle, pulchre ſuades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho [2], ex nuptiis tuis ſi nihil nanciſcor mali;
Ni etiam nunc me huius cauſa [3] quaerere in malo iubeas crucem [4]?
A. Verum hic dicit [5]. *P.* quid? ego vobis, Geta, alienus ſum? *G.* haud puto:
Sed parumne eſt, quod omnibus nunc nobis ſuccenſet ſenex [6],

Sibi patrem fallere non audebat Act. II, 2, 26 ſqq. Tum redditum iri credebat poſt triduum. Mox *ſapiens* h. e. callidus intelligat, quod vixdum dimidium dictum eſt; cf. infra IV, 2, 1--3. Ita poeta parcit verecundiae adoleſcentis, quo officium in patrem, aut ſuam ſimplicitatem minus tranſgreſſus videatur. Eodem vero dicto uſus iam Plautus Perſ. IV, 7, 19.

1 int. *ſuades*, quod mox dicit.

2 Parumne id erit laetitiae, *ſi—nihil* &c. cf. mox v. 13 ſq. & Heaut. III, 6, 5 ſq. ſ. an putas, me poenitere triumphi, *ſi—nihil* &c. cf. Eun. V, 7, 12 ſq.

3 Phaedriam ſatis frigide deſignat. Hinc ille v. 12 — *vobis alienus ſum?*

4 In minori malo maius & inſuperabile. Gravius vero hoc dicit, & cunctari videtur, non quaſi nil tentare velit; ſed cum magnum quid auſurus ſit, precibus urgeri vult, ut ſibi defenſionem ap. Ant. faciliorem paret.

5 Ant. veris Getae dictis victus haec ad Ph. dicit, Getae parcendum credens. Igitur Phaedria ad Getam converſus miſerabiliter rogat.

6 Geta etiamnum, ſed levius reſiſtit.

Ni inſtigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
P. Alius ab oculis meis illam in ignotum abducet locum [1]? hem!
Quin igitur, dum licet, dumque adſum, loquimini mecum, Antipho:
Contemplamini me [2]. *A.* quamobrem? aut quidnam facturu's? cedo.
P. Quoquo hinc aſportabitur terrarum, certum eſt perſequi,
Aut perire [3]. *G.* di bene vortant, quod agas [4]: pedetentim tamen.
A. Vide, ſi quid opis potes adferre huic. *G.* ſi quid! quid [5]? *A.* quaere, obſecro,
Ne quid plus minuſve [6] faxit, quod nos poſt pigeat, Geta.

1 Phaedria deſperatus vincet ſervum cunctantem. Mox *hem* h. l. interiectio laborantis; ut Eun. IV, 2, 8.

2 Nil miſerabilius dicere potuit, cuius vultus praefert deſperationem.

3 Ph. maxime commotus loquitur.

4 Geta tandem ſ. cunctandi, ſ. ſimulandi finem facere volens, ironice valedicit. Suaviter addit *pedetentim* h. e. lente, ſcil. agas.

5 Reddendo verba Antiphonis priora, & rogando innuit, ipſum neſcire, quae velit, aut ſua interſint.

6 int. quam opus ſ. aequum eſt; quomodo plenius dicit Plaut. Men. V, 1, 4 & Capt. V, 3, 18. Elegantius ex poeta noſtro Hec. V, 1, 4 formulam explices.

G. Quaero : ſalvos eſt [1], ut opinor; verum enim metuo malum [2].

A. Noli metuere : una tecum bona, mala, tolerabimus [3].

G. Quantum opus eſt tibi argenti? eloquere. *P.* ſolae triginta minae.

G. Triginta! hui, percara eſt, Phaedria. *P.* iſtaec vero vilis eſt [4].

G. Age, age, inventas reddam. *P.* o lepidum caput [5]. *G.* aufer te hinc. *P.* iam [6] opus eſt.

G. Iam feres. ſed opu' eſt mi, Phormionem ad hanc rem adiutorem dari.

A. Praeſto eſt [7]: audaciſſime oneris quidvis impone, et feret :

1 Εὕρηκα. Inventum eſt argentum. Praeparatio ad Act. IV.

2 Ambigue praedicit, Antiphoni periculum inde futurum; hic vero credit, Getam ſibi metuere.

3 Promittit Antipho, verum non prudens, ſe partiturum eſſe curas. Et ſane in magnam earum partem veniet; Act. IV, 3 & 4.

4 Amatorie pretium aeſtimat; eo & ante dixit *ſolae* &c.

5 Dicit hoc, caput demulcendo Getae; cf. ad Heaut. IV, 1, 14. hinc Geta illum monet, iam non eſſe tempus ad blanditias.

6 In *τῷ* *iam* omnis vis eſt, ut Andr. IV, 1, 59. *Opus eſt* int. argento. *Feres* i. e. habebis.

7 Al. Antiphonem hoc l. ſimpliciter dixiſſe putant, ut ſit : *is certe paratus eſt ad iuvandum ;* al. ſignum rogandi ſubdunt *praeſto eſt?* ſed nobis videtur fruſtra iam rogare, an domi ſit.

Solus eſt homo amico amicus [1]. *G.* eamus ergo ad eum ocius [2].
A. Numquid eſt, quod opera mea vobis opu' ſit? *G.* nil [3]: verum abi domum, et
Illam miſeram, quam ego nunc intus ſcio eſſe exanimatam metu,
Conſolare. ceſſas? *A.* nihil eſt, aeque quod faciam lubens.
P. Qua via iſtuc facies? *G.* dicam in itinere: modo te hinc amove [4].

ACTUS IV. [5] *SCENA I.*

DEMIPHO, CHREMES.

D. Quid? qua profectus cauſa hinc es Lemnum, Chreme,

Nos mallemus, haec verba etiam a Geta pronuntiari, (cui Phormio ſupra ſc. 2 in fine dixerat: *ſi quid opus, heus! me domo*). Cetera interloquatur Antipho.

1 *Solus* vim habet ſuperl. ut ap. Graecos. Hinc *ſolus amicus* eſt *amiciſſimus*. Apollodorus Graece Μονος επιςαται φιλειν τους φιλους. Amici cauſa audet omnia.

2 Hoc dictum convenire melius in Phaedriam putamus. Sed nil audemus contra vulg.

3 Immo, ut citius abeat, quem conſilii ſui participem fieri minime opus eſt, ſtimulos ipſi addit. In mora ſcil. & illius conſcientia eſt periculum.

4 Lentiorem ocius ſecum hinc, ubi non latus ad narrandum locus, abire iubet.

5 Actus IV habet inven-

Adduxtin' tecum filiam? *C.* non. *D.* quid ita non
C. Poſtquam videt me eius mater eſſe hic diutiu
Simul autem non manebat aetas virginis
Meam neglegentiam: ipſam cum omni familia
Ad me profectam eſſe aibant. *D.* quid illic tam di
Quaeſo, igitur commorabare, ubi id audiveras
C. Pol me detinuit morbus. *D.* unde? aut qui
C. rogas?
Senectus ipſa eſt morbus [1]. ſed veniſſe eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
D. Quid gnato obtigerit me abſente, audiſtin'
Chreme?
C. Quod quidem me factum conſili incertum facit

tionem argenti, unde Phaedria ſollicitudine ſua liberatur, ſed cum periculo Antiphonis maiori; cui expediendo ultima ſcena praemunit viam. Scena I habet reducis Lemno Chremetis adventum, quem Antipho tantopere metuebat; narrationem, qua nil eſt ſimplicius, ac ſenum deliberationem de Antiphona, a Phanio uxore diſſociando, ut ipſi filia Chremetis clam educta elocari poſſit, quomodo olim inter patres pactum erat. Ita ver haec ſc. ſequenti coniungi tur, ut ingreſſis ab una part ſenibus, cum aliquantun diſſeruiſſent, ab altera part Geta ſuperveniat; quibus a metum de uxore amittend augendum ſc. 3 Antipho, opperturus Getae reditum ita interponitur, ut Getae dolos audiat, ipſe patrem metuens videatur a nemine.

1 Apollodor. teſte Don. τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα. Bion aliter teſte Laertio L. IV, c. 7, n. 3 ſenectutem

Nam hanc conditionem ſi cui tulero [1] extrario,
Quo pacto, aut unde mihi ſit [2], dicundum ordine eſt.
Te mihi fidelem eſſe aeque, atque egomet ſum mihi,
Scibam. ille ſi me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin ſpreverit [3] me; plus, quam opus eſt ſcito, ſciet:
Vereorque, ne uxor aliqua [4] hoc reſciſcat mea.
Quod ſi fit, ut me excutiam [5], atque egrediar domo [6],
Id reſtat: nam ego meorum ſolus ſum meus [7].
D. Scio, ita eſſe, et iſtaec mihi res ſollicitudini eſt:

dicebat portum malorum; in illam enim cuncta confugere.

1 *Ferre conditionem alicui* de ſponſalibus & nuptiis κυριως dicitur, & eſt h. l. filiam offerre in matrimonium.

2 Int. filia.

3 f. faſtidierit, ſe a me ſeparaverit.

4 Int. ratione; ſed adverbialiter uſurpatur.

5 h. e. ut divortii nomine dotem uxori reſolvam, atque ſic nudus bonis omnibus exeam, cui nihil rei eſt praeter dotem; adeoque me *excutiam*, velut qui veſtes excutere iubentur, ut conſtet, nihil ſub illis latere, quod auferant.

6 Scil. & ipſa domus erat ab uxore. Alioqui uxores a viro divertebant volentes, dimittebantur nolentes.

7 Apollod. Graece teſte Don. εγω γαρ ειμι των εμων εμος μονος; h. e. quomodo Weſterhovio placet, *nihil eorum, quae domi ſunt, iuris mei eſt; omnia uxoris ſunt, praeter me ipſum.* Falſo autem vulgo exponunt: *omnis familia, uxori meae, non mihi, ſtudent.*

Neque defetiſcar uſque adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus ſum, effecero.

ACTUS IV. SCENA II.

GETA.

EGo hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. venio ad hominem [1], ut dicerem,
Argentum opus eſſe, et id quo pacto fieret [2]:
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat [3]:
Gaudebat: me laudabat: quaerebat ſenem:
Dis gratias agebat, tempus ſibi dari,
Ubi Phaedriae oſtenderet nihilo minus
Amicum ſe eſſe, quam Antiphoni. hominem ad forum
Iuſſi opperiri: eo me eſſe adducturum ſenem.
Sed eccum ipſum: quis eſt ulterior [4]? at, at, Phaedriae
Pater venit. quid pertimui autem, bellua [5]?

1 Venuſte repetitum *hominem*.

2 h. e. conficeretur; cf. v. 13 & ſupra I, 1, 4, ibique Don. Sall. fragm. p. 266. ed. Bip. *quae pecunia ad Hiſp. bellum Metello facta erat.* Noſter Heaut. III, 8, 18 pulchre dixerat in ſimili cauſa: *ego argentum cudo.*

3 Cf. ſupra III, 6, 8 *dictum ſapienti ſat eſt.*

4 h. e. quis eſt praeter eum ille, ſ. ille *alter.*

5 Praeſens eſt animi ſervus; immo conſilio augetur

An quia, quos fallam, pro uno duo ſunt mi dati?
Commodius eſſe opinor, duplici ſpe uti.
Petam hinc, unde a primo inſtitui: is ſi dat, ſat eſt:
Si ab eo nil fiet, tum hunc adoriar hoſpitem [1].

ACTUS IV. SCENA III.

ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

A. EXſpecto, quam mox recipiat ſeſe Geta:
Sed patruum video cum patre adſtantem. hei mihi!
Quam timeo, adventus huius quo impellat patrem [2].
G. Adibo hoſce. o ſalve noſter Chreme! *C.* ſalve, Geta.
G. Venire ſalvom volupe eſt. *D.* credo [3]. *G.* quid agitur?
C. Multa advenienti, ut fit, nova [4]; hic compluria.
G. Ita. de Antiphone audiſtin' quae facta? *C.* omnia.
G. Tun' dixeras huic [5]? facinus indignum, Chreme,

& ſpe.

1 Non a quo inſtituerat, ſed oblatum; ſ. qui novus ſucceſſit, peregre advenit ultimus. Ab hoſpite oblato differt invitatus.

2 Cf. ſupra III, 4, 18.

3 Vis huius reſponſi patet ex Andr. V, 4, 45. Grate ſcil. reſpondentis videtur.

4 *Multa--nova* (int. ſunt) intercidimus a verbis *hic compluria.* Δεικτικῶς *hic* (ſed domi ap. vos) *compluria* (antique pro *complura*). Hinc apte reſpondet Geta.

5 Vide, ut callidus homo ſimpliciter rogat herum, &

Sic circumiri. *C.* id cum hoc agebam commodum [1].
G. Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum ſedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei [2]. C. quid, Geta [3]?
D. Quod remedium? *G.* ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. *C.* qui Phormio [4]? *G.* is, qui iſthanc [5]. *C.* ſcio.
G. Viſum eſt mi, ut eius tentarem ſententiam.
Prendo hominem ſolum. *cur non*, inquam, *Phormio*,
Vides, inter vos ſic haec potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala [6]*?*
Heru' liberalis eſt, et fugitans litium [7]:
Num ceteri quidem hercle amici omnes modo

mox ad Chremem converſus facta improbat! Et ſic ſenes ipſe circumit, ut fidum credant.

1 h. l. modo, hoc ipſo tempore; cf. Eun. II, 3, 51.

2 Aſtute inescat ſenes. Sollennia vero ſunt *hercle--quidem*, *ego quoque*, ut *ego vero*.

3 Avidior eſt Chremes.

4 De Phormione nondum ei dixerat frater; hinc rogat.

5 Dicturus erat *adduxit*. Sed Chr. qui iam intellexerat, interpellat.

6 *Mala gratia* eſt vi & ingratiis.

7 Aſtute laudando monet herum, ut minus hac in re intentus ſit argento, & ſimul in metum de lite futura denuo deducit. Mox ſe heri cauſa confinxiſſe mendacium ſimulat.

Uno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret [1].
A. Quid hic coeptat? aut quo evadet hodie [2]?
G. an legibus
Daturum poenas *dices* [3], ſi illam eiecerit?
Iam id exploratum eſt: eia, ſudabis ſatis,
Si cum illo inceptas homine: ea Eloquentia eſt [4].
Verum pone, eſſe victum eum: at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, ſed pecuniae.
Poſtquam hominem his verbis ſentio mollirier,
Soli ſumus nunc hic, inquam: *eho, quid vis dari*
Tibi in manum [5], *ut herus his deſiſtat litibus;*
Haec hinc faceſſat, tu moleſtus ne ſies?
A. Satin' illi di ſunt propitii [6]? *G. nam ſat ſcio,*
Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris,
Ut eſt ille bonus vir, tria non commutabitis.

1 Auget, quod ſupra Dem. dixerat *eiiciam.*

2 Ant. ſeorſim ſtans, his auditis ſtupet, nihil intelligit.

3 Fingit, non exſpectaſſe ſe reſponſum Ph. ſed ſubieciſſe, & ſic occupaſſe id, quod ille obiicere potuerit, quae dicendi ſpecies Rhetoribus dicitur πρόληψις, praeſumptio; Quint. IX, 2, 16. Ita vero obiectionem diſſolvit, ut herum denuo laudet falſo, praeſtantem eloquentia & potentia virum, unde Phormioni timendum ſit; ſed ſimul herum ob eiectionem cauſa caſurum, & pecunia multatum iri oſtendet. Sic recte ſuadet hero, ut malit argentum bona gratia dare, quam mala.

4 Sic Ad. III, 4, 31 *Tu nil, niſi Sapientia es.*

5 *In manum datur* argentum praeſentarium.

6 h. e. inſanitne ille? Au-

Verba hodie inter vos. *D.* quis te iſtaec iuſſit loqui [1]?
C. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. *A.* occidi [2]! *C.* perge eloqui.
G. At primo homo inſanibat [3]. *D.* cedo, quid poſtulat [4]?
G. Quid? nimium quantum. *C.* quantum? dic. *G.* *ſi quis daret.*
Talentum magnum [5]. *D.* immo malum hercle: ut nil pudet!
G. Quod dixi adeo ei: *quaeſo, quid ſi filiam*

ditis ſcil. iratior Antipho ſecum loquitur.

1 Difficilior ſ. tenacior videtur Dem. Sed alter metu uxoris facilior; quo auxiliante Syrus & illum commodius fallit; cf. ſc. priorem v. 13.

2 Ant. ſcorſim.

3 Nimium poſcendo.

4 Clamans rogat. Indignatur vero ſenex, quod a primo impudentius popoſcerit; indeque coniicit, etiam poſt contentionem ſatis ſuper fore, quod ſolvendum ſit.

5 *Talentum Atticum* & *parvum & magnum* (vid. Plaut. Moſtell. III, 1, 114 ſq. cf. ib. ſc. 3, 16) conſtabat 60 minis. Sed minae aliae aliis pretioſiores fuiſſe videntur. Qui ex Plauto l. c. ſc. I, 101 quatuor quadraginta minas feciſſe duo talenta magna colligunt, non vident, 40 minas ineſſe pro foenore. Poſcentem vero facit Phormionem plus quam petiturus erat Geta. Scil. volebat, ſenes credere, ſe ita cum illo contendiſſe de pecunia in manum danda, ut nihil amplius de 30 minis decedere debeat. Et has dividet, ut ſenes pedetentim eo deducat, quo velit.

Suam unicam locaret [1] *?* parvi rettulit
Non ſuſcepiſſe [2]. *D.* inventa eſt, quae dotem petat.
G. Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias;
Haec denique eius fuit poſtrema oratio [3]:
Ego, inquit, *iam a principio amici filiam*,
Ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere:
Nam mihi venibat in mentem eiu' incommodi,
In ſervitutem pauperem ad ditem dari [4] *:*
Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler [5],

1 int. apodoſin *an plus daret dotis?* Omittit vero, quod non ſatis decore diceretur pro re Demiphonis, an quod interlocutus eſt Demipho? cf. not. ſq.

2 Geta (ſecundum lect. Don. & Codd.) haec verba cum v. ſq. dicere pergit ad Phormionem. Don. quidem in Graeca fabula ſenem (Demiph.) ipſum hoc dixiſſe teſtatur: *Quid intereſt, me non ſuſcepiſſe filiam, ſi modo dos dabitur alienae?* Eugr. vero verba *parvi--ſuſcepiſſe* Getae tribuit, tamquam dicta ad Demiphonem. Reliqua *inventa--petat* Demiphonem ipſum dixiſſe vult. Quod ſi ſit, ſenex his verbis dotem promittit; cf. v. 56, ubi ſatis promptus eſt ad dotem decem minarum dicendam. Nos priora Getam pro apodoſi dixiſſe ad Phormionem credimus, reliqua cum Eugr. tribuimus Demiphoni. cf. Eun. IV, 4, 6, idemque poſcere videtur formula *ut ad pauca red.* qua & Parmeno, Hec. I, 2, 60 poſt interloquium utitur.

3 Exemplum ἠθοποιίας, quae eſt in dictis.

4 Quod ad ſenſum cf. Plaut. Aulul. II, 2, 49 ſqq. Loquendi vero modus ſimilis ap. eundem Stich. I, 2, 83 *Hoſtis eſt uxor, invita quae ad virum nuptum datur.*

5 Iam cauſa petendae pe-

Aliquantulum [1] *quae afferret, qui diſſolverem,*
Quae debeo: et etiam nunc, ſi volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio [2], *quae ſponſa*
mihi,
Nullam mihi malim, quam iſtanc, uxorem dari.
A. Utrum ſtultitia facere ego hunc, an maliti
Dicam, ſcientem an imprudentem, incert
ſum [3].
D. Quid, ſi animam debet [4]? *G. ager oppoſitu'*
pignori ob
Decem minas, inquit. *D.* age, age, iam ducat
dabo [5].
G. *Aediculae item ſunt ob decem alias. D.* hoi, hei
Nimium eſt. C. ne clama: petito haſce a me decem
G. *Uxori emenda ancillula eſt; tum pluſcula*
Supellectile opus eſt; tum ſumptu ad nuptias.
His rebus ſane pone [6], inquit, *decem minas.*

cuniae, quam dicturus eſt, ingeritur.

1 Minuit, quod grandius videbitur ſenibus.

2 Non *accipiam;* ut praeſens pecunia credatur, neque de ſumma locus ſit diſputationi.

3 Iratiſſimus Antipho haec ſeorſim.

4 Graecum proverbium.

5 Male haec ab aliis Chremeti tribuuntur, quae ſun Demiphonis, credentis ſcil decem tantum iſtis mini rem confectam fore. Get vero, ne ſtatim deterreretu Demipho, prudenter non protinus ſummam omnem dixit.

6 h. e. ad minimum ſtatue; quaſi plus quidem exigere poſſit; ſed hoc contentus ſit.

D. Sexcentas [1] proinde ſcribito iam mihi dicas:
Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
C. Quaeſo, ego dabo, quieſce. tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *A.* hei mihi,
Geta, occidiſti me tuis fallaciis [2].
C. Mea cauſa eiicitur: me hoc eſt aequom amittere [3].
G. *Quantum potes, me certiorem*, inquit, *face* [4]:
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus ſiem:
Nam illi mihi dotem iam conſtituerunt dare.
C. Iam accipiet [5]: illis [6] repudium renuntiet:
Hanc ducat. *D.* quae quidem illi res vortat male.
C. Opportune [7] adeo nunc mecum argentum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt praedia [8]:

1 Ut ap. Graecos μυρια, ita Latine *ſexcenta* dicitur pro *multis*.

2 Ant. ira & dolore victus haec pronuntiat ſibi.

3 Chr. hoc ad Dem. dicit, rerum ſuarum conſcium.

4 Geta artifex, quo minus ipſe intervenire huic rei videatur, tenorem narrationis ad extremum ſatis graviter peragit; lente feſtinans orditur *quantum potes* &c. ob periculum in mora.

5 Chr. ſua cauſa promptior eſt ad rem abſolvendam. Demipho tenacior vix cedit fratris cauſa. Mox invidia precationem in nuptiis ſollennem convertit in imprecationem.

6 Sponſae, eamque deſpondentibus.

7 Comice. Sic enim commodius emungitur a Geta.

8 Malam eius rei ab uxore iracunda inibit gratiam.

Id [1] ſumam : uxori, tibi opus eſſe, dixero [2].

ACTUS IV. SCENA IV [3].

ANTIPHO, GETA.

A. Geta! *G.* hem! *A.* quid egiſti [4]? *G.* emur
argento ſenes [5].
A. Satin' id eſt [6]? *G.* neſcio hercle : tantun
iuſſus ſum.
A. Eho verbero, aliud mihi reſpondes, ac rog
G. Quid ergo narras? *A.* quid ego narrem
opera tua ad
Reſtim mihi quidem res rediit planiſſume [8]:
Ut te quidem omnes di, deae, ſuperi, inferi,

1 *Id* (argentum) *ſumam*, impendam. Sic Don. Sed Bemb. habet *inde*, l. ex fructu praedii, *ſumam* ſcil. 30 minas.

2 Futurum exactum, ut intelligatur, non, niſi prius annuerit uxor, fratri commodare audere. Senes una abeunt ad argentum petendum.

3 Prodit ex angulo Ant. plenus irarum; quas mutabit Geta, quaſi ludens, in ſpem melioris exitus.

4 Non tam interroga quam iracunde corripit.

5 Iocoſe reſpondet, non tam male actum pu Ant. quam videatur ipſi.

6 Int. te argentum inve niſſe. Sed Geta iocoſe acci pit, ac ſi rogaſſet, ſatiſne i argenti ſit ad rem Phaedria abſolvendam.

7 Scil. 30 minas.

8 Formula deſperantis cui iam nihil relictum ſit quam ut ſe ſuſpendat. c Andr. I, 5, 21.

Malis exemplis perdant! hem, ſi quid velis,
Huic mandes, qui te ad ſcopulum e tranquillo auferat.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere [1],
Aut nominare uxorem? iniecta eſt ſpes patri,
Poſſe illam extrudi. cedo, nunc porro Phormio
Dotem ſi accipiet, uxor ducenda eſt domum:
Quid fiet? *G.* non enim ducet [2]. *A.* novi: ceterum
Cum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet [3]
In nervom potius ibit [4]. *G.* nihil eſt, Antipho,
Quin male narrando poſſit depravarier.
Tu id, quod boni eſt, excerpis [5]; dicis, quod mali eſt.
Audi nunc contra iam. *ſi argentum acceperit,*
Ducenda eſt uxor, ut ais: concedo tibi:

1 Proverbiale. Cic. de N. D. I, 37 *Quidquid enim horum attigeris, ulcus eſt. Ita male inſtituta ratio exitum reperire non poteſt.* Ulcera *tangendo* non curantur, ſed fere nutriuntur, ſerpunt. Accedit, quod tactio ulceris dolorem moveat inutiliter. Itaque Ant. iam diſputans obiicit: quid ita rationem argenti inveniundi inſtituiſti, ut exitum reperire nequeas? Declarat id mox pluribus.

2 Geta multa clamanti pauca ſedate reſpondet, velut iſtorum nihil timens.

3 *Scilicet* ironiae inſervit.

4 Scil. quam ducat Phanium. In nervum ſ. vincula corripiebantur, qui ſolvendo non erant. Phormio autem argentum redditurus erat Phaedriae; neque ipſe ſenibus dotem reddere poterat, ſi nuptias effugeret. cf. ſupra III, 1, 11.

5 h. l. omittis.

Spatium quidem, tandem [1] apparandis nuptiis,
Vocandi, ſacrificandi dabitur paululum:
Interea [2] amici, quod polliciti ſunt [3], dabunt:
Inde iſte reddet. *A.* quam ob rem [4]? aut quid
dicet? *G.* rogas?
Quot res [5]? *poſt illa* [6] *monſtra evenerunt mihi:*
Introiit in aedes ater alienus canis [7]:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit [8], *interdixit* [9] *hariolus:*
Haruſpex vetuit [10]: *ante brumam autem novi*

1 Coniunge *tandem* cum *app. n.* ut ſignificetur, moram fore in apparandis nuptiis. Ad has ſpatium vocandi, ſacrificandi dabitur; quod G. Fabr. non intelligens falſo fecit *apparandi nuptias*, quod alii ſecuti ſunt.

2 Cf. Andr. II, 1, 16.

3 Int. argentum.

4 Int. reddet dotem, repudiata Phanio, quam ducere pollicitus erat.

5 Scil. dicere poterit; cf. Plaut. Mil. II, 2, 95 *Trecentae cauſae poſſunt colligi.*

6 h. e. poſteaquam Phanium me ducturum promiſeram. Colligit vero Geta verbis Phormionis cauſas, a religione & ſuperſtitione Graecorum ductas, ob quas nuptiae non futurae eſſent. Poeta ſic pulchre ludit vaniſſimam illam δεισιδαιμονίαν hominum, qui res fortuitas ad praeſagium futuri mali trahunt.

7 Multa a canibus ferebantur prodigia. Alienus vero canis in aedes introiens vertebatur in omen parati moechi.

8 In qua domo gallina cantabat, credebatur uxor ſuperſtes fore marito, teſte Don.

9 Int. nuptias.

10 Scil. victimis inſpectis nuptias vetuit.

Negoti inciperem quid? cauſa eſt iuſtiſſima [1].
Haec fient [2]. *A.* ut modo fiant. *G.* fient : me vide [3];
Pater exit : abi, dic, eſſe argentum, Phaedriae.

ACTUS IV. SCENA V[4].

DEMIPHO, GETA, CHREMES.

D. QUietus eſto, inquam : ego curabo, ne quid verborum duit.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi teſtes adhibeam,
Cum dem : et, quam ob rem dem, commemorabo. *G.* ut cautus eſt, ubi nil opu' ſt [5].
C. Atqui ita opus facto eſt : et matura, dum lubido eadem haec manet :
Nam ſi altera illaec magis inſtabit, forſitan nos reiciat.

1 Pulchrius Geta per ironiam ſic claudit; uti Andr. I, 1, 114 *honeſta oratio eſt;* & V, 4, 47 *cauſa optuma eſt.* Ap. noſtrum vero *cauſa iuſta* dicitur ſupra II, 2, 49 & Heaut. prol. 41.

2 Supra Ant. dixerat v. 13 *quid fiet?*

3 Fortius ſic dicit, quam *crede mihi*, & fiducia ſua erigit animum Antiphonis.

4 Redeunt cum argento ſenes, cautius quam opus eſt conſulentes, quomodo nunc detur Phormioni, & Phanium bona cum gratia amoveatur. Neque Phormio redditurus erat, neque Phanium amovenda.

5 Geta hoc ſeorſim dicit ad ſpectatores.

G. Rem ipſam putaſti [1]. *D.* duc me ad eum erg
G. non moror. *C.* ubi hoc egeris,
Tranſito ad uxorem meam, ut conveniat har
prius, quam hinc abit:
Dicat, eam dare nos Phormioni nuptum, ne ſu
cenſeat;
Et magis eſſe illum idoneum, qui ipſi ſit fam
liarior;
Nos noſtro officio non digreſſos eſſe; quantum
voluerit,
Datum eſſe dotis [2]. *D.* quid tua, malum, id re
fert? *C.* magni, Demipho.
Non ſatis eſt, tuum te officium feciſſe, id ſi no
fama approbat.
Volo ipſius quoque voluntate hoc fieri, ne ſ
eiectam praedicet.
D. Idem ego iſtuc facere poſſum. *C.* mulier mu
lieri magis convenit [3].
D. Rogabo [4]. *C.* ubi illas [5] nunc ego reperir
poſſim, cogito.

1 Senilem cautionem ri-
det ad ſpectatores.

2 Quam loquax eſt Chr. ſibique prudentior videtur, qui primus ſe decipi paſſus eſt! Atque eius cauſa Dem. difficilior tandem cedit.

3 h. e. minus repugnat, ſ. mulier mulieri facili perſuadet.

4 Scil. uxorem tuam. Nu cum Geta abit ad Phorm.

5 Filiam eiuſque matren quas Lemno Athenas m graſſe audiverat ſupra ſc. 5 ſq. Quibus verbis ſim

ACTUS IV. SCENA VI[1].

SOPHRONA, CHREMES.

S. QUid agam? quem mihi amicum inveniam miſera? aut quo[2] conſilia haec[3] referam?
Aut unde auxilium[4] petam?
Nam vereor, hera ne ob meum ſuaſum indigna iniuria afficiatur:
Ita patrem adoleſcentis facta haec tolerare audio violenter.
C. Nam quae haec anus eſt exanimata, a fratre quae egreſſa eſt meo?
S. Quod ut facerem, egeſtas me impulit[5]; cum ſcirem infirmas nuptias

huic ſcenae coniungitur ſequens, quam male vulgata diſiunxit ab Actu IV, contra quam Donatus edixerat. Nos hunc, ſ. potius ipſam ſcenicam rationem ſequimur cum Daciëria.

1 Dum quaerere filiam & uxorem meditatur Chremes, nutrix filiae a Demiphone egreditur in ſcenam, quam querentem de herae periculo ubi aliquantum audiſſet & agnoviſſet, ipſe ad eam accedit, ac reſciſcit, filiam ſuam, quod voluerat, nuptam eſſe Antiphoni. Ex hac cataſtrophe erit Actus V.

2 h. e. ad quem; uti mox *unde*, a quo.

3 Quae ipſa dein narrat v. 6 & 7. Vult amicum prudentem.

4 Auxilium praeſens adverſus patrem Antiphonis; & ſic opus ſit potenti amico.

5 Veniam adeo meretur.

Haſce eſſe, ut id conſulerem, interea vita ut in tuto foret.
C. Certe aedepol, niſi me animus fallit, aut parum proſpiciunt oculi [1],
Meae nutricem gnatae video. *S.* neque ille inveſtigatur. C. quid agam ?
S. Qui eſt eius pater. *C.* adeo ? an maneo, dum ea, quae loquitur, magis cognoſco ?
S. Quod ſi eum nunc reperire poſſim, nihil eſt, quod verear. *C.* ea eſt ipſa:
Conloquar [2]. *S.* quis hic loquitur? *C.* Sophrona. *S.* et meum nomen nominat ?
C. Reſpice ad me. *S.* di, obſecro vos: eſtne hic Stilpho ? *C.* non. *S.* negas ?
C. Concede hinc a foribus paululum iſtorſum ſodes, Sophrona.
Ne me iſtoc poſthac nomine appellaſſis [3]. *S.* quid ? non, obſecro, es,
Quem ſemper te eſſe [4] dictitaſti ? *C.* ſt. *S.* quid has metuis fores?
C. Concluſam hic habeo uxorem ſaevam [5]: verum iſtoc de nomine

1 Error eſt ex eo, quod male videmus, l. quod confuſe. Utrumque in ſenem cadit maxime.

2 Nunc primum certus accedit, & altius ſecum loquitur.

3 Chr. metuens ab uxore ſummiſſius eam monet. Sed vetula, rerum ignara, clare loqui pergit.

4 *Eſſe* antiquorum more, dixit pro *nominari.* Don.

5 Velut *feram;* apte igitur

Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis [1], atque id porro aliqua uxor mea reſciſceret.
S. Iſtoc [2] pol nos te hic invenire miſerae nunquam potuimus.
C. Eho, dic mihi, quid rei tibi eſt cum familia hac, unde exis [3]?
Ubi illae ſunt? *S.* miſeram me [4]! *C.* hem, quid eſt? vivuntne? *S.* vivit gnata [5].
Matrem ipſam ex aegritudine miſeram mors conſecuta eſt [6].

concluſam dicit. Ferae enim caveis concluduntur.

1 Mulieres ſimiles vaſi futili, nec bene continent, quae tradideris; cf. Andr. III, 5, 3 & Eun. I, 2, 23 & 25.

2 *Iſtoc*, ob iſtuc; uti ante *eo*, ob id.

3 Poſt ambages, quas fecit metus uxoris, venit ad rem. Mirum ipſi erat, quod nutrix filiae a Demiphone egreſſa eſſet; unde quaerit ſimul, ubi illae, filia eiusque mater, ſint.

4 Verum dicere metuit ob nuptias filiae infirmas, ſuo ſuaſu confectas. Ex metu nutricis territus pater metuit, ne ipſis humanitus quid acciderit. Lenius vero rogat *vivuntne?*

5 Ab eo incipit, quod iucundius eſſe debebat patri. Inde ad uxorem Lemniam venit, quam iam minus deſideraturus erat ſenex. Tandem ſe immiſcet, dum ad eum refert ſua de Phanii nuptiis conſilia.

6 E medio igitur abiit qui in hac re ſcrupulus eſſe potuit; cf. V, 8, 30. Invenietur hinc ratio pacis, cum uxore faciendae.

C. Male factum [1]! S. ego autem, quae eſſem anus deſerta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adoleſcenti,
Harum qui eſt dominus aedium. C. Antiphonine? S. hem, iſti ipſi. C. quid!
Duaſne is uxores habet? S. au, obſecro! unam ille quidem hanc ſolam.
C. Quid illa altera, quae dicitur cognata? S. haec ergo [2] eſt. C. quid ais?
S. Compoſito factum eſt, quo modo hanc amans habere poſſet
Sine dote. C. di voſtram fidem, quam ſaepe forte temere [3]
Eveniunt, quae non audeas optare [4]! offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, conciliatam amore.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,

1 Bene temperavit poeta, ne humano animo non ferret mortem uxoris Lemniae, quam nunc aegrius ferre haud potuit.

2 *Ergo* h. l. vim confirmandi habet, pro *haec ipſa eſt*, ut Plaut. Epid. III, 4, 41.

3 ſ. improviſo, ſine noſtra cura.

4 Plaut. Moſt. I, 3, 40. *Inſperata accidunt magis ſaepe, quam quae ſperes.*

Sine noſtra cura, maxume ſua cura haec ſola fecit [1].
S. Nunc quid opus facto ſit, vide [2]: pater adoleſcentis venit,
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. *C.* nihil pericli eſt.
Sed per deos atque homines, meam eſſe hanc cave reſciſcat quiſquam.
S. Nemo ex me ſcibit [3]. *C.* ſequere me: intus [4] cetera audies.

ACTUS V. SCENA I. [5]

DEMIPHO, GETA.

D. Noſtrapte culpa facimus, ut malis expediat eſſe,

1 Haec muliercula egens, deſerta, fecit ſua cura (adiuvantibus Diis), quod ut fieret nos ambo maxime operam dabamus. Ita forte temere res cupita evenit Chremeti. Forte factum erat, ut interveniret adoleſcens, qui lacrumans narraret de virgine miſera, ut Ant. commotus eam adiret, viſamque ſtatim amaret. Nuptiis conſuluit nutrix ſola; cf. v. 6 ſq.

2 Conſilia placuiſſe patri ſatis habens, ab eodem auxilium petit, cf. v. 2, quo nunc non opus eſſe, ipſe edicet.

3 Scibit tamen aliunde Geta; hinc erunt iurgia inter ipſum & uxorem, & Phaedriae ſecuritas.

4 In aedibus Demiphonis, quo una ingreditur ad filiam.

5 Dem. a Phormione, cui argentum dederat, redux, ſera prudentia animum retorquet ad argentum amiſſum; iam Nauſiſtratam re-

Dum nimium dici nos bonos ſtudemus et benignos.
Ita fugias, ne praeter caſam [1], quod aiunt. nonne id ſat erat,
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum eſt ultro obiectum,
Ut ſit qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
G. Planiſſime [2]. *D.* his nunc praemium eſt, qui recta prava faciunt.
G. Veriſſime. *D.* ut ſtultiſſime quidem illi [3] rem geſſerimus.
G. Modo ut hoc conſilio poſſiet diſcedi, ut iſtam ducat [4].

gaturus, ut cum Phanio loquatur. Mox *exp. eſſe* int. malos; cf. Heaut. II, 3, 8.

1 Prov. quod Don. exponit: *ne praetereas caſam tuam, quae ſit tibi tutiſſimum receptaculum.* Plura is addit, velut incertus ſententiae. Sed & ea, & quae recentiores multa congeſſere, ad obſcurandum magis, quam ad illuſtrandum proverbium, omittimus. Poeta nobis v. ſq. ita praeire videtur, ut credamus, proverbio moneri, ne quis hoſtem fugiendo caſam praetereat ſuam; in quam ſi ſe receperit, ſatis erit iniuriae; ſi praeterierit, ultro ſe hoſti praebiturus ſit, iniuriis afficiendum, ſpoliandum.

2 Aſſentans deridet hominem ſero ſapientem.

3 h. e. pro illo, ut illi praemium eſſet. Sic Iulianus L. quoties D. de ſolut. *tamquam negotium reo geſſiſſet.* Alii malunt adverbialiter ſumi pro *illic*, in ea re.

4 Ut ſtultiſſimo ſtultius videatur conſilium, etiam a mutabili animo Phormionis metum incutit; in quo eſt praeparatio futuri.

D. Etiamne id dubium eſt? *G.* haud ſcio hercle, ut homo eſt [1], an mutet animum.
D. Hem! mutet autem? *G.* neſcio: verum, ſi forte, dico.
D. Ita faciam, ut frater cenſuit [2]; ut uxorem eius huc adducam,
Cum iſta ut loquatur. tu, Geta, abi [3]: praenuntia hanc [4] venturam.

ACTUS V. SCENA II. [5]

GETA.

G. ARgentum inventum eſt Phaedriae: de iurgio [6] ſiletur:
Proviſum eſt, ne in praeſentia haec hinc abeat [7]: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto haeſitas [8]: vorſura ſolvis,

1 cf. Adelph. I, 2, 63.

2 Territus iam utitur conſilio fratris; ut citius res conficiatur bona gratia.

3 Ad Phanium.

4 Scil. Nauſiſtratam.

5 Ingreſſo iam Dem. ad Nauſiſtratam, Geta, antequam abeat, ſolus ſecum reputat, quae acta ſint, & futuri rationes init.

6 Patris cum filio Antiph.

7 Spatium enim poſcetur ad apparandas nuptias; cf. IV, 4, 21.

8 Lactant. VII, 2 *itaque in varias ſibique ſaepe contrarias ſententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent; & in eodem luto, ſicut Comicus*

Geta: praeſens quod fuerat malum, in diem abiit: plagae creſcunt,
Niſi proſpicis [1]. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut eius orationem.

ait, *haeſitaverunt.* Exponimus igitur: dum exitum quaeris, non invenis, ſed altius immergeris. Mox *vorſura ſolvis* h. e. ut Don. ait, *creditorem mutas.* Sed explendo facilius intelligitur formula, *vorſura* ſcil. facta *ſolvis* ſ. diſſolvis ſcil. debitum. Cic. ad Attic. V, 1 poſt mentionem *DCCC HS* ita ait, *quae quidem utique vel verſura facta ſolvi volo.* Ergo alii male retinent olim editum h. l. *vorſuram ſolves.* Solverat Geta quaſi prius debitum, dum Phaedriam, invento argento, liberaſſet periculo amittendae amicae; ſed invenerat argentum quaſi *vorſura*, h. e. ut inde Antiphoni maius eſſet periculum amittendae uxoris. Huic reſpondent quae Geta v. ſq. addit. *Vorſuram* (quae dicitur a *vertendo*, h. e. mutando creditore) *faciebant*, qui ex aere alieno diſſolvebant aes alienum, argentario interveniente, qui priori creditori ſatisfaciens novus creditor foret, ſed iniquioris foenoris conditione. Unde & tandem Romae vorſura vetita; cf. Tac. Ann. VI, 16. Ingenioſe autem dictum Ter. accommodavit Lactant. II, 8, 24.

1 Hic conſiſtit Getae conſilium, quod eſt in quaerendo ſpatio ad nuptias, an etiam inde, quod Phanium adverſari debeat contra nuptias novas, neque orationem ea de re audiat; unde res ipſa proferri debet.

ACTUS V. SCENA III[1].

DEMIPHO, NAUSISTRATA.

D. AGedum, ut ſoles, Nauſiſtrata, fac illa ut placetur nobis,
Ut ſua voluntate id, quod eſt faciendum, faciat. *N.* faciam.
D. Pariter nunc opera me adiuves, ac re dudum opitulata es[2].
N. Factum volo[3]: ac pol minus queo viri culpa, quam me dignum eſt.
D. Quid autem? *N.* quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praediis talenta argenti bina
Capiebat ſtatim[4]: hem, vir viro quid praeſtat! *D.* bina quaeſo[5]?

1 Demea feſtinans cum Nauſiſtrata, hanc in ſcena, quaſi in itinere, orare pergit. Mox vero miſcet dives mulier pro ingenio licentius querelas de viri negligentia.

2 Scil. mutuo, quod ipſa praeſciente ex eius praediis acceperat; ut ſupra IV, 76.

3 Formula, qua promptitudinem ſignificamus orantibus opem noſtram, cf. Plaut. Bacch. III, 3, 91.

4 *Statim* h. l. primam habens longam, ſignificat *perpetuo*, *aequaliter* & quaſi uno ſtatu. Cf. Tac. Ann. IV, 38 in fine, ibique not. ed. Bip.

5 Vide, ut Dem. mulierem capere ſtudet mirando, aſſentando. Altius igitur iam clamat mulier ſuperbe de ſe ſentiens.

N. Ac rebus vilioribu' multo, tamen talenta bina. *D.* hui!
N. Quid haec videntur? *D.* ſcilicet. *N.* virum me natum vellem:
Ego oſtenderem... *D.* certo ſcio. *N.* quo pacto [1]... *D.* parce [2], ſodes,
Ut poſſis cum illa; ne adoleſcens mulier te fatiget.
N. Faciam, ut iubes: ſed meum virum abs te exire video [3].

ACTUS V. SCENA IV. [4]

DEMIPHO, NAUSISTRATA, CHREMES.

C. HEm, Demipho,

1 Dictura fuit: rem tueri & augere oporteat. Sed interloquitur Demipho, cui iactatio haec nunc aliena eſt & moleſta.

2 Int. tibi; ſ. voci tuae. Exercebit vero lingulaca illa mulier, eaque ſaeva uxor, dein vim ſuam non adverſus Phanium, ſed iurgando virum.

3 Hinc igitur novae ſcenae initinm facimus.

4 Chr. agnita filia, a Demiphone erumpens, fratrem anxius quaerit, an pecunia data ſit Phormioni, ſed viſa uxore ſtatim reprimens ſe, arcanum fratri varie ſignificare vult, verum is parum ſagax diutius repugnat fratri; unde comici ludi, turbae pleni, in quibus eſt praeparatio futurae turbae, qua exitus invenietur.

Iam illi datum eſt argentum? *D.* curavi illico. *C.* nollem datum [1].
Hei! video uxorem: paene plus, quam ſat erat [2]. *D.* cur nolles, Chreme?
C. Iam recte [3]. *D.* quid tu? ecquid locutus cum iſta es, quamobrem hanc ducimus [4]?
C. Tranſegi. *D.* quid ait tandem? *C.* abduci non poteſt [5]. *D.* qui non poteſt [6]?
C. Quia uterque utrique eſt cordi [7]. *D.* quid iſtuc noſtra? *C.* magni. praeter haec,
Cognatam [8] comperi eſſe nobis. *D.* quid! deliras? *C.* ſic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam [9]. *D.* ſati' ne ſanus es?

1 Primum ſignum, e quo coniiceret Dem. verum, niſi is coecutiret.

2 Int. dixi, ſcil. de argento dato Phormioni, unde multa odorari potuit Nauſiſtrata. Sed ea nil dum ſuſpicans, poſtea certius ſe deceptam ſentiet.

3 Verum ob uxoris praeſentiam eloqui non audens, fere nil reſpondet; quaſi concedens. In hac ipſa vero reticentia alterum ſignum eſt.

4 Scil. uxorem tuam.

5 Tertium ſignum.

6 Iam Demea iraſci coepit; hinc minus odorabitur, quae paene plus quam ſapienti ſat forent, Chremes dicere cogitur.

7 Quartum ſignum.

8 Quintum ſignum, adeo clarum, ut ni coecus fuiſſet Demipho, inde coniiceret, Phanium inventam eſſe filiam fratris.

9 h. e. memineris, ut ego. Sic ad memoriam re-

N. Au, obſecro, vide, ne in cognatam pecces [1]; *D.* non eſt. *C.* ne nega:
Patri' nomen aliud dictum eſt [2]: hoc tu erraſti. *D.* non norat patrem?
C. Norat. *D.* cur aliud dixit? *C.* nunquamne hodie concedes [3], neque
Intelleges? *D.* ſi tu nil narras. *C.* perdis [4]. *N.* miror quid hoc ſiet.
D. Equidem hercle neſcio. *C.* vin' ſcire? at ita me ſervet Iuppiter,
Ut propior illi, quam ego ſum, ac tu, homo nemo eſt [5]. *D.* dii voſtram fidem!
Eamus ad ipſam una omnes nos: aut ſcire, aut neſcire hoc volo. C. ah [6]!

vocare tentat filiae ex uxore Lemnia.

1 Nauſiſtrata ex viri dictis partem veri colligit. Demiphonem occupat penitus ardor animi, quo minus videat.

2 Chr. coactus profert ſextum ſignum.

3 Int. mihi.

4 Perplexe loquitur & ambigue *perdis*, int. me, quem contumacia tua eo adigis, ut ex ſignis datis iam plus, quam opus eſt, uxor ſuſpicetur. Sed & intelligi potuit, Demiphonem certando perditurum eſſe; uti de ludentibus ſimpliciter dicitur.

5 Chr. ad ultimum timens, ne uxor cum fratre tandem ad quaerendum iſtuc in aedes irrumpat, ſeptimum addit, quo paene res ipſa effutitur. Et tamen inſanus Dem. fere perditum it fratrem.

6 Chr. exterritus inclamat; unde Dem. vix tandem

D. Quid eſt? *C.* itane parum mihi fidem eſſe apud te? *D.* vin' me hoc credere?
Vin' ſatis quaeſitum mihi iſtuc eſſe [1]? age fiat. quid? illa filia
Amici noſtri [2], quid futurum eſt? *C.* recte. *D.* hanc igitur mittimus?
C. Quidni? *D.* illa maneat? *C.* ſic. *D.* ire igitur tibi licet, Nauſiſtrata [3].
N. Sic pol commodius eſſe in omnes [4] arbitror, quam ut coeperas,
Manere hanc: nam perliberalis viſa eſt, cum vidi, mihi.
D. Quid iſtuc negotii eſt [5]? *C.* iamne operuit oſtium [6]? *D.* iam. *C.* o Iuppiter!
Di nos reſpiciunt [7]: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *D.* hem!

excitatur ad ſuſpicandum fratris metum; necdum tamen videt verum.

1 h. e. viſne, me ultra nihil quaerere? Sic vero tandem abrumpit ſermonem.

2 Significat ipſum fratrem Demipho, ne illius uxor intelligat. Sic vero Nauſiſtrata plane praeparatur ad intelligendam argumentis rem omnem, cum primum Phormio eam illi indicaverit.

3 Ita tandem amovetur Nauſiſtrata, metuſque fratri adimitur.

4 Scil. filium tuum, & quam amat Phanium, teque ipſum ſocerum.

5 Vinci ſe quidem paſſus erat a fratre; ſed nil veri intellexit tardus & aſper ſenex.

6 Vide, ut alter ſit meticuloſus!

7 Formula eorum, quibus ſubito ad ſalutem con-

Quo pacto id potuit? C. non ſatis tutus eſt ad narrandum hic locus.

D. At tu intro [1] abi. *C.* heus, ne filii quidem noſtri hoc reſciſcant, volo [2].

ACTUS. V. SCENA V [3].

ANTIPHO

LAetu' ſum, ut meae res ſeſe habent [4], fratri obtigiſſe quod volt.

Quam ſcitum [5] eſt, eiu'modi parare in animo cupiditates,

Quas, cum res advorſae ſient, paulo [6] mederi poſſis!

Hic ſimul argentum repperit, cura ſeſe expedivit:

vertitur malum; cf. ſc. 7, v. 15.

1 Scil. ad me.

2 Chr. qui ſupra nutricem monuerat, ne quis haec ex ea reſciſcat, & nunc idem monet fratrem, ne filii reſciſcant, is ſuo iudicio, quaſi ſorex, peribit. Ipſe enim hac ſcena id facere coeperat. Dum vero egrediuntur ſcena, hanc alter filiorum ingreditur.

3 Ant. iam a metu ad ſpem retinendae uxoris vocatus, tum in laetitiae de Phaedria curis expedito aliquam partem venit, tum redire domum audet.

4 Scil mediae inter metum & ſpem.

5 h. l. cautum; alias venuſtum.

6 Scil. ſumptu l. remedio.

Ego nullo poſſum remedio me evolvere [1] ex his turbis,
Quin, ſi hoc [2] celetur, in metu; ſin patefit, in probro ſiem.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi eſſet ſpes oſtenta [3]
Huiuſce habendae. ſed ubinam Getam invenire poſſum, ut
Rogem, quod tempus conveniendi patris me capere [4] iubeat?

ACTUS V. SCENA VI [5].

PHORMIO, ANTIPHO.

P. ARgentum accepi: tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curavi, propria [6] Phaedria ut poteretur: nam emiſſa eſt manu.

1 Metaphora, ducta a fili glomere. Evolutum vero ſe prius ex his turbis intelliget, quam Phaedriae cura argentaria adempta ſit.

2 Quod compoſito cum Phormione id fecerit.

3 Cf. Eun. III, 5, 57. Ex quo Chr. cum Phanio egit, per intervallum inter Act. IV & V, accipere potuit obſcure, rem componi poſſe.

4 Ut Graeci dicunt λαβεῖν καιρὸν.

5 Accedit Phormio, ſpatium a ſenibus quaeſiturus. Sed opportunius iam adeſt ad exitum fabulae; quo minus opus erit ſpatio.

6 Scil. muliere.

Nunc una mihi res etiam reſtat, quae eſt conficiunda, otium
Ab ſenibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos ſumam dies.
A. Sed Phormio eſt. quid ais? *P.* quid? *A.* quidnam nunc facturu' eſt Phaedria?
Quo pacto ſatietatem amoris ait ſe velle abſumere [1]?
P. Viciſſim parteis tuas acturus eſt. *A.* quas? *P.* ut fugitet patrem.
Te ſuas rogavit rurſum ut ageres, cauſam ut pro ſe diceres:
Nam potaturus eſt apud me: ego me ire ſenibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, dudum quam dixit Geta;
Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum ſuum.
Sed oſtium concrepuit abs te. *A.* vide, qui egrediatur. *P.* Geta eſt.

1 *Satietatem am. abſumere* eſt in amore cavere, ne eius ſatietatem habeas; ſatietatem ipſam amoris vincere; quod facile fit in vero amore; difficilius in meretricio. Ant. Phaedriae amorem ex ſuo iudicat.

ACTUS V. SCENA VII [1].

GETA, ANTIPHO, PHORMIO.

G. O Fortuna [2]! o fors fortuna! quantis commoditatibus,
Quam ſubito, meo hero [3] Antiphoni ope veſtra hunc oneraſtis diem [4]!
A. Quidnam hic ſibi volt? *G.* noſque amicos eiu' exoneraſtis metu!
Sed ego nunc mihi ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio [5],

1 Geta (in quo vis conſilii eſt, uti in Phormione rei geſtio) cum, auceps ſermonibus ſenum cum Phanio, clanculum audiſſet, Antiphonis uxorem inventam eſſe filiam Chremetis, laetitia praeproperans quaerit Antiphonem, gaudiis cumulandum, eumque cum Phormione invenit. Narrat audita. Sic Ant. ſubito evolvitur curis. Sed reſtat Phaedria, & cura de argento reddendo.

2 *Fortuna* nunquam perpetuo bona eſt; ſed laudatur *fors fortuna*, gubernatrix eorum, quae bene eveniunt. Cf. Eun. V, 10, 4. & Hec. III, 3, 46.

3 Qui mihi ſolus hodie eſt herus, cui uni ego ſervio.

4 Mire auget pro ſua ex metu laetitia. cf. Plaut. Capt. IV, 1, 7.

5 Properantes pallium in collum coniiciebant, ne curſus impediretur. Videri autem poteſt *onerare* aures, in verbo illo ſe circumagens. Sed & ipſe nunc id agendo geſtum rotantis ſe expreſſiſſe videtur, quaſi homo liber, dum ab omni metu liber eſt.

Atque hominem propero invenire, ut haec, quae contigerint, ſciat?
A. Num tu intellegis, hic quid narret? *P.* num tu? *A.* nil. *P.* tantundem ego.
G. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc ſunt [1]. *A.* heus Geta. *G.* hem tibi [2].
Num novum aut mirum eſt revocari, curſum cum inſtiteris? *A.* Geta.
G. [3] Pergit: hercle curialis vernula [4] eſt, qui me vocat:
Hercle nunquam hodie odio [5] tuo me vinces [6]. *A.* non manes [7]?
G. Vapula [8]. id quidem iam tibi fiet, niſi reſiſtis, verbero!

1 Antiphonem cum Phaedria putat. Sed iam abducta erat amica Phaedriae. Curſum iam init.

2 Idiotiſmus affecti ſubito, ſed h. l. ſpernentis, uti Ad. V, 1, 4; quem exponimus: *hem tibi* otioſum aliquem (cf. Andr. V, 2, 1 *hem Davom tibi*) qui te remorari cupit; (quod ſaepius fiebat, cf. Ad. III, 2, 23.) Geta vero haud reſpectans, ſed pergens haec dicit.

3 Geta necdum reſpectans, ſibi hoc dicit; mox oblique iacto capite illi, quiſquis vocet, reſpondet altius. Plane autem nova ratione verſus tres ſqq. ordinatos damus; quod tuemur in not. crit. ad h. l.

4 Servus publicus, qui curiae, φρατρία, tertiae parti tribus ap. Athenienſes ſervibat. Contemptim eum appellat *vernulam*.

5 h. e. pervicacia in vocando.

6 h. e. efficies, ut curſum ſiſtam; cf. Hor. I Serm. 7, v. 6.

7 Minanti voce pronuntiatur.

8 Quod, ut Feſtus ait, tum

G. Familiariorem [1] oportet eſſe hunc: minitatur malum [2].
Sed iſne eſt, quem quaero, an non? ipſu' eſt. *P.* congredere actutum [3]. *A.* quid eſt?
G. O omnium, quantum eſt, qui vivunt, homo hominum ornatiſſime:
Nam ſine controverſia [4] a dis ſolus diligere, Antipho.
A. Ita velim: ſed, qui iſtuc credam ita eſſe, mihi dici velim.
G. Satin' eſt, ſi te delibutum gaudio reddo? *A.* enicas.
P. [5] Quin tu hinc pollicitationes [6] aufer, et, quod fers, cedo. *G.* oh!

dici ſolitum, cum vellent minantibus ſignificare, ſe eos negligere & non curare — teſte Ter. in Phorm. &c. Locum hunc tranſtulit poeta ex Plaut. Aſin. II, 4, 72. Plenius idem Curcul. IV, 4, 12 *Vapulare ego te vehementer iubeo: ne me territes.* Graeci: Οιμωξι κλαιειν μακραν σε κελευω. Mox *fiet*, ſcil. ut vapules; quod Plaut. Aſin. l. c. addit.

1 Scil. quam ſervum publicum; domeſticum igitur aliquem.

2 Tandem reſpectans, dum hoc dixit, videt herum.

3 Phormio ad Antiphonem; ut ocius conveniant Ant. & Geta. Ipſe vero lentius ſequitur.

4 Per ambages quidem Geta Antiphonem deducit in laetitiam; ſed fiducia ante firmat nuntium, quem apportet.

5 Iam quoque adeſt Phormio, nova auditurus.

6 Scil. boni (quibus re-

Tu quoque hic aderas, Phormio? *P.* aderam: ſed ceſſas? *G.* accipe, hem.
Ut modo [1] argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam [2].
A. Quamobrem? *G.* omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem eſt, Antipho [3].
Ubi in gynaeceum [4] ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio, reſupinat: reſpicio, rogo,
Quamobrem retineat me: ait eſſe vetitum, intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, *ſenis introduxit Chremem*,
Eumque nunc eſſe intus cum illis. hoc ubi ego audivi, ad fores [5]
Suſpenſo gradu placide ire perrexi: acceſſi: aſtiti:
Animam compreſſi: aurem admovi: ita animum coepi attendere,

ſpondeat exſpectatio) omitte.

1 *Vide*, ait Don. *narrationem coeptam, unde opus eſt.* Scil. quae ab Act. V initio geſta ſunt.

2 *Converſus ad Ant. hoc dicit.* Don.

3 Prudenter amovet inutilem quaeſtionem.

4 Cf. Eun. III, 5, 31. ibique not.

5 Geſtu nunc adſimulat, quomodo admoverit ſenſim pedes, aures, cett.

Hoc modo ſermonem captans. *A.* eu Geta[1]! *G.* hic pulcherrimum
Facinus audivi[2]: itaque paene hercle exclamavi gaudio.
A. Quod? *G.* quodnam arbitrare? *A.* neſcio. *G.* atqui mirificiſſimum[3]:
Patruus tuus eſt pater inventus Phanio uxori tuae. *A.* hem!
Quid ais[4]? *G.* cum eius olim conſuevit matre in Lemno clanculum[5].
P. Somnium: utin'[6] haec ignoraret ſuum patrem? *G.* aliquid credito,
Phormio, eſſe cauſae[7]: ſed me cenſen' potuiſſe omnia
Intellegere extra oſtium, intus quae inter ſeſe ipſi egerint?

1 Laudat ſervum.

2 *Eiuſmodi locos*, inquit Don. *poetae actoribus indulgent, quod in his actoris eſt commendatio.*

3 Quanto inſperatior eſt cataſtrophe, tanto incredibilior videtur.

4 Inſperatum audientis; & adiunctam habet correptionem totius corporis.

5 Signum probabilitatis ſubiicit.

6 Int. poteſtne fieri, uti illa &c. Dubitat vero Ph. quod Phanii pater Stilpho dicatur. Atque id unum poſt reliqua ſigna deerit, quo minus veritas ipſa ab illis intelligatur.

7 Scil. cur verum patrem ignoraverit. Mox *fabula* h. l. narratio eſt, quae quamvis veriſimile non ſiat, partem tamen veri habet, & cum Getae dictis conve-

A. Atque, hercle, ego quoque illam inaudivi fabulam. *G.* immo etiam dabo,
Quo magi' credas [1]. patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo poſt cum patre idem recipit ſe intro denuo:
Ait uterque, tibi poteſtatem eius adhibendae [2] dari:
Denique ego miſſus ſum, te ut requirerem, atque adducerem. *A.* hem!
Quin ergo rape me: quid ceſſas [3]? *G.* fecero [4]. *A.* o mi Phormio,
Vale. *P.* vale, Antipho.

nit, hinc credi poteſt ſuo modo; cf. Andr. I, 3, 13.

1 Geta paulatim proceſſit, iamque tandem certiſſima dabit documenta, quibus cognoſcet Ant. rem ita eſſe, quamvis modus rei non manifeſto appareat.

2 Scil. in matrimonium, ut iuſtae uxoris. Verbum *adhib.* latioris eſt uſus, ut *habere*; hinc Virg. Aen. VIII, 56 *hos caſtris adhibe ſocios, & foedera iunge.* Etiam nutrices infantibus *adhiberi* dicuntur; ac forſan petulans ſervus ambigue dixit, cf. Colum. VI, 27, 9.

3 Quantum potes celeriter, aufer me.

4 Dum id dicit, inclinatur, ut Antipho inſiliat tergo. Ludus eſt ſcenicus, qui ſpectatores in riſum raperet.

ACTUS V. SCENA VIII[1].

PHORMIO ſolus.

BEne, ita me di ament, factum[2]: gaudeo,
Tantam fortunam de improviſo eſſe his datam.
Summa eludendi occaſio eſt mi nunc ſenes,
Et Phaedriae curam adimere[3] argentariam,
Ne cuiquam ſuorum aequalium ſupplex ſiet[4]:
Nam idem hoc argentum, ita ut datum eſt, ingratiis,
Eis[5] datum erit[6]: hoc[7] qui cogam, re ipſa repperi.
Nunc geſtus mihi voltuſque eſt capiundus novus.
Sed hinc concedam in angiportum hunc proxumum:
Inde hiſce oſtendam me, ubi erunt egreſſi foras:

1 Phormio ex laeta cataſtrophe invenit conſilium ſenes eludendi, ut non reddatur argentum datum Phaedriae. Fingit quippe, ſe velle uxorem iam ducere.

2 Cave haec verba Antiphoni porro dicta credas, quae evolantem non aſſecuta forent. Quare ab iis novam ordimur ſcenam, & *gaudeo* iungimus ſqq. a quibus id al. divulſum fecere.

3 Vide varietatem *occaſio eludendi--&--adimere.* Plaut. Capt. II, 3, 64 *nunc adeſt occaſio benefacta cumulare.*

4 Cf. Act. IV, 4, 23.

5 Scil. ſenibus.

6 Ironia: *argentum* (l. potius pro argento magnum malum) dabo invitis. Infra ſc. ult. v. 38 *Sic dabo--ſaxo tali ſit mactatus atque hic eſt infortunio.*

7 Scil. argentum, quod

Quo me aſſimularam ire ad mercatum [1], non eo.

ACTUS V. SCENA IX [2].

CHREMES, DEMIPHO, PHORMIO.

C. Eſtne, ita uti dixi, liberalis [3]? *D.* oppido:
Dis magnas merito gratias habeo, atque ago:
Quando evenere haec nobis, frater, proſpere.
Quantum poteſt, nunc conveniundus Phormio eſt,
Priu' quam dilapidat noſtras triginta minas,
Ut auferamus. *P.* Demiphonem, ſi domi eſt,
Viſam: ut quod... [4] *D.* at nos ad te ibamus, Phormio.
P. De eadem hac fortaſſe cauſa [5]? *D.* ita hercle.
P. credidi.

iam diſperſum erat. Dederat enim Phaedriae; & hic lenoni.

1 Cf. ſupra ſc. 4, 10.

2 Sc. habet concertationem ſenum & Phormionis. Illi argentum repetunt; hic ex pacto pugnat, uti aut argentum perdant, aut uxorem dent. Terrentibus eum mox iniicit metum, ſc. omnem rem de uxore Lemnia, filiaque inventa ſignificans. Tandem aſperitas Demiphonis facit, ut Phormio Nauſiſtratam advocet; inde nova orietur ſcena.

3 Chr. a filia egrediens fratrem rogat, an non liberalior viſa ſit.

4 Ἀποσιώπησις, quam expleas: *ut quod recepi in me, id me facere nunc paratum nuntiem.*

5 Simulat, ſe credere, ſenes cum ipſo acturos eſſe, ut mox Phanium abducat; & de eadem cauſa ſe venire. Sed Dem. intelligit de cauſa generatim, quae inter eos coepta erat. Senes vero repetituri erant argentum; ille

Quid ad me ibatis ? ridiculum : verebamini,
Ne non id facerem, quod recepiſſem ſemel.
Heus, quanta quanta haec mea paupertas eſt, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi eſſet fides.
Idque adeo venio nuntiatum, Demipho,
Paratum me eſſe : ubi voltis, uxorem date.
Nam omneis poſthabui mihi res, ita uti par fuit,
Poſtquam, tantopere id vos [1] velle, animum advorteram.
D. At hic [2] dehortatus eſt me, ne illam tibi darem [3]:
Nam qui erit rumor populi, inquit, *ſi id feceris ?*
Olim cum honeſte potuit, tum non eſt data :
Nunc viduam [4] *extrudi, turpe eſt :* ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incuſaveras [5].
P. Satis ſuperbe inluditis me. *D*. qui ? *P*. rogas ?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere :

pro eo malum redditurus.

1 Innuit, rem utrumque tangere.

2 Oſtendit fratrem.

3 Dem. alias aſper, mitem init rationem repetendi, quod vera cauſa ob fratrem reticenda erat.

4 h. l. deſertam marito, ſolam. Phormio odioſius dixerat ſupra III, 2, *66*.

5 ſ. quae praeſente me reprehenderas. *Belle*, ait Don. *ut ſi quid neget, contra ſe ipſum ſentire videatur.* Sed ſtultus ſenex non advertit, ſe a ſe, & illis quae dixerat III, 2 deflexum in eodem luto haerere.

Nam quo redibo ore ad eam, quam contemſerim?
C. *Tum autem, Antiphonem video ab ſeſe amittere*
Invitum eam, inque [1]. D. tum autem video filium
Invitum ſane mulierem ab ſe amittere.
Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rurſum iube reſcribi [2], Phormio.
P. Quodne ego diſcripſi [3] porro illis, quibu' debui?
D. Quid igitur fiet [4]? *P.* ſi vis mi uxorem dare,
Quam deſpondiſti, ducam: ſin eſt, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho:
Nam non eſt aequom, me propter vos decipi:
Cum ego veſtri honoris cauſa [5] repudium alterae
Remiſerim, quae dotis tantundem dabat.
D. I in malam rem hinc cum iſtac magnificentia [6],

1 Et alter ſenex ridiculum ſe monitorem (ſubmiſſe haec dicentem) praebet fratri, qui dum verba fideliter reddet, pariter ſe deridendum propinabit. Chr. quidem videri vult, tamquam non ipſius res agatur.

2 *Reſcribebat* numos, qui renumerabat intercedente ſcriptura ap. argentarium; cf. Hor. II Serm. 3, 75. *Scribebat* eos ille, qui prius ſcriptura intercedente per trapezitam dederat.

3 Don. *multis per ſcripturam reddidi, multis dididi*, h. e. ap. argentarium ſolvendos aſſignavi.

4 Dem. ubi iam dilapidatum audit argentum, haerens rogat. Phormio ſatis magnifice ſe gerit, conditiones dictat.

5 Veſtri reſpectu; cf. v. 16.

6 Qua honeſta de te, & repudium cet. iactas. Scil. ſenex, Phanio agnita, frau-

Fugitive ! etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo ? *P.* irritor [1]. *D.* tun' hanc duceres [2],
Si tibi data eſſet ? *P.* fac periclum. *D.* ut filius
Cum illa habitet apud te. hoc veſtrum conſilium fuit [3].
P. Quaeſo, quid narras [4] ? *D.* quin tu mi argentum cedo [5].
P. Immò vero uxorem tu cedo. *D.* in ius ambula [6].
P. Enim vero ſi porro eſſe odioſi pergitis [7].
D. Quid facies [8] ? *P.* egone ? vos me indotatis [9] modo
Patrocinari fortaſſe arbitramini :

des hominis detexerat.

1 Iam tranſitum facit ad ſenes magis eludendos, iratum ſe ſimulans.

2 Vim habet futuri, ut ſaepiſſime. Confidenter & cum clamore rogat ſenex, Phanii illum non eſſe cognatum edoctus; ſed & imprudenter ſatis profert ſignum veri, quod neminem ſcire oportuit.

3 Indignum Phanio, quam tamen filio ſervare cupit, inepte ſimulans dicit.

4 ſ. ego, quid narres, neſcio; ut Andr. III, 1,19.

5 Dem. & Phormio iam cum clamore uterque agunt.

6 ſ. in ius te voco. *Ius* h. l. locum iudicii notat.

7 Don. *Vultu iuvandum eſt & pronuntiatione hoc, quod tam minaciter ſuſpenditur.* Enimvero *principium eſt per iracundiam dicturi*, ut Cic. Verr. I, 26.

8 Territus ſenex, bis puer, rogat.

9 Qualis fuit Phanium.

Etiam dotatis [1] ſoleo. *C.* quid id noſtra? *P.* nihil
Hic quandam noram, cuius vir uxorem. *C.* hen
D. quid eſt?
P. Lemni habuit aliam. *C.* nullus ſum [3]. *P.* ex q
filiam
Suſcepit: et eam clam educit. *C.* ſepultu' ſum [4].
P. Haec adeo ego illi iam denarrabo. *C.* obſecr
Ne facias [5]. *P.* oh! tun' is eras? *D.* ut ludos facit
C. Miſſum te facimus [7]. *P.* fabulae [8]. *C.* quid vis tib
Argentum quod habes, condonamus te [9].
audio [10]:
Quid vos, malum [11], ergo me ſic ludificamini,
Inepti, voſtra puerili ſententia [12]?

1 Ut Nauſiſtratae.

2 Ironice. Quam lepide ſtatim ſubiicit initium fabulae! verba, ut totidem tela, paulatim iacit.

3 Mortuus ſum.

4 *Αὐξητις; nam plus eſt, quam nullus ſum.* Don.

5 Chr. ſupplex fatetur rem.

6 Int. nobis. Andr. III, 1, 21. l. nos ludificatur, uti mox v. 55.

7 A te non amplius poſtulamus argentum.

8 Faſtidioſe abnuentis, aut irridentis eſt.

9 Cf. Eun. prol. v. 17

10 Non ſatis id habet ſi promiſſum Phormio, verei ne mox id irritum facerer Incuſat igitur, quae adhu inconſtanter cum eo eg rant, aut perplexati ſint; c Plaut. Aul. II, 2, 81 ſq.

11 Indignationis cauſa in terponitur.

12 Qui itidem eſtis, u pueri, levi ſententia (ſen ſ. animo). cf. Hec. III, 1 32.

Nolo, volo: volo nolo rurſum [1]: cape, cedo:
Quod dictum, indictum eſt [2]: quod modo erat ratum, irritum eſt.
C. Quo pacto, aut unde haec hic reſcivit [3]? *D.* neſcio,
Niſi, me dixiſſe nemini, id certo ſcio.
C. Monſtri, ita me di ament, ſimile [4]. *P.* inieci ſcrupulum [5]. *D.* hem [6]!
Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle ſatius eſt.
Animo virili praeſentique ut ſis, para:
Vides, tuum peccatum eſſe elatum foras,
Neque iam id celare poſſe te uxorem tuam:
Nunc quod ipſa ex aliis auditura ſit, Chreme,
Id noſmet ipſos indicare, placabilius eſt.
Tum hunc impuratum poterimus noſtro modo
Ulciſci. *P.* at, at, niſi mihi proſpicio, haereo:

1 *Primo ſingula* (nolo, volo) *ſeparatim: deinde ſimul utraque* (volo nolo) *pronuntianda ſunt.* Don.

2 Cf. ad Adelph. III, 5, 62.

3 Senes ſecum non conſilium conferunt, ſed timore ſtupent, quomodo rem reſciverit Phormio.

4 Cf. ad Eun. II, 3, 42.

5 Qui eos male habet; cf. Andr. V, 4, 38. Plenius Ad. II, 4, 29 ſq. *timet: ini. ſcr. homini.*

6 Dem. iratior ille, timenſque ſibi de argento, uti frater ab uxore, conſilio ex arena fratrem ad ultimum impellit, ut rem ipſe uxori indicet. Hinc Phormio prorſus inſtigatur ad peragenda ſua.

Hi gladiatorio animo ad me affectant viam [1].
C. At vereor, ut placari poſſit. *D.* bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio exceſſit [2], unde haec ſuſcepta eſt tibi.
P. Itane agitis mecum? ſatis aſtute aggredimini:
Non hercle ex re iſtiu' me inſtigaſti, Demipho.
Ain' tu [3], ubi quae libitum fuerit, peregre feceris,
Neque huius ſis veritus [4] feminae primariae,
Quin novo modo ei faceres contumeliam.
Venias [5] nunc precibus lautum peccatum tuum:
Hiſce ego illam dictis ita tibi incenſam dabo,
Ut ne reſtinguas, lacrumis ſi exſtillaveris [6].
D. Malum, quod iſti di, deaeque omnes duint [7]!
Tantane affectum quemquam eſſe hominem audacia?
Non hoc publicitus ſcelus hinc deportarier
In ſolas terras? *C.* in id redactus ſum loci,

1 Velut deſperati me adorientur. Alias brevius dicitur *ad aliquem affectare.*

2 Et id ſc. ſq. v. 30 ſcrupuli eximendi cauſa adhibet. Apte autem dictum *e medio*, ut quae impedimento foret redeundi in gratiam.

3 Ad Chremem convertitur.

4 Vetuſte cum genit. uti Cic. ad Att. VIII, 4. plura habet Geſn. in theſ.

5 Ellipſis τοῦ *ſi* ap. noſtrum ſollennis, & h. l. imperioſius aut minacius dicitur, quam ſi dixiſſet: Nunc ſi venias mihi, ut laves peccatum tuum, quaſi maculam, ego dabo &c.

6 h. e. totus in lacrimas converſus fueris.

7 In iram inanem erumpit.

[redacted]

Ut, quid agam cum illo, neſciam prorſum. *D.* ego ſcio :
In ius eamus [1]. *P.* in ius? huc [2], ſi quid lubet.
D. Aſſequere, retine, dum huc ego ſervos evoco.-
C. Enim ſolus nequeo : accurre. *P.* una iniuria [3] eſt
Tecum [4]. *C.* lege agito ergo. *P.* altera eſt tecum, Chreme.
D. Rape hunc. *P.* ſic agitis? enimvero voce eſt opus.
Nauſiſtrata, exi! *C.* os opprime. *D.* impurum vide,
Quantum valet! *P.* Nauſiſtrata, inquam! *C.* non taces?
P. Taceam? *D.* ni ſequitur, pugnos in ventrem ingere:
Vel oculum exſculpe. *P.* eſt, ubi vos ulciſcar probe.

1 Ira Demeae parum proficit fratri, ſed facit ad exitum fabulae.

2 Illis ſe erepturus ad Chremetis domum, in qua uxor ſaeva eſt, tendit. Senes vero, bis pueri, eum vi abſtrahere conantur. Comicae inde erunt turbae, in quibus laetatur populus.

3 Actio iniuriarum ex lege.

4 Scil. Demiphone. Iam plane evenit, quod ſupra Dem. de filiis Act. II, 3, 35 ſqq. Tradunt operas mutuas.

ACTUS V. SCENA X [1].

NAUSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

N. Quis nominat me? C. hem! *N.* quid iſtuc turbae eſt, obſecro [2],
Mi vir? *P.* ehem quid nunc obſtipuiſti [3]? *N.* quis hic homo eſt [4]?

1 Hac ſcena perorat crimen Chremetis bigami Phormio, index coram Nauſiſtrata domina & uxore Chremetis. Narrationi fides erit ex ipſa trepidatione rei. Nauſiſtrata memor eorum, quae ſupra audiverat, & nunc edoctior, muliebri more corripit virum. Aſtat Dem. nunc patronus fratris, deprecans veniam, hoc maxime, quod e medio exceſſerat illa Lemnia; ſed priuſquam maritus hodie in gratiam rediret, opportune Phormio amorem Phaedriae narrat, eumque cura argentaria liberat, quod cum indignaretur pater, mater facilius placatur, immo comice Phaedriam filium, qui olim egerat patronum Antiphonis, facit iudicem paternae cauſae, ut diſcant patres, quod Nauſiſtrata ſignificat, nos vero verbis Iuvenalis Sat. XIV, 56 addimus: *Unde tibi frontem libertatemque parentis, Cum facias peiora ſenex.*

2 Videns ſubito pugnam fratris & affinis cum quodam homine, clamat.

3 Phormio repens liber irridet viro, qui nunc ſtat capite obſtipo, (inflexo demiſſoque in latus) multum ſimilis metuenti, ut Hor. ait Serm. II, 5, 92. Inde iam reus a ſe indicatur; cf. Sall. Cat. 3.

4 Haud noverat Phormionem.

Non mihi reſpondes [1]? *P.* hiccine ut tibi reſpondeat ?
Qui hercle, ubi ſit, neſcit. *C.* cave iſti quidquam creduas [2].
P. Abi [3], tange : ſi non totus friget [4], me enica.
C. Nihil eſt. *N.* quid ergo? quid iſtic narrat [5]? *P.* iam ſcies:
Auſculta. *C.* pergin' credere [6] ? *N.* quid ego, obſecro,
Huic credam, qui nil dixit ? *P.* delirat [7] miſer
Timore. *N.* non pol temere eſt, quod tu tam times.
C. Egon' timeo [8] ? *P.* recte ſane [9] : quando nil times,
Et hoc nihil eſt, quod dico ego, tu narra. *D.* ſcelus!

1 Reus oſtenditur magis ab eo, quod non auſit reſpondere. Cf. Virg. II, 774.

2 Reſpondet tandem ; ſed quam inepte ! Convictus confitetur ſe reum, antequam crimen indicatum ſit. Et porro inepte reſpondebit.

3 *Abi*, blandientis eſt ; cf. ad Ad. IV, 9, 3.

4 Scil. metu.

5 Nauſiſtrata viro tacente provocans Phormionem, cuius nomen neſcit, ut narret, quod actum ſit. (vide quae notavimus ad Heaut. III, 3, 18.) Hinc Ph. ſtatim reſpondet.

6 Supra v. 4 iam dixerat *cave--creduas.*

7 Et mente & lingua.

8 Timens timorem manifeſtum negat. Similiter Eun. IV, 6, 19 Chremes, plenus metu, eum negat : *egon' formidoloſus ?*

9 Pulchre confutat hominem.

Tibi [1] narret? *P.* eho tu: factum eſt abs te ſedulo
Pro fratre [2]. *N.* mi vir, non mihi dicis? *C.* at... *N.* quid at [3]?
C. Non opus eſt dicto. *P.* tibi quidem: at ſcito huic opu'ſt.
In Lemno... [4] *C.* hem! quid ais? *D.* non taces? *P.* clam te... *C.* hei mihi!
P. Uxorem duxit... *N.* mi homo, di melius duint.
P. Sic factum eſt. *N.* perii miſera! *P.* et inde filiam
Suſcepit iam unam: dum tu dormis. *C.* quid agimus?
N. Pro di immortales, facinus indignum et malum!
P. Hoc actum eſt [5]. *N.* an quidquam hodie eſt factum indignius?
Qui mi, ubi ad uxores [6] ventum eſt, tum fiunt ſenes [7].

1 Ut tibi ſuave ſit.

2 Scite patronus & irridetur, & ad ſilentium redigitur, qui clientis ſic rem perdiderit.

3 Uxor interloquitur iam ad iram praeparata.

4 Iam ſequitur narratio, quae crimen pauciſſimis invidioſe complectitur, & aliorum clamores ita ſcite pro cuiuſque affectu interiectos habet, ut ſimul peroratum ſit. *In Lemno... uxorem duxit... & inde filiam ſuſcepit unam: dum tu dormis* (ſola iaces)... *hoc actum eſt.*

5 Quod referas ad verba: *dum tu dormis*; & ſic ſimul finem perorandi facit.

6 Quamvis irata, verecunde tamen iniuriam ſibi hac in re factam, facit communem.

7 Se uxori excuſant & ſenes dicunt; cf. Plaut. Aſin. IV, 2, 3.

Demipho [1], te appello : nam me cum hoc pol diſtaedet loqui.
Haecine erant itiones crebrae, et manſiones diutinae
Lemni? haeccine erat ea, quae noſtros fructus minuebat, vilitas [2]?
D. Ego [3], Nauſiſtrata, eſſe in hac re culpam meritum, non nego :
Sed [4], ea quin ſit ignoſcenda... *P.* verba fiunt mortuo [5].

1 Iam faciem avertit a viro ad Dem. Simul cum voce vertit metrum a ſenariis ad troch. oct. cat.

2 Int. rerum; cf. ſupra V, 2, 8.

3 Nunc demum invitatus (quaſi reconciliator futurus. eſt enim frater mariti) audet deprecari; poſt veniam cupiens ulciſci Phormionem ſuo modo.

4 *Sed* (repete *nego*), *ea quin ſit ign.* h. e. eam eſſe, quae non ſit ign. cf. Cic. Verr. IV, 1 *nego ullam gemmam aut margaritam fuiſſe, quin* (quam non) *quaeſierit* &c. Alia exempla affert Gell. XVII, 13 ex origg. Cat.

5 Irridet utrique ſeni, alteri, quem ſupra dicit timore delirum, nunc mortuum, mox ſepultum, (ut ipſe Chr. ſc. ſuperiori 48 extimeſcens inquit *hem*, v. 49 *nullus ſum*, v. 50 *ſepultus ſum*), alteri defenſori & deprecatori, qui mortuum ad vitam revocare cupiat. *Natum*, inquit Eraſmus, *adagium a conſuetudine veterum, vita defunctos ter voce cientium, unde & conclamari dicebantur : praeterea in pompis funeralibus multa deplorantium erga mortuum.* Conclamatio continuabatur, quoad nono die ſepelirentur mortui. Hinc iocoſe Plautus Bacch. III, 4, 21 *apud ſe-*

D. Nam neque neglegentia tua, neque odio id fecit tuo [1].
Vinolentus [2] fere abhinc annos quindecim [3] mulierculam
Eam compreſſit [4], unde haec nata eſt: neque poſt illa unquam attigit [5].
Ea mortem obiit [6]: e medio abiit, qui ſit in re hac ſcrupulus [7].
Quam ob rem te oro, ut alia facta tua ſunt, aequo animo hoc feras [8].
N. Quid ego aequo animo? cupio miſera, in hac re iam defungier [9].
Sed qui ſperem, aetate porro minu' peccaturum putem?

pulcrum dicere iocum.

1 Dem. excuſationem munit rationibus, *a*) ab animo haud ab uxore alieno. *Tua* & *tuo* dicitur pro *tui*; uti in illo *cauſa mea.*

2 *b*) ab imprudentia, cf. Ad. III, 5, 24 *perſuaſit—vinum.*

3 *c*) ab aetate nondum ſenis.

4 *d*) a diminutione & contemtu Lemniae, dum *mulierculam* nominat.

5 *e*) a poenitentia facti.

6 *f*) ab eventu, quod illa mortua eſt.

7 Coniunge: *ſcrupulus, qui ſit in hac re*, ſ. fieri ſolet, ſ. obſtat, quo minus peccato ignoſcatur.

8 Blanditur tandem feminae, confugiendo ad eius aequanimitatem.

9 ſ. deſinere, ſcil. illum. Spem igitur facit veniae, ſi in hac re finem faciat, ut Ad. v. extr.

Iam tum erat ſenex [1], ſeneĉtus ſi verecundos facit.
An mea forma atque aetas nunc magis expetenda eſt [2], Demipho?
Quid mi hic affers [3], quam ob rem exſpeĉtem aut ſperem, porro non fore [4]?
P. Exſequias Chremeti, quibus eſt commodum ire, hem tempus eſt [5].
Sic dabo [6]: age nunc, Phormionem, qui volet, laceſſito:

1 Senes comici ap. Ter. viſi ſunt habere LXV plus minus annos. Itaque ante XV annos Chr. annum agebat fere L. Sed Seniores ex diſciplina Varronis teſte Cenſorino c. 14 vocabantur in quarto gradu ab an. XLV ad an. LX; hinc & Hannibal, cum XLV ann. haberet, ſenem in patriam revertiſſe ſe dicit ap. Liv. XXX, 30.

2 Ergo nec cupiebat maritum a ſe abigere: quod ille veritus erat, ſi reſciſceret uxor, A. IV, 1, 19 ſq. Sed erat oggannitura perpetuo.

3 Scil. pro argumento ad ſpem faciendam.

4 *Callidius*, inquit Don. *uſa eſt ad extremum πύσματι* (interrogatione) *converſa ad ipſum defenſorem mariti. De qua vi contradictionis exultat paraſitus, tamquam confecto mortuoque adverſario ſuo.*

5 Exſultans in hoc paraſitus ad ſpeĉtatores convertitur, caſum Chremetis funeri comparat, & praeconem funeris agit. (Pro fletu nunc erit riſus ſpeĉtatorum.) Formula indicendi funeris erat ſollennis: *L. Titius vixit. L. Titio exſequias ire quoi commodum eſt. Hem tempus eſt. Ollus exſertor.*

6 Formula inſultantis ultoris; cf. Plaut. Men. IV, 2, 40 & 64, Pſeud. I, 2, 22. Iam ſe ſuperbe gerit pro

Faxo tali ſit mactatus, atque hic, infortunio.
Redeat ſane in gratiam : iam ſupplici ſatis eſt mihi:
Habet haec, ei quod, dum vivat uſque, ad aurem oggann iat [1].
N. At meo merito [2] credo. quid ego nunc ea commemorem, Demipho,
Singulatim, qualis ego in hunc fuerim ? *D.* novi aeque omnia
Tecum [3]. *N.* merito hoc meo videtur factum ? *D.* minume gentium :
Verum, quando iam accúſando fieri infectum non poteſt,
Ignoſce. orat, confitetur, purgat. quid vis amplius ?
P. Enimvero, prius quam haec dat veniam, mihi proſpiciam et Phaedriae [4].

auctore funeris ſ. infortunii. Mox minae iactantis ſe hominis ſatis conveniunt cum iis, quae ſupra II, 4 de ſe iactaverat.

1 h. l. eadem haec centies incuſando clamet, ut aures ipſi doleant. Plaut. Aſin. II, 4, 16 *Centies eadem imperem, atque ogganiam.*

2 Ironice, pro : id profecto non eram merita; cuius beneficiis multis aliter reſpondere debuit iſte.

3 Sic & Plaut. Aſin. II, 2 *ut aeque mecum haec ſcias.* Precator autem omnia concedit, ut modo venia detur.

4 Iam ipſum eſt momentum, quo utitur paraſitus ad Phaedriam ſecum omni cura eximendum.

[redacted]

Heus, Nauſiſtrata, prius quam huic reſpondes temere, audi. *N.* quid eſt?
P. Ego minas triginta ab iſto per fallaciam abſtuli:
Eas dedi tuo gnato: is pro ſua amica lenoni dedit [1].
C. Hem, quid ais? *N.* adeon' indignum tibi videtur, filius,
Homo adoleſcens, unam ſi habet amicam, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum obiurgabis? reſponde mihi [2].
D. Faciet, ut voles. *N.* immo, ut meam iam ſcias ſententiam [3],
Neque ego ignoſco, neque promitto quidquam, neque reſpondeo,
Prius quam gnatum videro: eius iudicio permitto omnia:

1 Quam breviſſime omnia eloquitur, hinc magis percutitur pater.

2 Mater, (quae omnes filiis in peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria ſolent eſſe) dum pro filio loquitur, & patri adverſatur, ſimul id, quo ſpectat haecce fabula, recte eloquitur. Ita quoque obiurganti opportuna eſt facultas, reſpiciendi ad maritum, in quo veniae initium eſt.

3 Leviro, qui reſponderat pro fratre, ipſa reſpondens oblique marito veniam dat, hac conditione, ut filius veniam peccati inveniat. Dum enim arbitrium defert filio, tuta erunt patri omnia a filio, qui pariter pa-

Quod is iubebit, faciam. *D.* mulier ſapiens es, Nauſiſtrata.
N. Satin' tibi eſt, Chreme? *C.* immo vero pulchre diſcedo, et probe,
Et praeter ſpem. *N.* tu tibi nomen dic quod eſt [1]. *P.* min'? Phormio:
Voſtrae familiae hercle amicus, et tuo ſummus Phaedriae.
N. Phormio, at ego ecaſtor poſthac tibi, quod potero, et quae voles,
Faciamque, et dicam. *P.* benigne dicis. *N.* pol meritum eſt tuum.
P. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nauſiſtrata,
Et quod tuo viro oculi doleant [2]? *N.* cupio. *P.* me ad coenam voca [3].

trem damnare non poterat. Placata iam Nauſ. ſupereſt, ut omnes laeti abeant.

1 Le viro viroque exhilaratis convertitur ad Phormionem, huic etiam bene factura. Don. bene admonet, potentiores blandimentis uti, quoties inferiorum nomina quaerant, & audito hoc ipſos compellent ſtatim; cf. Ad. V, 4, 3.

2 Scil. viſuro, quem nolit ſ. faſtidiat; cf. Cic. ad div. II, 16, 4 *Noſti---oculorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium.* Credimus tamen, id paraſitum magis ioci cauſa dixiſſe, quam ut aegre diceret Chremeti. Ita enim omnia evenere, ut ne ipſi in perpetuo metu verſari liceret, ne uxor reſciſcat.

3 Beneficium, quo nil maius accipit paraſitus.

N. Pol vero voco [1]. *D.* eamus intro [2] hinc. *C.* fiat: ſed ubi eſt Phaedria,
Iudex noſter [3]? *P.* iam hic faxo aderit. Vos valete et plaudite.

1 Ipſa illa uxor ſaeva, iam converſa, videtur ei rei, cui eſt, hunc ſumere diem, ſcil. laetitiae communi de nuptiis Antiphonis cum filia mariti & reconciliata cum viro gratia.

2 Ad Chremetem.

3 Vulg. dictum hoc Nauſ. tribuitur praeeunte Don. ſed alii libri ſcr. & edd. in quibus eſt Bentl. rectius iocum tribuunt viro nunc laeto. Neque Chr. adeo malus erat, ut ſuperato metu non in partem laetitiae venire debeat; quem triſtem abire, ſane non comicum foret.

[redacted]

[redacted]

PUBLII TERENTII

HECYRA.

ACTA LUDIS ROMANIS, SEX. IULIO CAES. CN. CORNELIO DOLABELLA AEDIL. CUR. NON EST PERACTA TOTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII TIBIIS PARIBUS, CN. OCTAVIO, T. MANLIO, COSS. RELATA EST ITERUM LUDIS FUNEBRIBUS. RELATA EST TERTIO, Q. FULVIO, L. MARCIO, AEDILIBUS CURULIBUS.

PERSONAE.

PROLOGUS.

PHILOTIS meretrix.

SYRA anus.

PARMENO ſervus.

LACHES ſenex.

SOSTRATA matrona.

PHIDIPPUS ſenex.

PAMPHILUS adoleſcens.

MYRRHINA matrona.

SOSIA ſervus.

BACCHIS meretrix.

PERSONAE MUTAE.

PHILUMENA.

SCIRTUS puer.

Graeca eſt APOLLODORU.

M. ANT. MURETI

ARGUMENTUM.

Pamphilus, Lachetis e Soſtrata uxore filius, Bacchidem meretricem deperibat. is cum aliquando noctu ad eam temulentus iret, in Philumenam, Lachetis et Myrrhinae filiam, incidit, eamque in via per vim compreſſit: atque ita effugit, ut neque ipſe eam, neque puella ipſum cognoſcere potuerit. in illa autem lucta etiam anulum ei detraxit, eumque Bacchidi dono dedit. paulo poſt pater eum, tum ut a meretricio amore averteret, tum ut praeſidium ſuae ſenectuti pararet, ad uxorem ducendam perpulit. contigit, ut ea ipſa uxor ei daretur, quam ipſe conſtupraverat. gaudente admodum puellae matre, quae, quia ſola conſcia erat filiam e ſtupro gravidam eſſe, quamprimum eam collocare properabat: ut ſi forte poſt aliquot menſes pareret, nuptiis, quemadmodum ſaepe fit, obtegeretur ſtuprum. cecidit res longe aliter, ac putabatur. etiam Pamphilus, qui invitiſſimus adieciſſet animum ad rem uxoriam, quique avellere ſe derepente a Bacchidis amore non poſſet, ita dormit cum uxore, ut eam ne attigerit quidem. Bacchis, quod, ea viva nunquam ſe uxorem ducturum, ſaepe ei promiſerat Pamphilus, nonnullam ſibi ab eo factam iniuriam putans, multo ei minus, quam ſolebat, placida et obſequens eſſe coepit. eo factum eſt, ut Pamphilus ei ſe paulatim ſubduxerit,

quamque prius ſpernebat uxorem, eius mirificum quendam amorem animo conceperit. interea quiddam accidit, ut iter Pamphilo in Imbrum eſſet. profecto eo, Philumena, quae intumeſcere ſibi uterum ſentiret, cum aliorum, tum ſocrus inprimis ſuae conſpectum refugiebat: tandem cum in eo eſſet, ut celare vix poſſe amplius videretur, ſumpta occaſione, per ſacrificandi ſpeciem, ad matrem ſe, unam omnium rerum conſciam, confert. poſt dies compluſculos mittit Soſtrata, qui eam arceſſerent. reſpondetur, aegrotam eſſe. it, ut eam ſaltim viſeret. non admittitur. Laches accuſare uxorem, et dicere, haec omnia illius culpa contingere. illa contra excuſare ſe, et culpam deprecari: nullius ſe rei conſciam eſſe, cur ſua conſuetudo nurui odioſa eſſe debeat. interea rediit Pamphilus, atque ita ſors tulit, ut quo die ipſe Athenas appulit, eo ipſo, Philumena partu levaretur. cum igitur, videndi cupidus (aegrotare enim acceperat, et ita amabat, ut qui vehementiſſime), ſubito ad eam ingreſſus eſſet, peperiſſe deprehendit. ibi eum Myrrhina exeuntem proſecuta, lacrumans, obteſtari coepit, quando ea res nihil ipſi nocitura eſſet; ne reciperet quidem uxorem, ſi ita videretur: ſed tamen ne famam illius proderet. ita ſe facturum recipit. cum igitur neque vellet uxorem recipere, neque rurſum veram afferret cauſam: ſuſpicati ſunt ſenes, eum Bacchidis adhuc amore impeditum, ea de cauſa ab uxore abhorrere. arceſſitam itaque Bacchidem obiurgat Phidippus. ea, cum ſe illi purgaſſet,

iubetur ad mulieres ingredi, et eis quoque illam ſuſpicionem adimere. ingreditur, anulum habens in digito, quem olim Philumenae ereptum, ſibi dederat Pamphilus. is anulus effecit, ut, vitiatam eſſe ab ipſo Pamphilo, Philumenam cognoſceretur. Laetus Pamphilus et uxorem et filium recipit.

PUBLII TERENTII AFRI

HECYRA.

PROLOGUS.[1]

HEcyra eſt huic nomen fabulae. haec cum data eſt
Nova, novum [2] intervenit vitium [3] et calamitas [4],
Ut neque ſpectari, neque cognoſci potuerit:

1 *Totus hic prologus ſubtilem conqueſtionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglectae fabulae reum faciat, ſed facile revocet in favorem.* Don. Cf. διδασκαλιαν fabulae. Acta primo eſt ſine prologo; ſed non peracta. Datae ſecundo hic prologus praemiſſus.

2 Funambuli luſus populum averterat a fabula: quale quid antea non accidiſſe videtur. Cf. Callimachi epigr. 9 in poetam--Ην τις ερηται, πως εβαλες, φησι σκληρα τα γιγνομενα.

3 Tranſlatio eſt ab *augurio.* Infauſtum quaſi omen erat a funambulo illo, quod genus habebatur εν θαυματοποιοις; cf. Manil. V, 662.

4 Cf. Eun. I, 1, 34. Afflixerat vero fabulam, quo minus perageretur, velut tempeſtas aliqua, turba & clamor

Ita populus ſtudio ſtupidus [1] in funambulo
Animum occuparat. nunc haec plane eſt pro nova:
Et is, qui ſcripſit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre [2], ut iterum poſſet vendere [3].
Alias cognoſtis eius [4]: quaeſo hanc [5] nunc noſcite

ALTER [6] PROLOGUS. [7]

ORator ad vos venio ornatu prologi:

populi, intenti iam in ſpectando funambuli ludo, & averſi a fabula; cf. prol. alter v. 25 ſqq.

1 ſ. ſtupens, admiratione intentus. Excuſat vero populum, non ob reiectam, ſed ob non cognitam fabulam, ita ut ſuo honori ſimul conſulat poeta.

2 Scil. poſt funambuli ludum; ubi ille ceſſarat.

3 Aliis ſcil. ludis. Hoc ad laudem fabulae refertur, quod tantum fiduciae ſuperfuit poetae. Nec tamen eo lucri cupidus videri mavult, quam ſuo operi diffidens. Quod putat Donatus.

4 Int. poetae, ſibi favorem petentis ex aliis ſuis fabulis, iam notis.

5 Ut *novam.* Sed nec placuit, cum ſecundo daretur. Hinc tertio relata.

6 Tertio editae fabulae. In Cod. Vat. diſtinctio maiuſculis literis ita minio notata eſt: *L. AMBIVIUS PROLOGUS*; cf. obſ. ſq.

7 *Magna arte hic prologus ſcriptus eſt nimis oratorie. Nam totiens expulſa fabula, quomodo honeſte revocari potuit in proſcenium? niſi primo ipſa impudentia pro fiducia proferretur; deinde actor peritiſſimus ipſe Ambivius, probaret & poetam & comoediam, cuius auctoritas elucet ex verbis; tum deinde ſubtiliter novo poetae, a vetuſto & magnae auctoritatis* Caecilio, *peteretur exemplum, & peteretur inge-*

Sinite exorator [1] ſim; eodem ut iure uti ſenem [2]
Liceat, quo iure ſum uſus adoleſcentior,
Novas qui exactas feci ut inveteraſcerent [3],
Ne cum poeta ſcriptura evaneſceret [4].
In his, quas primum Caecilii didici novas [5],
Partim ſum earum [6] exactus, partim vix ſteti.

nioſiſſime. Nam quod rudi Terentio *contigit*, *accidiſſe memoratur veteri* Caecilio*: quod huic ſemel*, *illi ſaepe*: *quod huic in aliis nunquam*, *hoc illi fere in omnibus*: *quod huic praeter Hecyram*, *& actae & probatae ſunt ceterae*: *illi partim exactae*, *partim vix probatae. Itaque his omnibus argumentis id actum eſt*, *ut neque deſperandum ſit de* Terentio, *quod expulſus eſt*: *ut nihilominus illi tantum attribuendum ſit*, *ut aut par* Caecilio, *magno tunc poetae*, *aut ultro melior etiam eſſe poſſit. Hic autem L. Ambivius hiſtrio*, *fuit actor comoediarum.* Don. Verſ. 1 Ambivius ſumit perſonam ſpectabilem & ſanctam *oratoris* ad populum miſſi. *Oratorem* vero non audire, aut expellere, nefas ſit. Heaut. prol. 11 *orator* a *prologo* ita diſcernitur, ut ille perſonam actoris habeat.

1 Quaſi pacis ſ. favoris popularis. *Orator* agit, precatur, *exorator* impetravit.

2 Actor ſibi a ſenio auctoritatem addens, etiam plus tribui vult.

3 Spectarentur denuo, ſpectatae amarentur, in conſuetudinem venirent.

4 Honeſta cauſa eſt eius, qui non ſolum poetae unius gratia laboret, ſed ne cum ſtudii muſici ſ. artis honore, ipſa ars evaneſcat.

5 Artificioſe Terentii cauſam, quam & ſuam facit, praeparat comparando illum ad Caecilium, poetam clariſſimum, cuius etiam plures novae l. exactae l. vix actae ſint.

6 *Partim--earum*, [illegible]ptice pro *ſecundum*, ſ. quod ad

Quia ſcibam, dubiam fortunam eſſe ſcenicam [1],
Spe incerta, certum mihi laborem ſuſtuli [2].
Eaſdem agere coepi, ut ab eodem [3] alias diſcerem
Novas ſtudioſe; ne illum ab ſtudio [4] abducerem.
Perfeci, ut ſpectarentur [5]. ubi ſunt cognitae,
Placitae ſunt [6]: ita poetam [7] reſtitui in locum,
Prope iam remotum iniuria advorſarium
Ab ſtudio, atque ab labore, atque arte muſica [8].
Quod ſi ſcripturam ſpreviſſem in praeſentia [9], et

partem earum attinet, h. e. *in aliis*. Sed Don. ad h. l. & Gell. X, 13 *partim* adverb. eſſe volunt. Ceterum ſimiles conſtructiones vide ap. Cic. de off. II, 21 init. de orat. I, 31. Nep. XXV, 7, 2 &c.

1 Caute tribuit fortunae, quod eſt a populi levitate & moroſitate; & ſimul culpam a poeta amovet.

2 h. e. ferendum ſuſcepi. Eſt enim a *ſuffero*. *Incerta--certum* infert elegantem *ἀντίθεσιν*.

3 Caecilio.

4 *Studioſe---ſtudio* habet *παρόμοιον*. Artem ſuam agendi iungit poetae ſtudio.

5 Labore multo effeci, ut ad finem uſque ſpectarentur.

6 Elegans augurium, & hanc Terentii placituram eſſe, ubi cognita fuerit.

7 *Mire non* Caecilium, *ſed* poetam: *ut hoc generaliter populo praeſtitiſſe, non uni homini videatur.* Don.

8 Tria ſunt in poeta, *ſtudium* ſ. ingenii propenſio, *labor* ſ. exercitatio, (cuius auſteritatem molliter fallit ſtudium, Hor. Serm. II, 2, 12) *ars* ipſa ſcribendi; cf. Cic. Or. pro Arch. in principio. *Arte* ſubaudias cum Don. *ab*, non infarcias cum Bentl.

9 h. e. *ſtatim ut a populo eii-*

In deterrendo [1] voluiſſem operam ſumere,
Ut in otio eſſet, potius quam in negotio [2];
Deterruiſſem facile, ne alias ſcriberet.
Nunc quid petam, mea cauſa, aequo animo attendite [3].
Hecyram ad vos refero, quam mihi per ſilentium
Nunquam agere licitum eſt: ita eam oppreſſit calamitas.
Eam calamitatem voſtra intellegentia
Sedabit [4], ſi erit adiutrix noſtrae induſtriae.

ciebatur. Don.

1 Scil. poeta. Firmes hinc lectionem ap. Tac. Ann. I, 1 *non defuere decora ingenia, donec--deterrerentur* &c.

2 Qui in *otio* eſt, quamvis ſtudioſo, alios non curat. neque enim rationem reddit aliis, aut fructum profert in commune. Sed fabularum auctoribus id eſt *negotii*, ut populo placeant, quas fecerint fabulas; cf. Andr. prol. v. 2 ſq.

3 Nunc tranſit orator ad cauſam Terentii, quam potius *ſuam* dicit, ne videatur pro uno Ter. rem agere, aut ad eius ſcripturam referre, quod exacta ſit. Culpam vero populi iterum callide tranſmovebit in fortunam.

4 Ut placeat fabula, tria requiruntur: poetae ſtudium, quo ad ſcenam bene compoſita ſit; actorum induſtria; auditorum intelligentia & aequanimitas. Primum iam ex aliis cognitum erat, prol. I, 8. Altera non dubitanda erat in Ambivio eiuſque grege. Tertiam auditoribus tribuendo orat, ut nunc tandem adſit.

Cum primum eam agere coepi, pugilum [1] gloria [2],
Funambuli eodem acceſſit exſpectatio:
Comitum [3] conventus, ſtudium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem [4] foras.
Vetere [5] in nova [6] coepi uti conſuetudine,
In experiundo ut eſſem [7]: refero denuo [8];
Primo actu placeo. cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores, populus convolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco [9].
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt: otium, et ſilentium eſt.

1 Cf. ad ſq. locum Hor. II ep. I, 182--188, unde excerpimus: *media inter carmina poſcunt Aut urſum aut pugiles: his nam plebecula gaudet;* ubi vet. Schol. obſervat: *Adhuc Amphitheatri uſus non erat, & in eadem cavea etiam ferarum gladiatorumque munera ſpectabantur.*

2 Gloriatio; ut ap. Cic. Parad. I, extr. *gloria & praedicatione ſe efferre.*

3 Fautorum, vel omnis turbae ſectantis.

4 Lenit ignominiam.

5 Qua uſus eſt in Caecilii fabb. v. 10--15.

6 Scil. fabula Terentii, Hecyra.

7 h. e. ſedatiori iudicio de iniuria experirer. *Experiri* h. l. ſimpliciter & tranſlate dicitur. Plenius & proprie eſt *ius experiri* h. e. tueri, recuperare ſententia iudicis.

8 Huius ſecundae actionis prior erat prologus.

9 Loca ſpectatoribus tum incerta & promiſcua; cf. Val. Max. II, 4, 2. Ludit vero facete noſter, qui mox ſe ſuum locum in hoc tumultu tutari non potuiſſe dicit.

Agendi tempus mihi datum eſt: vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos [1].
Nolite ſinere, per vos artem muſicam
Recidere ad paucos: facite, ut voſtra auctoritas [2]
Meae auctoritati [3] fautrix adiutrixque ſit.
[4] Si nunquam avare ſtatui pretium arti meae;
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maxumum,
Quam maxume ſervire voſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui [5] in tutelam meam
Studium ſuum, et ſe in voſtram commiſit fidem,
Ne eum, circumventum inique, iniqui irrideant [6].
Mea cauſa cauſam accipite [7], et date ſilentium,
Ut lubeat ſcribere aliis, mihique ut diſcere

1 Qui tum inter ludos Megalenſes celebrabantur, obſervante Don. Intererat igitur religionis, ludis ita adeſſe, ut poetarum ſtudium, & ſic decus ludis iſtis conſervaretur.

2 Spectatores ſcil. auctores ſunt probandi fabulas. Et in auctoritate ſimul ineſt laus prudentiae ſ. intelligentiae.

3 Cum ſui fiducia nititur ſeniore auctoritate, qua uti olim Caecilium reſtituit in locum, ita hodie in tuendo Terentio utitur.

4 Tres verſus ſqq. poeta iam dederat Heaut. prol. 48--50. Quanto autem honeſtior & popularior fuit actorum princeps, tanto gravior videri debuit auctor.

5 Refertur ad *eum* v. 40.

6 Eleganter uſque ludit in verbis. Sed *inique* ad *circumv.* referas; quare intercidimus.

7 h. e. favete, operam date. Patroni ſcil. erat, *cauſam accipere.*

Novas expediat poſthac, pretio emptas meo [1].

ACTUS I. SCENA I [2].

PHILOTIS [3], SYRA.

P. PEr pol quam [4] paucis reperias meretrecibus
Fideleis evenire amatores [5], Syra.

1 Apparet ex h. l. actorum principes etiam ſuo pretio a poetis emiſſe fabulas, quas diſcerent, & ludorum datoribus dein venderent. Alias ipſi Aediles a poetis emerunt, facta ab actore exiſtimatione. Si fabulae non ſtarent, in illo caſu periclitabatur actor princeps, in hoc poeta. Pretium enim reddendum erat. Don. ſ. quiſquis ille ſit Grammaticus, haec miſcendo, & cum eo Dacieria, ſe in laqueos induunt. Vult enim ille *pretio meo* h. l. idem valere, ac *periculo meo.*

2 Inducuntur *προτατικα προσωπα*, quae & initium narrationis faciant, & mox ſc. ſq. ſe iis adiungentem ſervum provocent ad rem omnem ediſſerendam, e qua feratur fabula.

3 Ter. bonam meretricem, Bacchida, inducturus, in protaſi aliam ſumit non malam, ut exemplo praeparet ſ. conciliet quandam veriſimilitudinem iis, quae per Bacchidem gerentur. Probabiliter vero oſtendit, amicas iuvenum per ſe non adeo fore malas, niſi lenarum, quas comites habere ſolent, peſſumis conſiliis in quaeſtum turpiorem abducantur.

4 Per tmeſin pro *pol perquam.*

5 Minus mala per ſe imprudenter miratur, quod in Heaut. II, 2, 1--15 doctior meretrix non mirata eſt; ſcil. amoris iſtius principiis inhoneſtis non conſentire eventus.

Vel [1] hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi,
Quam ſancte, ut quivis facile poſſet credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
En duxit! *S.* ergo propterea [2], te ſedulo
Et moneo, et hortor, ne cuiuſquam miſereas;
Quin ſpolies, mutiles, laceres [3], quemquem nacta ſis.
P. Utin' eximium [4] neminem habeam? *S.* neminem:
Nam nemo illorum quiſquam, ſcito [5], ad te venit,
Quin ita paret ſeſe, abs te ut blanditiis ſuis
Quam minimo pretio ſuam voluptatem expleat [6].
Hiſcine tu, amabo, non contra inſidiabere?

1 Tranſit a theſi, ſ. ut cum Cic. loquamur, a propoſito, ad hypotheſin ſ. cauſam.

2 Concludit anus peſſima cum confirmatione & indignatione.

3 Verba haec gradum habent; quaſi dixiſſet: *exuas* hominem, *mutiles* ipſum membris ſ. partibus, *laceres* totum, ſ. diſtrahendo abſumas.

4 ſ. excipiendum, ſcil. cui conſulam; plane ut Cic. in div. Verr. ſ. 54, c. 16 *Neque enim eſſet veriſimile, quum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum eximium*, cui conſuleret, *fuiſſe*. Al. inepte poſt Don. *eximia pecora*, qualia ſacrificiis deſtinabantur, *eximios porcos* h. l. adducunt. En, quam pulchre haec conveniunt in amatorem, cui conſultum cupiat amica!

5 Corrigentis eſt, & acutius pronuntiandum.

6 Non tibi animum expleat, ſed ſibi voluptatem abs te; velut inſidiator, mox a te receſſurus.

P. Tamen pol, eandem, iniurium eſt, eſſe om nibus [1].
S. Iniurium eſt autem, ulciſci advorſarios [2]?
Aut qua via captent te illi, eadem ipſos capi?
Eheu me miſeram [3]! cur non aut iſtaec mihi
Aetas et forma eſt, aut tibi haec ſententia?

ACTUS I. SCENA II. [4]

PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

Pa. SEnex [5] ſi quaeret me, modo iſſe dicito
Ad portum [6], percontatum adventum Pamphili [7]

1 ſ. in omnes.

2 Amatores lena pro adverſariis habet; uti meretrices *cruces* dicuntur; cf. Eun. II, 3, 90. ſqq.

3 Non perſuaſerat mulieri anus deformis; hinc quo ſunt illae peſſimo ingenio, dolorem exprimit.

4 Servus a Lachete, hero ſuo, egrediens in ſcenam advenit argumentum enarraturus. Vertetur autem id in duabus coniecturis: an nuptiae Pamphili firmae futurae ſint; tum an veriſimile ſit, ab illo integram etiam tum eſſe virginem nuptam. Ne vero ſta tim ad argumentum ieiun deſcendatur, proludunt pe ſonae, ut agi magis fabula quam narrari videatur.

5 ſ. herus maior, Laches maritus Soſtratae, & pat Pamphili.

6 Dum e domo egreditu mandat haec conſervo ſum miſſe, & velociter pronun tiat; quod in tali re in ſervum feſtinantem co venit.

7 Qui ex peregrination redux exſpectabatur.

Audin', quid dicam, Scirte? ſi quaeret me, uti
Tum dicas: ſi non quaeret, nullus dixeris;
Alias ut uti poſſim cauſa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde haec advenit [1]?
Philotis, ſalve multum. *Ph.* o ſalve, Parmeno.
S. Salve, mecaſtor, Parmeno [2]. *Pa.* et tu aedepol,
Syra.
Dic mihi, Philoti, ubi te oblectaſti tam diu [3]?
Ph. Minime equidem me oblectavi [4], quae cum
milite
Corinthum hinc ſum profecta inhumaniſſimo [5]:
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli [6].
Pa. Aedepol te deſiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepiſſe ſaepe, et te tuum
Conſilium contempſiſſe [7]. *Ph.* non dici poteſt,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Voſque hic videndi, antiqua ut conſuetudine

1 En cauſam narrandi! peregre advenit, adeoque neſcia, quid in urbe interea evenerit.

2 Falſa ſalutem dicit addito iuramento, quam pariter reſalutat ſervus cum irriſione.

3 Facete rogat ſic meretricem; non *ubi fuiſti?*

4 Cum dolore haec refert.

5 Omnis miles inhumanus & imperioſus, hic vero inhumaniſſimus; & Corinthus ad Athenas non comparanda erat. Cf. Plaut. Mil. glor. II, 1.

6 Sic & ap. Plaut. l. c. v. 47—50 amica militis, quem ipſa oderat, conqueſta dicitur fortunas ſuas.

7 ſ. te poenituiſſe profectionis.

Agitarem inter vos libere [1] convivium :
Nam illi [2] haud licebat, niſi praefinito [3], loqui
Quae illi placerent. *Pa.* haud opinor commode
Finem ſtatuiſſe orationi militem [4].
Ph. Sed quid hoc negoti eſt [5] ? modo quod narvit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva poſſet animum inducere,
Uxorem habere. *Pa.* habere autem [6]? *Ph.* eho, tu, an non habet?
Pa. Habet; ſed firmae hae vereor ut ſint nuptiae.
Ph. Ita di deaeque faxint, ſi in rem eſt Bacchidis [7].

1 Quod maxime eſt, a *ſermone familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus*; cf. Cic. ad fam. IX, 24.

2 Adv. pro *illic*.

3 Adv. l. int. modo, & *quae* &c. h. e. neque quantum velles, neque quae velles loqui.

4 Servus facete abutitur dictis de milite inhumaniſſimo, quem tulerat, eumque ſermonis correctorem. Scil. cum eius generis homines facillime a verbis ad lites veniant, (cf. Eun. IV, 5, 8 & 11 & 7, 22 ille liberius loquentis amicae os manu verberando finem orationis haud commode ſtatuere ſueverit. Multa alii h. l. nugantur.

5 Ab ingratae rei memoria tranſit Phil. ad argumentum; ut in Phorm. I, 2, 3 *quid triſtis es?*

6 Pronuntiatione oſtendit, prope eſſe, ut non habeat.

7 Hac conditione ſignificat, ſe id non maligne optare, ſed ob benevolentiam, quam dein quoque curioſitati praetendit.

Sed qui iſtuc credam ita eſſe? dic mihi, Parmeno.
Pa. Non eſt opus prolato: hoc percontarier
Deſiſte. *Ph.* nempe ea cauſa, ut ne id fiat palam.
Ita me di amabunt, haud propterea te rogo, ut
Hoc proferam; ſed ut tacita mecum gaudeam.
Pa. Nunquam tam dices commode [1], ut tergum meum
Tuam in fidem committam. *Ph.* ah noli [2], Parmeno:
Quaſi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quae percontor, ſcire. *Pa.* vera haec praedicat:
Et illud mi vitium eſt maxumum [3]. ſi mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. *Ph.* ad ingenium redis [4].
Fidem do; loquere. *Pa.* auſculta. *Ph.* iſtic ſum. *Pa.* [5]. hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume [6], tum Pamphilus;
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:

1 h. e. blande. Pronuntiat tamen ita, ut qui iam delinitus, vix ſe continere queat, quin narret.

2 Scil. *tergum tuum committere in meam fidem.* Quo facete reſponſo artificioſe tegit curioſitatem, quae ipſa ſignum loquacitatis eſſe ſolet; & ſimul, dum non amplius inſtat, ludens ſervum ad dicendum provocat.

3 Cum haec apud ſe lentius dixiſſet, mox clare ad illam *ſi mihi* &c.

4 Feſtive homini irridet, qui a ſe diſceſſerat, dum tacere vellet.

5 Inſtruet ita narrationem, ut ſimul excuſet Pamphilum.

6 Scil. amaret, h. e. ἐν ἀκμῇ, ut in tempore, quo amor in ſummum crevit.

Et haec, communia omnium quae ſunt patrum
Seſe ſenem eſſe dicere, *illum autem unicum*,
Praeſidium velle ſe ſenectuti ſuae.
Ille primo ſe [1] negare: ſed poſtquam acrius
Pater inſtat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin' [2], anne amori [3] obſequeretur magis.
Tundendo [4], atque odio [5] denique effecit [6] ſenex
Deſpondit ei gnatam huius vicini proxumi.
Uſque illud viſum eſt Pamphilo neutiquam grave,
Donec iam in ipſis nuptiis, poſtquam videt
Paratas; nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi [7] demum ita aegre tulit, ut ipſam Bacchidem
Si adeſſet, credo ibi [8] eius commiſereſceret.
Ubicunque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Ut conloqui mecum una poſſet [9]: *Parmeno*,
Perii, quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miſer.
Ph. At te di deaeque perdant cum iſto odio,
Laches [10].

1 Int. ducere; cf. Andr. II, 3, 5 *ſi tu ducere negaris* &c.

2 ſ. reverentiae in patrem.

3 Int. Bacchidis.

4 ſ. repetendo. Tranſlatio a fabrorum malleo.

5 Pertinacia inſtandi; cf. ad Phorm. V, 6, 9.

6 Scil. quod voluerat. Prius *fecit* incertum; denique *effecit*.

7 h. e. *in ipſis* inquam *nuptiis*.

8 h. l. tum.

9 Significantius non addit *dicebat*, & per *μίμησιν* fortius exprimit affectus Pamphili, amorem & dolorem.

10 Bene permovit ſervus meretricem, ut haec nunc

Pa. Ad pauca ut redeam [1], uxorem deducit domum :
Nocte illa prima virginem non attigit :
Quae conſecuta eſt nox, eam nihilo magis [2].
Ph. Quid ais? cum virgine una adoleſcens cubuerit,
Plus potus, ſeſe illac abſtinere ut potuerit?
Non veriſimile dicis: nec verum arbitror [3].
Pa. Credo ita videri tibi, nam nemo ad te venit,
Niſi cupiens tui [4]: ille invitus illam duxerat.
Ph. Quid deinde fit [5]? *Pa.* diebus ſane pauculis
Poſt Pamphilus me ſolum ſeducit foras,
Narratque, ut [6] virgo ab ſe integra etiam tum ſiet :
Seque ante, quam eam uxorem duxiſſet domum,
Speraſſe eas tolerare poſſe nuptias.

ſeni iraſcatur, non Pamph.

1 Formula, qua auditorem revocamus ad maiorem attentionem iis, quae superſunt maioris momenti, adhibendam.

2 int. attigit.

3 Tanto magis amaſſe cenſendus Bacchidem, quanto minus illud veriſimile. Sed Phil. ex ſuis amoribus rem iudicat.

4 Servus oſtendit primum, cur ſic putet Philotium, aut cur non falſo ſimile videri debeat (non, cur falſum ſit, quod putet); dein addit, ex quo etiam verum videatur.

5 Cedit ita, ut hominem invitet ad ſigna veri proferenda.

6 ſ. quomodo. Haud quidem ex uxoris odio; ſed amorem Bacchidis vincere neſciens, honeſte noluit virgine abuti; quod exponet ſervus.

[1] *Sed quam decrerim me non poſſe diutius*
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi a ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque utile ipſi virgini eſt.
Ph. Pium [2] ac pudicum [3] ingenium narras Pamphi
Pa. [4] *Hoc ego proferre, incommodum mi eſſe arbitror*
Reddi patri [6] *autem, cui tu nil dicas viti,*
Superbum eſt; ſed illam ſpero, ubi hoc cognoverit,
Non poſſe ſe mecum eſſe, abituram denique.
Ph. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? *Pa.* qu
tidie:
Sed, ut fit, poſtquam hunc alienum ab ſeſe [7] vide
Maligna [8] multo et magis procax [9] facta illico e
Ph. Non aedepol mirum [10]. *Pa.* [11] atque ea r
multo maxume

1 Arte, naturam imitante, a narratione tranſit ad *μιμησιν*, quae illam credibilem magis facit.

2 In Bacchidem. Antea *periurum* crediderat.

3 In virginem, a qua illum abſtinere non potuiſſe putaverat.

4 Servus porro refert verba Pamphili.

5 Timet famam malam iramque patris ſui ob amorem Bacchidis.

6 int. virginis.

7 Ob uxorem ductam.

8 Inſolentior.

9 Petax ſ. diſpolians eum quem retinere poſſe no ſperabat.

10 Philotium, perſua iam, iniuriam non eſſe Pamphilo, ſed a Bacchide mores huius excuſat arcan artis meretriciae, quod mo do diximus.

11 Par. ab eius moribus pul chre repetit plenam Pam

Diſiunxit illum ab illa, poſtquam et ipſe ſe,
Et illam, et hanc, quae domi erat, cognovit ſatis.
Ad exemplum [1] ambarum mores earum exiſtimans.
Haec [2], ita uti liberali eſſe ingenio decet,
Pudens, modeſta, incommoda atque iniurias
Viri omneis ferre, et tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris miſericordia
Devictus, partim victus huius iniuriis,
Paulatim elapſu 'ſt Bacchidi; atque huic tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.
[3] Interea in Imbro moritur cognatus ſenex
Horunc': ea ad hos redibat lege hereditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam [4] ſenex

phili defenſionem; & ſimul poeta cum ſumma ratione uxores docet, quomodo ferre debeant, ſibique adiungere viros, a quibus negliguntur.

1 Int. vitae; ſ. ad facta ambarum iudicans ingenium ſ. animum, uti Syrus in Heaut. II, 2, 24 ſq. & v. 41 ſqq.

2 Iam poeta uxoris vitam & ex ea ingenium palam laudans, quae contraria erant in meretrice cauto tacens ſic innuit, ut amor quem Pamph. ab hac ad illam tranſtulerit, vel ipſi Philotio excuſatus ſit, & inde ſimul viri ingenium, par ingenio uxoris, h. e. liberale, appareat.

3 Adhuc expoſuerat ſervus, cur dixerit ſupra v. 26 Pamph. habere uxorem. Nunc oſtenſurus, cur vereatur, ut firmae futurae ſint nuptiae.

4 h. e. ſed. Mira vero *οἰκονομία* poeta ſenem facit plerumque abſentem; qui ſi praeſens in urbe manſiſſet,

Rus abdidit ſe: huc raro in urbem commeat.
Ph. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae [1]?
Pa. Nunc audies [2]. primum dies compluſculos
Bene convenibat ſane inter eas: interim
Miris modis odiſſe [3] coepit Soſtratam:
Neque lites ullae inter eas; poſtulatio
Nunquam [4]. *Ph.* quid igitur [5]? *Pa.* [6] ſi quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere e conſpectu illico,
Videre nolle. denique, ubi non quit pati,
Simulat ſe ad matrem arceſſi ad rem divinam [7] abit.
Ubi illic dies eſt complureis, arceſſi iubet [8]:

nullus error in fabula eſſet.

1 Phil. quae Bacchidis cauſa ſperaverat infirmitatem nuptiarum, nihil adhuc videns, quod in rem illius ſit, impatienter rogat, l. uti Don. vult, quaſi decepta, triſtiori voce hoc dicit.

2 Reſpondet, ut qui iam ipſi ſatisfacere paret.

3 Id coniectura dicit ſervus. Sed ipſum falli oſtendet finis fabulae. Neque enim odio, ſed pudore, ſimultatem adverſus ſocrum ſimulaverat Philumena.

4 Neque inter ſe expoſtulabant; neque altera alteram detulit, ſ. querelam adverſus eam interpoſuit.

5 Si hoc non fuit, quid ergo?

6 Servus iam ſigna, e quibus odium coniecerat, non tam narrat, quam repraeſentat plana, brevi & credibili oratione.

7 Int. faciendam; cf. Eun. III, 3, 7. Ad hanc vero amici & familiares vocari ſolebant.

8 Scil. ſocrus.

Dixere cauſam tunc neſcio quam [1]. iterum iubet;
Nemo remiſit. poſtquam arceſſunt ſaepius;
Aegram eſſe ſimulant mulierem. noſtra illico
It viſere [2] ad eam; admiſit nemo. hoc ubi ſenex
Reſcivit [3], heri ea cauſa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenae.
Quid egerint inter ſe, nondum etiam ſcio:
Niſi ſane curae eſt [4], quorſum eventurum hoc ſiet:
Habes omnem rem: pergam quo coepi hoc iter [5].
Ph. Et quidem ego: nam conſtitui cum quodam hoſpite
Me eſſe illum conventuram [6]. *Pa.* dii vortant bene
Quod agas. *Ph.* vale. *Pa.* et tu bene vale, Philotium.

1 Nullius momenti, ſ. falſam.

2 *Viſere* officii eſt; *videre* quaerentis. Don.

3 Don. Scimus, *quae ad ad nos deferuntur;* reſcimus celata. Gell. II, 19 *qui factum aliquod occultius aut inopinatum inſperatumque cognoſcit, is dicitur proprie reſcire.*

4 int. ſcire. Per totam fabulam Parmeno curioſus & garrulus inducitur.

5 Scil. ad portum.

6 Cauſa dicitur, cur in reliqua fabula non appareat perſona huius meretricis.

ACTUS II.[1] *SCENA I.*[2]

LACHES, SOSTRATA.

I. PRo deum atque hominum fidem [3] ! quod hc
genus [4] eſt ? quae haec eſt coniuratio [5]
Utin' omnes mulieres eadem aeque ſtudeant, nc
lintque omnia :
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingeni
ullam reperias.

1 Actu hoc poeta contra vulgarem opinionem, qua ſocrus omnes habentur odiſſe nurus, inducit bonam mulierem, nurui ſuae amicam; ſed quae, errore nihilo minus odii ſuſpecta, accuſatur.

2 Scena haec accuſationem habet, quae, uti defenſio, coniecturalis eſt. Accuſator maritus, ſuſpicione motus, eoque difficilis & iratus, ita in uxorem bonam invehitur, ut fere ſtatuas, plerumque viros iniquos eſſe in mulieres. Signa odii adſunt, quae iam Act. I dixit ſervus; ſcil. quod nurus a ſocru fugerat, neque ad ear redire volebat; neque ſocru defenſio reliqua, niſi quan bona conſcientia ſecum ha bet, haud ſatis credibilem.

3 Ab exclamatione coepi pro affectu ſuo ſenex; & a ge nerali accuſatione deſcendi ad ſpecialem, ita ut invehatu in Soſtratam, primum ut mu lierem, dein ut ſocrum, de nique ut ipſam ſui ſimilem.

4 Int. hominum; ſcil. mu lieres non ſexu ſolum, ſec & animo diverſas dicit a ce teris hominibus.

5 Conſenſio *bonae rei eſt*; coniuratio *malae*. Don.

Itaque adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus : viris
Eſſe advorſas aeque ſtudium eſt, ſimilis pertinacia eſt.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam :
Ei ludo, ſi ullus eſt, magiſtram hanc eſſe ſatis certo ſcio [1].
S. Me miſeram, quae nunc, quamobrem accuſer, neſcio [2]. *L*. hem!
Tu neſcis? *S*. non [3], ita me dii bene ament, mi Laches [4].
Itaque [5] una inter nos agere aetatem liceat. *L*. di mala prohibeant [6].
S. Meque abs te immerito eſſe accuſatam, poſtmodo reſciſces. *L*. ſcio [7]:

1 Quanta criminis amplificatio! Quaſi dubitans, an ludus malitiae ſit, id omnino non dubitat, quin uxor ea ſit, ut magiſtra tali ludo ſit. ex Don.

2 Defenſio valebit ad miſericordiam; & eſt maioris innocentiae, neſcire crimen: & ſimul cum nurum non accuſat, clam hanc innoxiam concedit. Don.

3 int. ſcio.

4 Non tam blandientis, quam innoxie periclitantis; & ad leniendam iram.

5 h. e. & ita.

6 Ut una agamus aetatem. Senex haec forſan ſeorſim dixit; an iratus interloquitur uxorem?

7 Hoc iratus dicit, (veluti cui non opus reſciſcere, quae iam ſciat) & cum ironia; eoque ſignum rogandi poſt *immerito?* inge-

Te immerito. an quidquam pro iſtis factis dignu
te dici poteſt?
Quae me, et te, et familiam omnem dedecoras
filio luctum paras:
Tum autem, ex amicis inimici ut ſint nobis affi
nes, facis;
Qui illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos
committerent.
Tu ſola exorere [2], quae perturbes haec tua im
pudentia?
S. Egone [3]? *L.* tu, inquam, mulier, quae m
omnino lapidem [4], non hominem, putas
An, quia ruri crebro eſſe ſoleo, neſcire arbitramini
Quo quiſque pacto hic vitam veſtrarum exigat
Multo melius, hic quae fiunt, quam illic, ub
ſum aſſidue, ſcio [5]:
Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego
ero fama foris.

ſtum auferimus, ut Andr. IV, 1, 29 & 34.

1 *Liberi* etiam dicitur, ubi de uno tantum filio ſ. filia agitur; uti Andr. V, 3, 20; & ſic ſimillime de filia ap. Cic. ep. ad div. IV, 5, n. 5 Sulpicius; & ipſe Cic. in Verr. III. ſ. 93 & 153.

2 Quaſi emergis; exiſtis inexſpectato, magnum ſcelus actura. Sic Cic. pro Deiot. 1 *exortus eſt ſervus, qui* &c. Don.

3 Ad haec audita ſtupet innoxia femina.

4 Sic Apollod. Σύ με παντάπασιν ἡγήσατο λίθον. Ap. Plaut. Mil. II, 2, 82 ſervus de hero ſuo: *Neque habet plus ſapientiae, quam lapis.*

5 Eia, ut lynceus videri vult ſenex.

Iam pridem equidem audivi cepiſſe odium tui Philumenam;
Minimeque adeo mirum: et, ni id feciſſet, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo [1], ut etiam totam hanc odiſſet domum:
Quod ſi ſciſſem, illa hic maneret potius, tu hinc iſſes foras.
At vide, quam immerito aegritudo haec oritur mi abs te, Soſtrata [2].
Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei ſerviens;
Sumptus voſtros otiumque ut noſtra res poſſet pati,
Meo labori haud parcens, praeter aequum atque aetatem meam [3].
Non te pro his curaſſe rebus, ne quid aegre eſſet mihi [4]?
S. Non mea opera, neque pol culpa evenit [5]. *L.* immo maxume [6].
Sola hic fuiſti: in te omnis haeret culpa ſola, Soſtrata.

1 Oſuram fuiſſe, ut &c.

2 Poſt acriorem invectionem, dum ſui miſeratur, remiſſius paulo agit.

3 Cf. Heaut. I, 1, 7 ſq.

4 Dictum hoc pendet ab illo v. 26 *quam immerito* &c.

5 *Opera* eſt ſceleris, ſi ſcientes laeſerimus; *culpa* ſtultitiae, ſi neſcientes.

6 Denuo invehitur; ſed ita, ut iam non arguat *malitiae*, tantum *culpae*; & quidem ex eo, quod ſola fuerit cum nuru.

Quae hic erant, curares; cum ego vos ſolvi c
ris ceteris.
Cum puella anum ſuſcepiſſe inimicitias non pude
Illius dices culpa factum [1]. *S.* haud equidem c
co [2], mi Laches.
L. Gaudeo, ita me di ament, gnati cauſa [3]: na
de te quidem,
Satis ſcio, peccando detrimenti nihil fieri poteſt
S. Qui ſcis, an ea cauſa, mi vir, me odiſſe a
mulaverit,
Ut cum matre plus una eſſet [5]? *L.* quid ais? n
ſigni hoc ſat eſt,
Quod heri nemo voluit viſentem ad eam te int
admittere?
S. Enim laſſam oppido tum eſſe aibant [6]: eo a
eam non admiſſa ſum.

1 Praevenit defenſionem.

2 Egregie placida femina ſic reſpondet, ut nurum etiam excuſatam velit, quamvis cauſam abitionis neſciat.

3 Uxorem ipſi eſſe, quam nec ſocrus inimica accuſare audeat.

4 Nunquam peccandi lubidinem expleveris; ſed tibi poſt peccata ſupereſt ſemper malitiae copia, ita ut nunquam ea patiatur deminutionem. Alii aberran vero ſenſu.

5 Quo iniuſtior eſt aegritudine accuſator, h patientius illum fert, mi exemplo; ut ad aequius i dicandam rem abducat h minem. Cauſam vero ab tionis etiam ſubeſſe po aliam, quam odium ſu bene regerit neſciens ip veram cauſam.

6 Infirmior ratio, qua

L. Tuos eſſe ego illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror;
Et merito adeo: nam voſtrarum nulla eſt, quin gnatum velit
Ducere uxorem: et quae vobis placita eſt conditio [1], datur:
Ubi duxere impulſu voſtro; voſtro impulſu easdem exigunt.

ACTUS II. SCENA II. [2]

PHIDIPPUS, LACHES, SOSTRATA.

P. ETſi ſcio ego, Philumena, meum ius eſſe, ut te cogam,
Quae ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam,
Ut tibi concedam; neque tuae libidini [3] advorſabor.

quae vera videatur ſeni; hinc denuo acerbius invehitur.

1 Scil. uxoria; l. potius ipſa *virgo*, uti Phorm. IV, 1, 13 & Cic. Phil. II, 38 ſq. hinc improbitas maior earum; quas elegerunt ipſae, dein oderunt.

2 Phidippus domo ſua egrediens ſermonem cum filia Philumena, eaque Soſtratae nuru, concludit reſponſione, quae mitioris patris animum praefert. Hinc oritur Lachetis de retenta nuru expoſtulatio honeſtior, cui cauſas morae opponit tam ambiguas, ut firmetur Lachetis ſuſpicio contra Soſtratam.

3 Qua voce tamen ſubaccuſat filiam, quod praeter rationem & aequum domo mariti abierit.

L. Atque eccum Phidippum optume video : hi
iam ſcibo, quid ſit [1].
Phidippe, etſi ego meis me omnibus ſcio eſſe a
prime obſequentem [2]:
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illoru
animos.
Quod tu ſi idem faceres, magis in rem et n
ſtram, et voſtram id eſſet.
Nunc video in illarum [3] poteſtate eſſe te. *Ph.* e
vero [4].
L. Adii te heri de filia: ut veni [5], itidem ince
tum amiſti.
Haud ita [6] decet, ſi perpetuam hanc vis eſſe af
finitatem,
Celare te iras [7]. ſi quid eſt peccatum a nobis [8]
profer :
Aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus [9]

1 h. e. in qua veſtrum (dicit enim hoc Soſtratae) reſideat culpa.

2 Certe in uxorem iniquior fuit, temperatum ſuum in ſuos obſequium alteri laudans, ut hunc nimii obſequii in ſuos arguat.

3 Videtur in Phidippi uxorem & filiam reiicere; & ſimul acrius pungit virum, ut γυναικοκρατούμενον.

4 Blande reſpondentis e invehenti; quaſi plenius d xiſſet : eia vero ut in me i veheris.

5 Scil. incertus.

6 Pro *adeo*, ut inimici tiae exiſtant.

7 h. l. earum cauſas.

8 Et h. l. ſubaccuſat So ſtratam.

9 Aut peccata refutand ſ. reprimendo, (ne in futu

Te iudice ipſo. ſin [1] ea eſt cauſa retinendi apud vos,
Quia aegra eſt: te mihi iniuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, ſatis ut meae domi curetur diligenter.
At, ita me dii ament, haud tibi hoc concedo, etſi illi pater es,
Ut tu illam ſalvam magis velis [2], quam ego: id adeo gnati cauſa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam ſe ipſum, magnificare.
Neque adeo clam me eſt, quam eſſe eum graviter laturum credam,
Hoc ſi reſcierit. eo domum, ſtudeo haec prius, quam ille, huc redeat [3].
Ph. [4] Laches, et diligentiam voſtram, et benignitatem

rum peccetur) aut ſatisfaciendo vobis (ita enim peccata purgantur. aliud vero eſt, ſe purgare, ſe excuſare) corrigemus; cf. Ad. IV, 4, 2. Qui h. l. Donatum, aut cuicui exciderint illae quiſquiliae: *refellit*, *qui negat*, *purgat*, *qui fatetur & ſic defendit* &c. ſequitur, nihil videt.

1 Si vero. Attingit iam cauſas, quae in altera parte conſiſtant.

2 Quam blande hanc qualemcumque reprehenſionem regit finibus decori, & ſe officioſum & humanum gerit!

3 Conſtrue: *eo* (ob id) *ſtudeo* (velim) *ut haec redeat domum, prius quam ille* redeat.

4 Honeſta affinis oratione motus Phidippus ſe pri-

Novi: [1] et, quae dicis, omnia eſſe, ut dicis, a
mum induco;
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos
dire ſtudeo,
Si facere poſſim ullo modo. *L.* quae res te
cere id prohibet?
Eho, numquidnam accuſat virum? *P.* minume
nam poſtquam attendi
Magis, et vi [3] coepi cogere ut rediret, ſan
adiurat [4],
Non poſſe apud vos Pamphilo ſe [5] abſente perdura
Aliud fortaſſe aliis vitii eſt: ego ſum animo le
natus [6]:

mum purgat de eo, quod dubitaſſe videatur de cura & affectu Lachetis & ſuorum (dicit enim non *tuam*, ſed *voſtram*); dein de re ipſa reſpondet ſuo modo. Refertur *dilig.* ad dicta v. 15 *Si metuis* &c. *benignitas* ad dicta v. 16—20.

1 Sqq. comiter dicta ſic exponas: Sicuti nullus dubito de iis, quae mihi confirmaſti; ita te oro, ut viciſſim mihi fidem habeas, me quidem percupere filiam meam ad vos redire, ſed non poſſe eam cogere.

2 Sed haec purgatio vi valet ad ſuſpicionem Lach tis augendam, in Soſtra culpam eſſe.

3 Acrius urgendo, i bendo.

4 Quod etiam fortius e quam *iurat*, & notat per caciam filiae. Neque ve ille cauſas reddit, quas ip non noverat, ſuis obſeq doctus.

5 Conſtrue *ſe Pamph. al*

6 Reſpondet iis, quae L ches primo obiecerat v.

Non poſſum advorſari meis. *L.* hem Soſtrata [1]! *S.* heu me miſeram [2]!
L. Certumne eſt iſtuc [3]? *P.* nunc quidem, ut videtur. ſed numquid vis [4]?
Nam eſt, quod me tranſire ad forum iam oportet. *L.* eo tecum una.

ACTUS II. SCENA III. [5]

SOSTRATA.

AEdepol nae nos [6] ſumus inique aeque omnes inviſae viris,
Propter paucas [7]: quae omnes faciunt, dignae ut videamur malo.
Nam, ita me dii ament, quod me accuſat nunc vir, ſum [8] extra noxiam.

ſq. confeſſione, & ſic ſimul praevenit Lachetem, ne is denuo poſcat, ut cogat filiam imperata facere.

1 Redit ſenex iratior in uxorem, ſignum odii hoc novum eſſe credens.

2 Iniuriarum, adverſus quas ſe tueri copia non eſt, feſſa exclamat.

3 Te non cogere velle, ut redeat.

4 Formula abeuntium.

5 Soſt. falſo ſuſpecta, ei rei dolens, ita ſecum loquitur, ut ex eius oratione placeant mores eius animuſque mitis.

6 int. mulieres eaeque ſocrus.

7 Cf. Eurip. Ione v. 399 Creuſam ſimiliter querentem.

8 *Quod--ſum*, int. in eo.

Sed non facile eſt expurgatu [1]: ita animum in
xerunt, ſocrus
Omneis eſſe iniquas [2]. haud pol me quidem
nam nunquam ſecus
Habui illam, ac ſi ex me eſſet nata: nec,
hoc mihi eveniat, ſcio:
Niſi [4] pol filium multimodis iam exſpecto, ut
deat domum.

ACTUS III. [5] *SCENA I.*

PAMPHILUS, PARMENO, MYRRHINA.

Pam. NEmini ego plura acerba eſſe credo
amore [6] homini unquam oblata,
Quam mihi. heu me infelicem! hanccine ego vita
parſi perdere [7]?

1 Suſpicionem dimovere difficillimum eſt.

2 Scil. nuribus.

3 Scil. eſſe iniquam, *ſcio*; quod verbum ipſa ſq. verſui ſubdit. Quam perfecte autem poeta ſermone exprimit animum mitem & innoxium, ſenſumque purum feminae ſecum loquentis!

4 ſ. ſed.

5 Creſcunt turbae hoc actu ex adventu Pamphili, qui pietate matri, ſed uxori amore devinctus nunc a ſ
vo in itinere edoctus de
bitu uxoris, iras credens i
ter hanc & illam interceſſ
ſe, in tragicos queſtus
funditur Sc. 1; & ex par
Philumenae clandeſtino, c
intervenit Pamph. de q
dein dicetur Sc. 3.

6 Don. obſervat: Nim
cothurnati & tragici in h
dolores eſſent, non comic
niſi adderet *ex amore*.

7 h. e. ſervavi.

Haccine cauſa ego eram tantopere cupidus redeundi domum ?
Cui quanto fuerat praeſtabilius, ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire ? atque haec ita eſſe [1], miſerum me reſciſcere ?
Nam nos omnes . . [2] quibus eſt alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod eſt interea tempus, prius quam id reſcitum eſt, lucro eſt.
Par. At ſic [3], citius qui te expedias his aerumnis, reperias.
Si non rediſſes, hae irae factae eſſent multo ampliores :

1 Lacrimantis verba ſunt.

2 Haerent in hac conſtructione abrupta a Don. fere omnes interpp. & Codd. nonnulli, quos ſequitur Bentl. legunt *nam nobis omnibus.* Alii ſoloeciſmum ſumunt; neque aptis tuentur exemplis. Alii ſubaudire malunt, quod τὸ Graecorum κατὰ reſpondeat, *circa* ſ. *quod attinet ad n. o.* ita ut caſu quarto verba ſint. Sed malumus ſoloeciſmum, quem ſciens, perturbationem Pamphili imitaturus, fecerit poeta, adeoque non vitio habendum, immo antiquitate defenſum. Sic enim Plaut. Epid. II, 1, 1 *Plerique homines* (ſubaudi *ii ſunt*), *quos cum nihil refert, pudet.* Immo & Salluſtius Cat. 37 locutionem abruptam imitatus videtur: *Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat* &c. & dein: *praeterea iuventus* &c.

3 h. e. quod in tempore veniſti.

Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, ſi reverituras [1].
Rem cognoſces, iram expedies [2]: rurſum in g tiam reſtitues.
Levia ſunt, quae tu pergravia eſſe in animum i duxti tuum.
Pam. Quid conſolare me [3]? an quiſquam uſqu gentium eſt aeque miſer?
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alib animum amori deditum:
Iam in hac re [5], ut taceam, cuivis facile ſcitu e quam fuerim miſer:
Tamen nunquam auſus ſum recuſare eam, qua mihi obtrudit pater.
Vix me illinc [6] abſtraxi: atque impeditum in expedivi animum meum,
Vixque huc [7] contuleram; hem nova res orta eſ porro ab hac quae me abſtrahat.

1 Ne altera alteram accuſare audeat; I. ut iras finiant.

2 ſ. diſſolves. Rarior verbi conſtructio. Neque enim irae ſunt, niſi in amicitia. Sic & Andr. III, 3, 23 *irae amantium* &c. Mox *rurſum reſt.* pleonaſmo ſollenni.

3 Fruſtra ſibi ſolatium adhiberi dicit; & explicat iam illud, quod dixerat, ſibi *ex amore oblata* eſſe t *acerba*.

4 Modeſte Bacchidem i nuit.

5 Amore ſcil. Bacchidi cui adverſarius erat pud patris; cf. ſupra I, 2, 47.

6 A Bacchide.

7 Ad uxorem Philu *contuleram* int. animum amorem.

Tum matrem [1] ex ea re, me, aut uxorem, in culpa inventurum arbitror:
Quod cum ita eſſe invenero; quid reſtat, niſi porro ut fiam miſer?
Nam matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet:
Tum uxori obnoxius ſum: ita olim ſuo me ingenio pertulit,
Tot meas iniurias [2] quae nunquam in ullo pate-fecit loco.
Sed magnum [3] neſcio quid neceſſe eſt eveniſſe, Parmeno,
Unde ira inter eas interceſſit, quae tam permanſit diu.
Par. Aut [4] quidem hercle parvum; ſi vis vero veram rationem exſequi.

1 *Tum matr.*--mox *tum uxori.* Sive illam, ſive hanc in culpa invenerit, miſer erit. Ex hac vero oratione pium Pamphili ingenium cognoſcas.

2 Cf. ſupra I, 2, 90 ſq. ſed conſtrue: *quae nunq. tot meas in. pat. in ullo loco;* neque nugas Donati & aliorum accipe.

3 Id ſuſpicatur, cum utriusque mores lenes noverit. Et ſic praeparatur id, quod dein ex partu, quem Philumena celare debebat ſocrum, maximum interceſſiſſe cognoſcetur.

4 *Aut* h. l. corrigit minuitque ſuperius *magnum.* Et ſic invenit in quodam ſuo libro Faern. inde praeter quod opus eſt, faciens *at* pro vulg. *haud,* quod ſcribi ſolitum *haut* ex illo *aut* ortum ſit; neque vero ſenſui convenit. Idem

[1] Non maxumas, quae maxumae ſunt interd
irae, iniurias
Faciunt. nam ſaepe eſt, quibus in rebus alius
iratus quidem eſt;
Cum de eadem cauſa eſt iracundus factus ini
ciſſimus.
Pueri inter ſeſe quam pro levibus noxiis iras
runt!
Quapropter [2]? quia enim, qui eos gubernat a
mus, infirmum [3] gerunt.

Faern. auctoritate Bembini aliorumque & Don. *parvum* reſtituit pro *parum eſt*, quod multas edd. obſidet. mox *vero*, int. verbo. Nam *exſequi* ſimpliciter etiam dicitur pro *verbis exſequi.*

1 Verſum, in quo interpp. plurimum haerent, conſtrue: *quae maxumae ſunt interdum irae, iniurias non faciunt maximas*, ſcil. quae revera ſunt minimae; h. e. non tantae ſunt iniuriae, quantae ex iris videntur. *facere* h. l. vim habet *oſtendendi* ſ. *probandi*, quod iam aliis placuiſſe teſtatur Don. Haud abſimile videtur illud Ad. IV, 1, 19 *ego te facio ap. illum Deum*, h. e. ita effero, verbis augeo, ut videaris Deus. Iam vide Bentl. temere facit: *Non m xumae* (eas) *quae maxun ſunt interdum irae, iniur faciunt.* Neque etiam op cum Dacieria credere, ſe rum praeter ingenium ph loſophantem permiſcere o nia. Talia hodie arride Loquax quidem ſervus ſua ſapientiam iactat; ſed pe turbatus nobis non videtu

2 Vide, ut dialectice ſua inſtruit rationem homo ſe vus, verbaque fundit. Ita *quia enim* ap. Plaut. ſervis ſitatum.

3 Int. eum. Sic Ennius a Cic. off. I, 19 *Vos etenim*

Itidem illae mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia [1]:
Fortaſſe unum aliquod verbum hanc inter eas iram conciverit.
Pam. Abi, Parmeno, intro, ac me veniſſe nuntia [2].
Par. hem! quid hoc eſt [3]? *Pam.* tace [4].
Par. Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum [5]: agedum ad fores [6]:
Accede propius. hem, ſenſiſtin'? *Pam.* [7] noli fabularier.

iuvenes, animum geritis muliebrem, Illaque virgo viri; & ipſe Cic. Parad. V, 2 *gere igitur animum laude dignum.* Vellei. II, 74 *Fulvia nihil muliebre praeter corpus gerens.* cf. Sall. Iug. 54 init. Plaut. Aſin. II, 1, 9 &c.

1 Cf. Phorm. V, 7, 56. & Hor. art. p. 159 in pueri notatione: *& iram colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.* De muliebribus iris Propert. II, 9, 35 *Quam cito feminea non conſtat foedus in ira, Sive ea cauſa gravis, ſive ea cauſa levis.*

2 Pro reſponſo ad iſtam ſapientiam iubet ſervum abire, & uxori nuntiare adventum: quod moris erat peregre venientibus; cf. Plaut. Amph. I, 1, 40.

3 Adiens fores, ſubito auditis, quae in aedibus geruntur, conſiſtit.

4 Non loquere altius.

5 Don. habet: *rurſum* proprie *retro*: *prorſum*, *ante* ſignificat. & eſt proverbiale, ut dicimus *rurſum deorſum*, *intro foras*, *huc illac* &c. Ipſe adeo ordo ſignum habet perturbationis.

6 Pamphilum propius accedere iubet, ut ipſe audiat; ſtatim altiori voce rogat *hem!* ſ.

7 Submiſſius primum monet ſervum; ſed ipſe ſtatim

Pro Iuppiter! clamorem audio [1]. *Par.* tute loque ris, me vetas [2]?

M. Tace, obſecro, mea gnata [3]. *Pam.* matris vo viſa eſt [4] Philumenae.

Nullus ſum [5]. *Par.* qui dum? *Pam.* perii! *Pa* quam ob rem? *Pam.* neſcio quod ma num malum

Profecto, Parmeno, me celant [6]. *Par.* uxorem Ph lumenam

Pavitare [7] neſcio quid, dixerunt. id ſi forte eſt neſcio.

altius inclamat *pro Iup.* &c.

1 Crede clamorem fuiſſe, quem dolor parturienti expreſſerat, quamlibet obſcurius.

2 *Mire expreſſus eſt mos auſcultantium.* Don.

3 Myrrhina auditur, non videtur; monet vero filiam, ne ipſa prodat clamando, quae clam fieri debebant.

4 Sc. audiri. Verbum in omni ſenſu, maxime auditu adhibetur; plenius infra ſc. 8, 2. Eun. III, 2, 1 *audire vocem viſa ſum.* cf. Virg. Aen. VI, 257.

5 Sic, qui ſupra ſe *miſerum* & infelicem dixerat, nunc cum *magnum neſcio qu* eveniſſe ſubito intelligeret cf. ſupra v. 24.

6 Celantur proprie tur piter facta; ſed nihil tale alia quaevis pericula ſuſpi catur Pamph. hinc *me celant* quippe quia a nobis abiit neque remiſſa eſt. Alii vero ut Eraſm. Ald. Steph. Fabric. Weſterh. Bentl. contra fidem MSS. optt. edidere *celas*, ut quod ſqq. dictis congruere putant. Eligant lectores.

7 *Pavit.* ad corporis perturbationem refertur; qualis eſt etiam in febris acceſſione,

Pam. Interii : cur mihi id non dixti ? *Par.* quia non poteram una omnia.
Pam. Quid morbi eſt ? *Par.* neſcio. *Pam.* quid ? nemon' medicum adduxit ? *Par.* neſcio.
Pam. Ceſſo hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid eſt, certo ſciam ?
Quonam modo, Philumena mea [1], nunc te offendam affectam [2] ?
Nam ſi periclum [3] in te ullum ineſt, periiſſe me una haud dubium eſt.

ACTUS III. SCENA II [4].

PARMENO.

NOn uſus facto eſt mihi nunc, hunc intro ſequi:
Nam inviſos omneis nos eſſe illis ſentio [5].

1 Amatoria apoſtrophe.

2 Int. morbo. Quantum vero afficietur amator maritus, partui ſuperveniens, quem alienum putabat! neſcius virginem a ſe ipſo compreſſam ante nuptias.

3 Int. vitae.

4 Poeta h. l. & dein arte amovet ſervum, qui uxorem a Pamph. aliquamdiu integram ex ipſo audiverat, ne Philumenam peperiſſe ſentiat; nedum veram rei rationem de compreſſa a Pamph. ante nuptias virgine reſciſcat garrulus ſervus, ex eoque aliquis alius, quem haec ſcire fas non eſſet; cf. Act. V, ſc. ult.

5 Acute invenit poeta cauſam, qua contineretur & ſervus curioſus, & ob id ipſum ſocrus ſuperventura.

Heri nemo voluit Soſtratam intro admittere [1].
Si forte morbus amplior factus ſiet,
Quod ſane nolim, maxume heri cauſa mei:
Servom illico introiiſſe dicent Soſtratae:
Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali,
Capiti atque aetati illorum [2]! morbus qui au
tus ſiet.
Hera in crimen veniet, ego vero in magnu
malum [3].

ACTUS III. SCENA III [4].

SOSTRATA, PARMENO.

S. NEſcio quid iam dudum audio hic tumu
tuari, miſera:
Male metuo, ne Philumenae magis morbus aggr
veſcat:

1 Quod odii argumentum eſt.

2 Quod male ſit illis, ſcil. domeſticis Phidippi, qui falſa comminiſcantur de innoxiis nobis. de formula vid. ad Phorm. III, 2, 6. Cave vero cum Don. putes, per *illorum* intelligi ipſam Philumenam.

3 Quaeſtionem & crucer

4 Soſtrata tumultu, q in vicinis aedibus affiniu eſt, excita, & de nuru timen hanc pro bonitate in eam f viſura erat, ſed ſervo diffu dente, maxime audito ad ventu filii, retinetur.

Quod te, Aeſculapi, et te, Salus [1], ne quid ſit huius [2], oro.
Nunc ad eam viſam. *Par.* heus Soſtrata. *S.* ehem. *Par.* iterum iſtinc excludere [3].
S. Ehem Parmeno, tune hic eras? perii, quid faciam miſera?
Non viſam uxorem Pamphili [4]; cum in proxumo hic ſit aegra?
Par. Non viſas: ne mittas quidem viſendi cauſa quemquam [5].
Nam [6] qui amat, cui odio ipſus eſt, bis facere ſtulte duco [7]:
Laborem inanem ipſus capit, et illi moleſtiam affert.

1 Aeſculapii & Deae Salutis numina iunctim colebantur, quomodo & eorum ſtatuae iunctae erant ap. Graecos.

2 Scil. quod male metuo.

3 Reſtnturus heram admonet ipſam iniuriae prius acceptae; eoque fortius dicit *excludêre*, cum ſupra I, 2, 114 dixiſſet *admiſit nemo.*

4 Sic dicendo animum matris bonaeque ſocrus oſtendit aptius, quam ſi dixiſſet Philumenam.

5 Tantum abſit, ut viſas eam, ut nequidem--mittas. Cui minus non licet, ille & maius non audeat.

6 En iterum ſervus verba fundens ut philoſophus.

7 Cic. ad fam. V, 5, n. 7— *ſin autem ingrata eſſe ſentiam, non committam, ut tibi ipſe* inſanire *videar.* cf. & Plaut. Trin. III, 2, 12. Hor. art. p. 467 & ep. I, 20, 16.

Tum filius tuus introïit videre, ut venit [1], qu
agat.
S. Quid ais! an venit Pamphilus [2]? *Par.* ver
S. dis gratiam habeo.
Hem! iſtoc verbo animus mi rediit, et cura
corde exceſſit.
Par. Iam ea te cauſa maxume nunc huc intro
nolo:
Nam ſi remittent quippiam Philumenae dolor
Omnem rem narrabit, ſcio, continuo ſola ſoli,
Quae inter vos intervenerit, unde ortum eſt
tium [3] irae,
Atque eccum video ipſum egredi. quam triſtis

ACTUS III. SCENA IV [4].

SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILUS

S. O Mi gnate!
Pam. Mea mater, ſalve. *S.* gaudeo veniſſe ſalv
ſalvan'

1 Statim cum advenit. Tandem ſic adventum filii nuntiat; quo quid laetius eſſe poterat matri?

2 *Poeta bene imitatur affectum.* Don.

3 Pleonaſmus; uti *incipit initium* Andr. IV, 1, 26 & ſc. 5. v. 1 & 2 *initium*-- *exordiar.*

4 Salutationem habet tris amantiſſimae ſollici que, & filii pii, ſed ob do viſa, quae matrem c lare debet, ſc. ſq. ſolus rabit, triſtis.

Philumena eſt? *Pam.* meliuſcula eſt. *S.* utinam
iſtuc ita dii faxint!
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis?
Pam. recte [1], mater.
S. Quid fuit tumulti [2]? dic mihi [3]: an dolor repente invaſit [4]?
Pam. Ita factum eſt. *S.* quid morbi eſt? *Pam.* febris [5]. *S.* quotidiana? *Pam.* ita aiunt [6].
I ſodes intro [7]; conſequar iam te [8], mea mater.
S. fiat [9].
Pam. Tu [10] pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adiuta [11].

1 Formula reticendi, quae dicere nolis, abſque iniuria interrogantis. Cf. ad Heaut. I, 3, 16.

2 Antiquus genit. uti & ap. Salluſt. *Senati* pro *Senatus*. Don.

3 Eſt curioſius interrogantis.

4 Imprudens verum tangit. Parturientes enim dolor repente invadit.

5 Neque haec abeſt a puerperis. Ita nil mentitur filius.

6 Religioſe hoc, quod praeter verum eſt, ad rumorem refert.

7 Rogat id, timens, ne ingrediatur ad ſoceros, & ſimul ne amplius interrogetur.

8 Addit hoc, ut lubenter praeeat mater. *Iam* h. l. mox; uti Andr. III, 2, 5.

9 Concedendi h. l. vim habet.

10 Iam quoque ablegat ſervum curioſum.

11 *Antiqua*, inquit Don. *locutio figurata; & eſt* υπαλλαγη pro *onera portantes adiuta*. Sic & Phorm. I, 2, 49 *funus adiutare*.

Par. Quid? non ſciunt ipſi viam, domum q
redeant [1]? *Pam.* ceſſas?

ACTUS III. SCENA V [2].

PAMPHILUS.

NEqueo mearum rerum initium ullum in
nire idoneum,
Unde exordiar narrare, quae nec opinanti a
dunt:
Partim, quae perſpexi his oculis, partim, q
accepi auribus:
Qua me propter [3] exanimatum citius eduxi fo
Nam modo intro me ut corripui timidus, a
ſuſpicans
Morbo me viſurum affectam, ac ſenſi eſſe, u
rem: hei mihi [4]!
Poſtquam me aſpexere ancillae adveniſſe, ill
omnes ſimul

1 Piger, aeque ut curioſus & loquax omnis, ſervus aegre fert mandatum.

2 Tandem abactis iis, quos haec ſcire non licebat, Pamphilo locus eſt, ubi eius dolor ex modo viſis & auditis effundatur in queſtus; qui & rem omnem declarant, & affectum magis a toris, quam mariti, pi & pudicum eius ingeni proferunt.

3 Τμῆσις, *quapropter* cf. infra v. 16 ſq.

4 Mire interponitur d lentis formula, a qua in piat ἀπόδοσιν.

Laetae exclamant, *venit;* id quod [1] me repente aſpexerant.
Sed continuo voltum [2] earum ſenſi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat [3] adventum meum.
Una illarum interea propere praecucurrit, nuntians
Me veniſſe: ego, eius [4] videndi cupidus, recta conſequor.
Poſteaquam intro adveni, extemplo eius morbum cognovi miſer.
Nam neque, ut celari [5] poſſet, tempus ſpatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res [6] monebat, ipſa poterat conqueri.

1 Eleganter omittitur *ob* id quod.

2 Cic. de orat. III, 57 *Omnis enim* motus animi *ſuum quendam a natura habet* vultum, *& ſonum*, *& geſtum* &c.

3 *Offeruntur* inſperata ſ. bona ſ. mala.

4 Int. Philumenae. Gerundium enim in *di* non modo cum genit. plur. (ut legendi librorum; & Heaut. prol. 29) quod frequens eſt ap. Ciceronem, ſed & cum genit. ſing. conſtrui monuit iam Sanctius Min. III, 8, p. 495 ed. 1702 ex ipſo noſtro, Plauto, Ovidio. Nec tamen huc trahimus Ph. II, 1, 24, ubi non refertur ad *amicae* ſ. *uxoris*, ſed ad *amoris*.

5 Int. partus.

6 Scil. partus.

Poſtquam aſpexi, *o facinus indignum* [1] *!* inqu[...]
et corripui illico

Me inde, lacrumans, incredibili re atque at[...]
percitus [2].

Mater conſequitur: iam [3] ut limen exirem; [...]
genua accidit,

Lacrumans miſera. miſeritum eſt [4]. profecto [...]
ſic eſt, ut puto.

Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni at[...]
humiles ſumus [5].

Hanc habere orationem mecum principio inſtiti[...]

O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abie[...]
cauſam vides [7] *:*

Nam vitium eſt oblatum virgini olim ab neſcio [...]
improbo [8] *:*

1 Int. *quod ego non promeritus ſum.* Atque una hac exclamatione quanta vis doloris ex amore repentini exprimitur magis, quam queſtu & furore!

2 Supra v. 4 *me exanimatum citius eduxi f.*

3 Int. *erat, ut* &c.

4 Formula miſerantium; cf. Phorm. I, 2, 49. Atque eidem affectui egregie ſubſervibit ἐθοποιΐα, qua mox orationem matris Philumenae referet.

5 Apollod. ὅτως ἕκα[...] δια τα πραγματα ετμενος γ[...] ταπεινος. Sed & vide, ut [...] ſententiam poeta princ[...] Odyſſ. Σ, 135 expreſſe[...]

6 f. primum coepit, [...] ſine labore.

7 Ita iam Soſtrata in[...] xia agnoſcitur filio.

8 Ex eo invenietur exi[...] cum Pamph. invenietur i[...] improbum id facinus im[...] denter feciſſe; quod ex ſi[...]

Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret ſuum.
Sed cum orata eius reminiſcor, nequeo quin lacrumem miſer [1].
Quaeque ſors fortuna eſt, inquit, *nobis quae te hodie obtulit,*
Per eam te obſecramus ambae, ſi ius, ſi fas eſt, uti
Advorſa eius [2] *per te tecta tacitaque apud omnes ſient.*
Si unquam erga te animo eſſe amico [3] *ſenſiſti eam, mi Pamphile,*
Sine labore hanc gratiam te ut ſibi des pro illa, nunc rogat:
Ceterum de reducenda id facias, quod in rem ſit tuam [4]*:*

cognoſcetur ſub Actum V.

1 Mire ſua verba interponit, ut lacrumis oſtendat, quam infelix ſit ex amore, quem honeſte retinere ſe non poſſe videt; & quam infelix ſit Philum. ex caſu indigno.

2 Neque enim ipſa in crimine erat.

3 Quem ipſe laudaverat Pamph. ſupra ſc. I, 22 ſq.

4 Verecundia tegit, quae quidem optat, ſed verbis orare non audet. Orat igitur tantum, ut rem omnem clam habeat; ſed argumenta, quae ſubiicit, ambiguae preci idonea ſunt: primum ab utili, (ſi enim non reducturus erat, dotem reſolvere tenebatur): dein ab eo, quod non indecore fieri poſſit, cum ſolus rei conſcius ſit: tum a facili, quod tantum temporis a nuptiis effluxerit, ut Philumenam abortum feciſſe (cf. v. 38), probabilius dici poſſit: denique eximit ſcrupulum, qui unus in hac re ſuperſit, eo quod

Parturire eam, neque gravidam eſſe ex te,
conſcius [1]:
(Nam aiunt [2] *tecum poſt duobus concubuiſſe*
ſibus [3]:
Tum, poſtquam ad te venit [4], *menſis agitu*
iam ſeptimus)
Quod te ſcire [5], *ipſa indicat res: nunc ſi potis*
Pamphile,

infans continuo exponendus ſit.

1 Conſtrue & expone: qui *ſolus conſcius es, eam part. neque gr. ex te.*

2 Honeſtius pro *ait*, ſcil. Philumena.

3 Scil. quam tibi nupta eſſet. *Duos* igitur menſes abſtinuerat ab uxore; dein effluxere, quod mox ait, *ſeptem* menſes. Iam cum partus adeſſet, agebatur *decimus* menſis, ſcil. lunaris; (quod conſtat ex Act. V, 3, 24; cf. Ad. III, 5, 29.) ſequitur, inter raptum illum & nuptiarum ſollenthia intercesſiſſe menſem *unum*. Interpp. omnes inde a Don. inepte laborant in computandis menſibus, remque implicant. Ceterum locutio *duob. menſibus* pro *duobu m.* antiquis aeque uſitata ut *duo p. menſes* pro *p. m.* cf. Liv. XXXII, 5. 47 & 57. Obvia quoque ap. Cic. Nep. al. *poſt pa poſt aliquanto, poſt non mu* quod per ἀντιστροφὴν dic volunt Grammatici.

4 Loquitur modeſte, i nuptias conſummatas d bus menſibus, poſtquam n ſiſſet. Ita & Ovid. de am. II, 579 *ad foedus niunt amantes.*

5 Pamph. ſcil. niſi P menonem conſcium fecisſ cf. Act. I, 2, 61 & 68, lus ſciebat, partum eſſe al num; quippe cum ipſe d mum abhinc ſeptem men

Maxume volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omneis. ſed ſi fieri id non poteſt, quin ſentiant,
Dicam abortum eſſe: ſcio, nemini aliter ſuſpectum fore,
Quin, quod veriſimile eſt, ex te recte eum [1] natum putent.
Continuo exponetur [2]: hic [3] tibi nihil eſt quidquam incommodi; et
Illi miſerae indignae factam iniuriam contexeris.
Pollicitus ſum [4], et ſervare in eo certum eſt, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honeſtum eſſe arbitror:
Nec faciam; etſi amor me graviter conſuetudoque eius tenet.
Lacrumo, quae poſthac futura eſt vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. o Fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!

bus cum Philum. rem habere coepit. Aliis ſi palam fieret, Philumenam peperiſſe, videri poterat antevertiſſe decimum menſem (lunarem).

1 Scil. quem *abortum* diceret.

2 Tamquam te iubente, qui eum tollere nolis.

3 in hac re; h. e. ſi non tollatur puer, quem Pamph. alienum ſcibat.

4 Scil. ut per me omnia tecta eſſent. Atque in eo miſericordiam & amorem eius, quam tamen reducere, non honeſtum habebat, oſtendit.

Sed [1] iam prior amor [2] me ad hanc rem e
citatum [3] reddidit:
Quem ego tum conſilio miſſum feci, eidem r
operam dabo [4].
Adeſt Parmeno cum pueris. hunc minime eſt (
In hac re adeſſe: nam olim ſoli credidi,
Ea me abſtinuiſſe in principio, cum data eſt.
Vereor, ſi clamorem eius hic crebro audiat,
Ne parturire intellegat. aliquo mihi eſt
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACTUS III. SCENA VI. [5]

PARMENO, SOSIA, PAMPHILUS.

Par. AIn' tu [6], tibi incommodum eveniſſe i
S. Non hercle verbis, Parmeno, dici poteſt

1 Capit tandem ex neceſſitate conſilium forte.

2 Scil. Bacchidis.

3 Scil. id edoctum, quod Cic. Tuſc. IV, 35 ſ. 74 ſic dicit: *Etiam novo quidam amore veterem amorem tamquam clavo clavum eiiciundum putant.*

4 Deſtinaverat iam miſſam facere uxorem; ſed *ſolitudinem* odit: itaque nunc veterem amorem repetere, & ſic ſibi conſulere ſtatuit.

5 Scena comicos luſu bens, primum ſervoru itinere fabulantium de culis itineris maritimi, Parmenonis amandatio

6 Quae formula admi tis refert ſe ad ea, quae de itineris maritimi pe lis maximis iactaverat. I ſupra III, 1 Pamph. redi *hanccine ego vitam parſi dere.*

Tantum, quam [1] re ipſa navigare incommodum eſt.
Par. Itane eſt? *S.* o fortunate [2]! neſcis quid mali [3]
Praeterieris, qui nunquam es ingreſſus mare.
Nam alias ut mittam miſerias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea ſemper mortem exſpectabam miſer:
Ita uſque advorſa tempeſtate uſi ſumus.
Par. Odioſum [4]. *S.* haud clam me eſt [5]. denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, ſi eo mi redeundum ſciam.
Par. [6] Olim quidem te cauſae impellebant leves,
Quod nunc minitare facere [7], ut faceres, Soſia.
Sed Pamphilum ipſum video ſtare ante oſtium.
Ite intro: ego hunc adibo, ſi quid me velit.
Here, etiam tu hic ſtas? *Pam.* equidem te exſpecto. *Par.* quid eſt?
Pam. In arcem [8] tranſcurſo opus eſt. *Par.* cui homini? *Pam.* tibi.

1 *Tantum--quam* uſitatum etiam Varroni & Livio pro *tantum quantum.*

2 Sic & ap. Hor. Serm. I, 1, 3 miles fractus exclamat: *o fortunati mercatores!* cf. Virg. Georg. II, 458.

3 Menander: πυρ, και θαλαττα, και γυνη, κακα τρια. Quam perfecte autem in ſqq. poeta ſequitur hominum id generis ſenſum & ſermones!

4 Quod ego nunquam experiri audeam.

5 At ego expertus ſum.

6 Ita aſſentitur, ut iocoſe perſtringat hominem levem, tamquam fugitivum.

7 Scil. fugam.

8 Ακροπολιν, in medio

Par. In arcem! quid eo? *Pam.* Callidemi
hoſpitem
Myconium, qui mecum una vectu 'ſt, conv
Par. [1] Perii: voviſſe hunc dicam, ſi ſalvus
mum
Rediſſet unquam, ut me ambulando rump
Pam. Quid ceſſas? *Par.* quid vis dicam? an
veniam modo [2]?
Pam. Immo, quod conſtitui, me hodie conv
turum eum,
Non poſſe: ne me fruſtra illic exſpectet. vo
Par. At non novi hominis faciem [3]. *Pam.* at faci
ut noveris [4]:
Magnus, rubicundus, criſpus [5], craſſus, caeſ

urbis ſitam. En ut piger & curioſus ſtupet, laborem in alium transferre cupiens; & liberius agit, in heri rebus conſcius, eiuſque ſermonum olim particeps.

1 Sibi loquitur. Facete vero dicit, *hunc voviſſe;* ſollenne enim peregrinantibus in itinere vota facere de reditu.

2 Homo, cui aegre eſt, irridet hero, qui rem non mandaverit exſequendam.

3 Denuo impatientiam profert.

4 Ludit iam ſervum, p gendo homine, quem qu rendo nuſquam gentium veniat. Ita ille curioſus & ger merito abigitur, ex cetur.

5 Arguebatur, teſte D Terentius imperite fec Myconium illum *criſpu* quem Apollodor. fecerit *vum* ex prov. Graeco *κάντες φαλακροὶ* ſ. uti Lu lius habet: *Myconi ca omnis iuventus;* cf. & Pl

Cadaveroſa [1] facie. *Par.* di illum perduint!
Quid, ſi non veniet? maneamne uſque ad veſperum?
Pam. Maneto: curre. *Par.* non queo: ita defeſſus ſum.
Pam. Ille abiit. quid agam infelix [2]? prorſus neſcio
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suae gnatae partum: nam me miſeret mulieris.
Quod potero, faciam, tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori [3], obſequi
Oportet. at, at, eccum Phidippum, et patrem
Video: horſum pergunt. quid dicam hiſce, incertus ſum.

H. XI, 47. Putat adeo Don. Terentium ſcientem facetius dixiſſe *criſpum*. Certe Pamph. veram imaginem reddere noluit. Tum calvum natura, & criſpum (non raſo capite) eſſe, non repugnat. Mox *caeſ.* cf. Heaut. V, 8, 17 ſq. ubi virgo dicitur *rufa*, *caeſia*.

1 In hac voce incerti haerent a Don. omnes interpp. Nos a vero minus aberramus, ſi locum Lindenbrogio excitatum ex Sidon. Apollin. XIII, ep. 3 adſcribimus: *Sordidior eſt atque deformior cadavere rogali.* Hinc ante Faernum legebatur *cadaveroſa facies*; tamquam a Parmenone dictum.

2 Certus enim, non reducere uxorem, & cauſam tamen celare, incertus erat, quomodo id faceret, ut ne mater, iam immerito ſuſpecta, haud ultra in crimen veniret.

3 int. uxoris, quippe quem, nondum animo amiſſum, mittere laborabat. Cf. Phorm. II, 1, 23.

ACTUS III. SCENA VII. [1]

LACHES, PHIDIPPUS, PAMPHILUS.

L. Dixtin' dudum, illam [2] dixiſſe, *ſe exſpectan filium?*

Ph. Factum. *L.* veniſſe aiunt [3]: redeat. *Pa.* quam cauſam dicam patri,

Quamobrem non reducam, neſcio [4]. *L.* quem ego hic audivi loqui?

Pa. Certum obfirmare eſt viam me, quam decrevi perſequi [5].

L. Ipſus eſt, de quo hic agebam tecum. *Pa.* ſalve, mi pater.

1 Habet patris ac ſoceri congreſſum cum Pamph. cui illi reconciliare Philumenam laborant; ſed Pamph. recuſans primum, pietatem in matrem praefert; dein ſe excuſans amorem Philumenae ita prodit, ut ſe expedire nequeat, niſi abeundo, & diverſae ſuſpicioni locum relinquat. Inde & ſenum a ſe invicem diſſenſio & diſceſſus.

2 Scil. filiam tuam. Cf. ſupra II, 2, 27.

3 Int. filium. *Redeat* igitur Philumena.

4 Bene incertum facit poeta, cum nihil aliud partum celare volenti ſuperſit, quam ut recuſationem tegat obſequio, quod praeſtare malit parenti, quam amori eius, quae illi concedere neſciat. Atque hoc ſecum loquitur altius, ita ut audiatur prius, quam convenerit. Ita ſolet poeta perſonas inducere.

5 h. e. animo obfirmato perſequar, quod decrevi, ſcil. de non reducenda Philumena.

L. Gnate mi, ſalve. *Ph.* bene factum te adveniſſe, Pamphile,
Et adeo, quod maxumum eſt, ſalvum atque validum [1]. *Pa.* creditur.
L. Advenis modo? *Pa.* admodum. *L.* cedo, quid relliquit Phania,
Conſobrinus noſter [2]? *Pa.* ſane hercle homo voluptati obſequens
Fuit, dum vixit: et qui ſic ſunt, haud multum heredem iuvant;
Sibi vero hanc laudem relinquunt: *vixit, dum vixit, bene* [3].
L. Tum tu igitur nihil attuliſti huc plus una ſententia?
Pa. Quidquid eſt, id quod reliquit, profuit [4]. *L.* immo obfuit [5]:

1 Menander in Nauclero inverſe: εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον.

2 Vide, ut ſenes cupidiores habendi primum ſcire curant quantum rei fecerint: an cautior illud quaerit prius, quam id, quod vult maxume?

3 h. e. in otio, in conviviis; aliis & ſibi vixit; uti Micio Ad. V, 2, 9--11. Videtur autem Pamph. conſulto dictis hiſce extenuare hereditatem, ut Phidippo, cuius filiam non reducturus erat, minus aegre fiat.

4 Quamvis hereditas parva ſit, auctior tamen inde eſt res noſtra.

5 Videtur Donato dolorem ſignificare, poſtquam ſibi rem ex hereditate auctam intellexerat, qui mos eſt *heredum*, quorum *fletus ſub perſona riſus eſt*; cf. Syri Mi-

Nam illum vivom et ſalvom vellem. *Ph.* impu
optare iſtuc licet.

Ille reviviſcet iam nunquam [1]: et tamen, utrun
malis, ſcio.

L. Heri [3] Philumenam ad ſe arceſſi hic iuſſit [4].
iuſſiſſe te.

Ph. Noli fodere. *iuſſi.* *L.* ſed iam eam remitt
Ph. ſcilicet [5].

Pa. Omnem rem ſcio, ut ſit geſta: adveni
audivi omnia [6]. *L.* at

Iſtos invidos dii perdant, qui haec libenter n
tiant!

mos v. 290. Ambigue tamen videtur dictum ſenis, qui neſcio an in mente habuit, quod abitione ortum eſt incommodum, neque eventurum fuiſſe putat, ſi Pamph. domi remanſiſſet.

1 Don. obſervat, neſcio an ex ſe metiens homines: *mire poeta his verbis Phidippum quoque ſubinvidere indicat.* Quomodo enim Phidippus, bonus alias, invidere potuit affinibus, dum certo ſperabat, filiam reductum iri? Itaque magis ridentem haec dixiſſe coniicimus.

2 Vivum an mortuu

3 Poſt ambages tan eo venit, quo a princ voluit.

4 Quo mendacio ut ut tegat, uxorem ſpont abiiſſe; & ſimul fortius dit Phidippum, *dic* &c

5 *Scil.* confirmantis (nuentis (ut Andr. V 48), quippe cui dixerit *ſe exſpectare Pamph.*

6 Reſponſo hoc abr pit omnem ſimulationer num; & ſtatim quod e r cretum ipſi eſt, declarat

Pa. Ego me ſcio caviſſe, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis poſſet: idque ſi nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui [1],
Vere poſſum; ni te ex ipſâ haec magis velim reſciſcere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides;
Cum illa, quae nunc in me iniqua eſt, aequa de me dixerit.
Neque mea culpa hoc diſcidium eveniſſe, id teſtor deos.
Sed quando ſeſe eſſe indignam [2] deputat matri meae,
Cui concedat, cuiuſque mores [3] toleret ſua modeſtia;

1 Pro *fuerim.*

2 h. e. *ſe non aptam, aequam eſſe, non congruere matri meae;* plane uti Graecorum ἄξιος & ἀνάξιος. Verba ab *aequis lancibus* ſumpta, quae praeter genit. rei, etiam dativum perſonae admittunt. Proprietatem igitur vocis & Graecam rationem ſequitur Ter. ſimilem illi *decet vobis.* Sic Eun. V, 2, 25 *at tu indignus*, tibi non congruens erat, te non decebat, *qui faceres* contumeliam. Neque igitur decebat Bentl. lectioni Codd. antiquiſſimis probatae vim inferre v. ſq. *quae conc. quaeque eius* &c. Al. interpp. in luto haeſitant.

3 Quos, ut vetuſtior, haud

Neque alio pacto componi poteſt inter eas gratia;
Segreganda aut mater a me eſt, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum ſuadet ſequi.
L. Pamphile, haud invito ad aures ſermo mihi acceſſit tuus [1],
Cum te poſtputaſſe omnes res prae parente intellego.
Verum vide, ne impulſus ira [2] prave inſiſtas [3], Pamphile.
Pa. Quibus iris [4] impulſus nunc in illam iniquus ſim?
Quae nunquam quidquam erga me commerita eſt [5], pater,
Quod nollem: et ſaepe, quod vellem, meritam ſcio:
Amoque [6], et laudo, et vehementer deſidero:

deferat. Iuveni mulieri autem ſit *modeſtia*. Sed *modeſtiam* quoque matris laudat filius IV, 1, 15.

1 Laches, prudenti dicto filii pietatem praeferente exarmatus, leniori gravitate reſpondet monetque; cf. Andr. V, 1, 85 ſq.

2 Non addit *matris*, ſed eam innuit.

3 Int. eam, ſcil. iram, tamquam alienum veſtigium.

4 Filius pulchre diluit, quod matri tribuere videbatur pater. Pluralem dicens *iras*, neque matrem neque uxorem arguit, & a ſe tranſmovet culpam.

5 *Commereri* in malam ſumitur partem; *mereri* proprie in bonam.

6 Iam prorſus amore impulſus loquitur, cuius cum

Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertus ſum,
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui ſit fortunatior:
Quandoquidem illam a me diſtrahit neceſſitas [1].
Ph. Tibi id in manu eſt, ne fiat. *L.* ſi ſanus fies,
Iube illam redire. *Pa.* non eſt conſilium, pater:
Matris ſervibo commodis [2]. *L.* quo abis? mane;
Mane, inquam: quo abis? *Ph.* quae haec eſt pertinacia [3]?
L. Dixin', Phidippe, hanc rem aegre laturum eſſe eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres [4].
Ph. Non credidi aedepol adeo inhumanum fore.
Ita nunc is ſibi me ſupplicaturum putat [5]?
Si eſt, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio eſt animo, renumeret dotem huc; eat.
L. Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.

bene ſervantem, quamvis reducere nolentem, facit poeta; quo perveniatur ad καταστροφὴν, ubi uxorem reducet volens.

1 Quae quomodo eſt inexorabilis, ita ipſe certum ſe eſſe innuit. *Neceſſitatem* vero praetendit, quam ſenes rerum ignari non intelligunt.

2 Lenius, & ob honeſtam cauſam recuſat; ac ne ultra patri repugnare cogatur, abit.

3 Phid. qui inter haec ſtupebat, tandem erumpit.

4 Laches artificioſe dicit, id a ſe praedictum eſſe, cf. II, 2, 19; quo minus id miretur & indignetur Phid.

5 Qui in ſuos lenis erat, nunc ardeſcit in contemptorem filiae.

Ph. Percontumax rediſti huc nobis, Pamphil[e]
L. Decedet iam ira haec; etſi merito iratus eſt [1]
Ph. Quia paululum vobis [3] acceſſit pecuniae,
Sublati animi ſunt. *L.* etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non: ut alii, ſi huic non ſit, ſie
L. Phidippe, ades, audi paucis. abiit! quid mea
Poſtremo inter ſe tranſigant ipſi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidq
obtemperant;
Quae dico, parvipendunt. porto hoc iurgiu
Uxorem [5], cuius haec fiunt conſilio omnia.
Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre
evomam [6].

1 Magnae indignationis eſt, abſentem alloqui. Don.

2 Medius inter filium abſentem eiuſque ſocerum iratum eſſe volens, huius iracundiam in ſe vertit.

3 Etiam ex invidia iracundior, culpam Pamphili ad patrem refert.

4 Ipſe Phid. iam ira ſublatior concludit, & abit iratus, ad filiam haec perlaturus.

5 Ita cum Lachetem reconciliandae gratiae ſtrata eſſet, redit ignaru rum ad iurgia cum ux modeſte importunitaten ri ferente. Sed mox cri vertetur in aliam inno tem, Philumenae matı quoad turbis maioribu nem faciet καταστροφή.

6 Bene hoc verbo ut Aegritudinem enim vom relevat. ex Don.

ACTUS III. SCENA VIII.[1]

MYRRHINA, PHIDIPPUS.

M. PErii! quid agam? quo me vortam? quid viro meo reſpondebo
Miſera? nam audiviſſe vocem pueri viſus eſt vagientis:
Ita corripuit derepente [2] tacitus ſeſe ad filiam.
Quod ſi reſciverit peperiſſe, id qua cauſa clam me habuiſſe
Dicam, non aedepol ſcio........ [3]

1 A ſcena hac ordiuntur omnes inde a Don. libri Actum IV; & ea novi erroris ex retecto partu, nodique difficilioris, in quem Pamph. ob uxoris recuſationem incidet Actu IV, initia ſerit. Verum is mos eſt Terentii; ut auditores exſpectatione teneantur Actus venturi. Tum bene obſervat Daciería, quae una recte Act. ſqq. diviſit, ſcenam h. l. non, ſed peracta hac ſcena, vacuam fieri. Scil. Phidippus indignabundus a litigio ad filiam ibat, vid. v. 7. ibi iam repente novam rem, partum filiae, cum viſurus eſſet, proterretur uxor; quam is revertens ſtatim inſequitur. Ita ille iam ante iratus, hoc minus ſuſpicatur veras cauſas, ſed iratus, lenius tamen, quam Laches cum ſua II, 1, agit cum uxore, quae partum celaverit.

2 Unam partem orationis eſſe notat Don. neque diviſim ſcribendum *de repente.*

3 Subito crepitu oſtii arrecta tacet, reſpicit fores; tum erumpit formido *ſed oſtium* &c.

Sed oſtium concrepuit : credo ipſum ad me exire. nulla ſum.

P. Uxor ubi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras [1].
Atque eccam video. quid agis [2], Myrrhina? heus, tibi dico [3]. *M.* mihine [4],
Mi vir? *P.* vir ego tuus ſum [5]? tu virum me, aut hominem [6] deputas adeo eſſe?
Nam ſi utrumvis horum, mulier [7], unquam tibi viſus forem,
Non ſic ludibrio tuis factis habitus eſſem. *M.* quibus [8]? *P.* at rogitas?

1 Egreſſa eſt citius (cf. Plaut. Bacch. IV, 3, 8 & Aul. IV, 8, 8) argumento culpae. Eo, quod celabat uxor, Phid. neſcio quid ſuſpicatur. Celantur vero ea, quae ſcire aliorum interſit; cf. Cic. off. III, 16.

2 Forſan int. *te;* h. e. quid me fugis. Id vero Don. innuere videtur : *Apparet mulierem fugere, & viri averſari praeſentiam.*

3 Inclamat, ut reſtet; cf. Eun. II, 3, 45.

4 Ita anxia ſui (cf. Andr. V, 2, 8 & 9) & ſimul blande *mi vir*; cf. Heaut. III, 5, 9.

5 Cf. Plaut. Amph. II, 2, 180.

6 Creſcit indignatio. Maxime enim indignum, hominem non putari. Nimium ſtultus aut inhumanus, homo non putatur, ſed lapis; cf. ſupra II, 1, 17. Ad. IV, 2, 40. Andr. I, 5, 1 &c.

7 Iratus acerbe ſic; non ut prius *Myrrhina.*

8 Timens tamen callide rogat, ſicuti nullius culpae conſcia; & ut videret, quorſum is iret.

Peperit filia? hem! taces [1]? ex quo? *M.* [2] iſtuc patrem rogare aequom eſt?
Perii! ex quo cenſes, niſi ex illo, cui data eſt nuptum, obſecro?
P. Credo [3]: neque adeo arbitrari patris eſt aliter. ſed demiror,
Quid ſit, quam ob rem tantopere hunc omnes nos celare volueris
Partum; praeſertim cum et recte, et tempore ſuo pepererit [4].
Adeon' pervicaci eſſe animo, ut puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam poſthac ſcires:
Potius, quam advorſum animi tui lubidinem eſſet cum illo nupta?

1 Clandeſtinus partus indicat delictum; hinc rogat *ex quo?*

2 Bene diſſimulans defendit ſe, accuſando virum iniuriae haud paternae. Sed tamen neſciens dicit, quod verum eſſe, Act. V manifeſtum erit.

3 Cito uxoris correptione lenitur, crimenque tantum infert de celato partu.

4 Duae ſunt cauſae partum celandi: 1) ſi *recte* h. e. nihil monſtri 2) ſi pro tempore, praeter ſuſpicionem ſtupri, evenerit. Earum nullam eſſe credit ſenex. Effluxiſſe putamus menſes novem a nuptiarum ſollennibus. Id ſatis videbatur patri. Alii partum ſeptimeſtrem ſumunt, qui patri iuſtus viſus ſit. Sed cf. not. ad III, 5, 33.

Ego etiam [1] illorum eſſe hanc culpam credidi, quae te eſt penes.
M. Miſera ſum [2]. *P.* utinam ſciam ita eſſe iſtuc [3]. ſed nunc mi in mentem venit,
Ex hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:
Nam negabas nuptam poſſe filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
M. Quamvis cauſam hunc ſuſpicari, quam ipſam veram, mavolo [4].
P. Multo prius ſcivi, quam tu, illum amicam habere, Myrrhina.
Verum id vitium nunquam decrevi eſſe ego adoleſcentiae [5]:
Nam id omnibus innatum eſt. at pol iam aderit [6], ſe quoque etiam cum oderit.

1 h. e. adhuc. Iam ipſe in errorem, tamquam uxor averſetur generum, labitur; quo utitur callida uxor ad virum porro fallendum.

2 Formula innocentiam teſtantium, praeſertim mulierum.

3 h. e. te eſſe innocentem, non ſceleſtam. Sed convincere eam tentat.

4 Hoc ſibi loquitur ſeorſim.

5 Non ingenio tribuit Pamphili, ſed aetatis, ut ſit commune vitium omnium, non illius proprium.

6 int. *tempus* (quod al. ingerunt), cum ſ. quo ipſum poeniteat morum ſuorum. Ellipſis ſueta. cf. And. I, 1, 125.

Sed ut olim te oſtendiſti, eandem eſſe, nihil ceſſa-
viſti uſque adhuc [1],
Ut filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egiſ-
ſem, eſſet ratum.
Id nunc res [2] indicium haec facit, quo pacto
factum volueris [3].
M. [4] Adeon' me eſſe pervicacem [5] cenſes, cui
mater ſiem,
Ut eo eſſem animo [6], ſi ex uſu eſſet noſtro hoc
matrimonium?
P. Tun' proſpicere, aut iudicare, noſtram in
rem quod ſit, potes?
Audiſti ex aliquo fortaſſe, qui vidiſſe eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam. quid tum
poſtea,
Si modeſte ac raro hoc fecit? nonne ea diſſimu-
lare nos
Scire magis humanum eſt, quam dare operam id,
qui nos oderit [7]?

1 h. e. *uti* alias ſaepe *oſtendiſti*, te nunquam tuorum morum poenitere, ita *nihil ceſſaviſti* &c. Al. ordinem verborum alium praeferendo, aberrant.

2 Partus, quem celavit.

3 Ut filia ab illo reduceretur.

4 Quae credita ſeni ſunt, callide ad ſui defenſionem arripit.

5 int. *contra eam*, ſ. quod alii e Don. in textum intulere, *ei*, *cui m. ſ.*

6 Scil. alieno ab his nuptiis.

7 Si ſapimus, diſſimula-

Nam ſi is poſſet ab ea ſeſe derepente avellere,
Quicum tot conſueſſet annos; non eum hominem [1] ducerem,
Nec virum ſatis firmum [2] gnatae. *M.* mitte adoleſcentem obſecro,
Et quae me peccaſſe ais [3]: abi, ſolum ſolus conveni [4]:
Roga, velitne, an non, uxorem? ſi eſt, ut dicat, velle ſe,
Redde: ſin eſt autem, ut nolit, recte ego conſului meae.
P. [5] Si quidem ille ipſe non volt, et tu ſenſti eſſe in eo, Myrrhina,

mus potius, nos ea ſcire; quam ita agimus, ut cum nos cuncta indagare, & eius amorem aegre ferre videt, nos etiam oderit. Sed vide plura in nott. crit. ubi reſtituti a nobis verborum ordinis rationes damus.

1 Sed *ferum*, qui nulla conſuetudine teneatur, devinciatur; cf. ſupra III, 5, 44. Andr. I, 1, 83, 108 ſq. III, 3, 8.

2 Scil. futurum.

3 Myrrhina callide a ſe rem ſummam transfert in Pamph. qui fidem dederat, ſe rem celaturum; adeoque ſolus, ſi reducere amplius nollet, culpam laturus erat.

4 Metuit, ne alii reſciſcant, quos haec ſcire non aequum erat; & metuere potuit, ne tandem veram cauſam divortii proderet Pamphilus.

5 Phid. iam Pamphili ſententiam cognitam habens, Myrrhinae conſilium reſpuit, eamque denuo accuſat, quod ipſa haec gerere ſine conſilio & iuſſu mariti

Peccatum : aderam, cuius conſilio ea par fuerat
 proſpici.
Quam ob rem incendor ira, eſſe auſam facere haec
 te iniuſſu meo.
Interdico [1], ne extuliſſe extra aedes puerum uſquam velis [2].
Sed ego ſtultior, meis dictis parere hanc [3] qui poſtulem :
Ibo intro, atque edicam ſervis, ne quoquam efferri ſinant [4].
M. Nullam pol credo mulierem me miſeriorem
 vivere [5] :
Nam ut [6] hic laturus hoc ſit, ſi ipſam rem, ut
 ſiet, reſciverit,
Non aedepol clam me eſt; cum hoc, quod levius
 eſt [7], tam animo iracundo tulit.

auſa erat.

1 *Interdicimus*, quod vetamus fieri; *edicimus*, quod fieri iubemus.

2 h. e. ne efferas, ſcil. per alios. Eſt autem formula vetandi antiqua; cf. Cato c. 5 *ne quid emiſſe velit inſciente domino, neu quid dominum celaviſſe velit.*

3 Iratus uxorem demonſtrat, quaſi diceret, mulierem hanc pervicacem. Sibi enim haec loquitur *ſed ſ. nant.*

4 Recte poeta facit iubentem hoc maritum; ne quod Myrrhina voluerat, puer exponeretur, ſervandus in Act. V, quem Pamph. ut ſuum tollet.

5 Calliditas Myrrhinae exhauſta : hinc maiora metuit pericula; quibus ſuccurret καταστροφῇ, triſtiaque mutabit.

6 ſ. quo modo, quam immoderate.

7 De exponendo puero.

Nec, qua via ſententia eius poſſit mutari, ſcio.
Hoc mihi unum ex plurimis miſeriis relliquum fuerat malum,
Si, puerum ut tollam, cogit, cuius nos qui ſit neſcimus pater:
Nam cum compreſſa eſt gnata [1], forma in tenebris noſci non quita eſt [2]:
Neque detractum ei tum quidquam eſt, qui poſt poſſit noſci, qui ſiet:
Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum [3]:
Simul vereor [4] Pamphilum, ne orata noſtra nequeat diutius
Celare, cum ſciet, alienum puerum tolli pro ſuo [5].

1 Narrando malum, ea dicit, quae & difficultates Act. IV eventuras eaſque inſuperabiles praeparent; ſimul ad exitum fabulae ſpectant.

2 Antique *queor*, a *queo* Sall. Iug. c. 31 p. 126. ed. Bip. 2. Lucret. I, 1044 *queatur*.

3 Iſte anulus initium erit cognoſcendi, virginem olim a Pamph. compreſſam eſſe, ex eoque hunc puerum natum; cf. V, 2.

4 Magni igitur metus erunt utrique parti per Act. IV.

5 Vacua demum ſcena fit, neque ullum ſignum ſit, quo huic ſcenae ſequentem, quam cum Dacieria primam novi actus facimus, continuam eſſe appateat. Intervallum autem, inter hanc ultimam ſc. Act. III, & ſq. actum, datum eſt motibus, quos ſenes, in uxores irati uterque, domi concitabunt.

ACTUS IV.[1] *SCENA I.*[2]

SOSTRATA, PAMPHILUS.

S. NOn clam me eſt, gnate mi, tibi me eſſe ſuſpectam, uxorem tuam
Propter meos mores [3] hinc abiſſe: etſi ea [4] diſſimulas ſedulo.
Verum ita me dii ament, itaque obtingant ex te, quae exoptem mihi [5], ut

1 Actu hoc Pamph. ob ſimulatas cauſas conſilii de non reducenda uxore in ſummas adducitur difficultates ex modeſtia matris rus conceſſurae, & errore alio Phidippi, quo uxorem filiamque ſuam odii in Pamphilum, velut amore Bacchidis etiamnum devinctum, arguit. Itaque inter ambos ſenes convenit, evocare Bacchidem, minis precibuſque permovere, ut Pamphilum a ſe ſegreget. Ea vero, haud de vulgo meretricum, ſed praeter opinionem bona mulier, ſibi nihil rei cum illo inde ab eius nuptiis fuiſſe confirmat, & ad idem Philumenae eiuſque matri confirmandum promptam ſe modeſtius gerit.

2 Soſtrata, cum a viro reſciviſſet, filium non reducere velle uxorem, ut ipſius matris ſerviret commodis, miro permota affectu, filium monet, ſe rus conceſſuram eſſe, & ne amplius cunctetur uxorem reducere.

3 Senum & anuum maxime *ſui mores* ſunt; unde *moroſa ſenectus* dicitur. Don.

4 Refertur abſolute ad ſuperiorem de ſuſpicione ſententiam; & ordo eſt: *etſi ea diſſ. ſedulo, non clam me eſt* &c. ex Don.

5 Iusiurandum plenum ad

Nunquam ſciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:

Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmaſti fidem [1]:

Nam mihi intus tuus pater narravit modo [2], quo pacto me habueris

moris, quo ipſum ſimul devincire cupit, ut precibus futuris obſequatur.

1 Verſus hic eſt crux interpretum inde a Don. Duplex eius nomine expoſitio legitur. Prima: deeſt *tam;* ut ſit ordo: *& quam te amare me rebar, tantum firmaſti fidem ei rei.* Alia, forſan ab alio: ordo & ſenſus hic eſt: *& quod ante rebar, ei rei firmaſti fidem meam: neque me feſellit, quod ante rebar, te me amare. nam ei rei hodie firmaſti fidem, id eſt, probationem attuliſti.* Interpp. recc. huic ultimae ſententiae ferme accedunt omnes. Sed Bentl. ſibi ante alios ſapiens, gravius dicit: » Satagit hic Don. agit nihil. Rem conficiet noſter veterrimus *Teque ante quod me.* &c. Ordo eſt: *quodque ante rebar, te me am. ei rei f. f.* » Quemadmodum autem veterrimus ille Bentleii aperte ex altero ſcholio mutuum accepit illud *quod*, ita & ipſe magnus criticus nihil ab eo diverſi protulit. Donati quidem ſ. quiſquis ei ſuum attexuerit, poſtrema expoſitio adiuvetur, ſi *quam* lenius emendes in *quum*, ut ſit *& quum ante rebar, te am. m.* &c. niſi malis *ante quam* dici pro *prae quam* ſ. *praeut.* Sic certe magis laudaret filii in ſe amorem, quam ſi ex prima Don. expoſitione credas, *quantum te am. me a. r. tantum ei rei f. f.*

2 Sic optima mater filii cauſa tegit aegritudinem omnem; verbiſque lenit, quod in illam evomuerit Laches, quod filius matri conceſſu-

Praepoſitam amori tuo [1]: nunc tibi me certum eſt contra gratiam
Referre [2], ut apud me praemium eſſe poſitum pietati ſcias [3].
Mi Pamphile [4], hoc et vobis, et meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me eſſe certo decrevi [5] patre,
Ne mea praeſentia obſtet, neu cauſa ulla reſtet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *Pa.* [6] quaeſo, quid iſtuc conſili eſt?
Illiu' ſtultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres [7]?

rus erat, quamvis uxorem amet ipſe.

1 Sic auget meritum filii. Plus enim dixit, quam ſi *uxori tuae* diceret.

2 Quam humane agit cum filio!

3 Id ſtudet mater, ne quod dictum eſt, ſ. taedio ſ. dolore ſ. ira victa facere videatur filio. Cf. Plaut. Poen. V, 4, 17. Virg. Aen. I, 257 & 465.

4 Quam blandis verbis praemollit, quidquid durius decretum videatur filio! ex Don.

5 Denuo, quod certum ſibi eſſe dixerat, id confirmat, ne diſſuadere velit filius. ex Don.

6 Conſilium matris ſuo de non reducenda uxore quam maxume adverſarium videns, & timens, omnia congerit, ut illa mutet voluntatem.

7 Scil. ab hominibus relegati videbantur, quibus ex urbe rus migrandum erat.

Haud facies [1]; neque ſinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit [2],
Mea pertinacia [3] eſſe dicat factum, haud tua modeſtia.
Tum, tuas amicas te, et cognatas deſerere, et feſtos dies [4]
Mea cauſa, nolo. *S*. nil pol iam iſtae res [5] mi voluptatis ferunt:
Dum aetatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum: ſatias iam tenet
Studiorum iſtorum: [6] haec mihi nunc cura eſt maxuma, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obſtet, mortemve exſpectet meam [7].

1 Blandius diſſuadentis formula.

2 h. e. inimici noſtri.

3 *Pertinacia* vitio datur; eique opponitur *moderatio* ſ. *modeſtia*. Retinere cupit, quaſi dixerit: mea intereſt, ne id fiat, quod decreviſti.

4 Qui ſolenniter laeti erant. Poſt ſacrificia enim agitabantur epulae, ludi, feriae. Lindenbr. huc *chariſtia* ſ. convivia propinquorum trahit. cf. Val. Max. II, 1, 8.

5 Scil. amicae, cognatae, feſti dies.

6 Cum ante pro matre & anu locuta eſſet, nunc ſerio nimis & velut ex dolore ob iniuriam ſ. invidiam, quam immerito patiatur, ſqq. pronuntiat. Talia facit poeta ut ait Don. ad mores exprimendos, reddendaſque perſonas.

7 Ea ſaepe ſenectus praemia ingrata habet ab aliis.

Hic video me eſſe inviſam immerito : tempus eſt
concedere :
Sic optume, ut ego opinor, omnes cauſas prae-
cidam omnibus,
Et me hac ſuſpicione exſolvam, et illis [1] morem
geſſero.
Sine me, obſecro, hoc effugere, volgus [2] quod [3]
male audit mulierum.
Pa. [4] Quam fortunatus ceteris ſum rebus, abſque
una hac foret [5],
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem!
S. obſecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quaeque eſt [6], in
animum induces pati?

1 Mire *illis*, non *nurui*. Sed *morem geſſero* actius dictum, tamquam *illi* ſ. *illae* olim voluerint, ut expelleretur ipſa. Non mirum vero, homines falſo ſuſpectos, aut immerito inviſos, tandem fieri ſuſpicioſos.

2 Scil. indoctum & expers honeſti.

3 Ob quod, ſcil. illud II, 1, 4 *uno animo omnes ſocrus oderunt nurus.*

4 Pamph. matris innocentia & bonitate mirum in modum affectus, & ſimul amorem Philumenae dimittere non valens, ita ſenſus ſuos prodit, ut & pie matri reſpondeat, neque veram diſcidii cauſam efferat.

5 Niſi haec una res eſſet incommoda. Ipſe quidem partum uxoris alienum putans, ita dicit, ut mater credat diſcordiam Philumenae, ob quam ipſe haereat inter pietatem & amorem.

6 h. e. qualiſcunque illa res ſit. Nihil enim definito

Si cetera ita ſunt, ut tu vis, itaque [1] ut eſſe ego illam exiſtumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. *Pa.* vae miſero mihi [2]!
S. Et mihi quidem [3]! nam haec res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

ACTUS IV. SCENA II [4].

LACHES, SOSTRATA, PAMPHILUS.

L. QUem cum iſtoc ſermonem habueris, procul hinc ſtans accepi, uxor:
Iſtuc eſt ſapere [5], qui, ubicunque opus ſit, animum poſſis flectere;

dixerat Pamphilus. Daciera h. l. aliena dicit.

1 Et ita, ut -- exiſtumo. Caute cum filio loquitur de uxore, quam amare is videtur.

2 Nec negat, nec promittit, ſed intumeſcit (cf. Andr. II, 1, 3); utpote qui amiſſa ſpe retinendae uxoris aeſtum animi iam diſſimulare non poteſt.

3 Ingemiſcit pariter; int. *vae miſerae mihi!*

4 In tempore advenit Laches ad intendendam rurſus actionem, cum colloquium matris & filii tandem abiiſſet in gemitus. Laches vero, qui illud procul audiverat, uxori reconciliatus, nec tamen nimis benigne, ſed more ſuo reſpondens, nunc inſtat magis filio.

5 Quam ne nunc quidem de praeterita culpa purgatam ſibi habet, ei tamen reconciliatur; quod *nunc* illa videatur ſapere, animum flectendo. Primum, *qui* (ab-

Quod faciundum ſit poſt fortaſſe, idem hoc nunc ſi feceris.

S. Fors fuat pol [1]! *L*. [2] abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.

S. Spero mecaſtor [3]. *L*. i ergo intro, et compone, quae tecum ſimul

Ferantur: dixi [4]. *S*. ita ut iubes, faciam. *P*. pater [5].

L. Quid vis, Pamphile [6]? *P*. hinc abire matrem? minume [7]. *L*. quid ita iſtuc vis?

lat. ant.) h. e. unde ſ. ex quo--*poſſis* (q. d. Ea demum eſt ſapientia, quae neceſſitati parere doceat; cf. Cic. ad fam. IV, 9, 5.) dein *ſi feceris idem h. nunc*, *quod ſ. ſ. poſt fort.* ſ. ſi ſponte praevertas neceſſitatem; cf. Ad. III, 5, 44. V, 3, 1 ſq.

1 Adverſus triſtius viri dictum (triſtis enim eſt neceſſitas) εὐφημισμῷ uſam dicit Don. *Fors fuat* ſ. eveniat ſane bona; q. d. *bona dicito potius*.

2 Animum ad mitiora flectens ſqq. dicit, quaſi querens odium, quod fructi pro labore a filiis habeant ſenes parentes; neque his reliquum eſſe, quo fruantur, ſed quomodo ſe invicem ferant, qui non ab aliis ferantur.

3 Modeſta ſemper, ut ſe talem fore promittat, non opus eſt; ſed quem ſe dein fore promittit vir, ſperat ipſa.

4 Confirmat ſic priora, ut ſententiam certam oſtendat.

5 Filius perculſus vultu & voce patrem permovet. cf. Andr. V, 3, 18.

6 Celeritas ac brevitas, qua filii dicta excipit, non ſedatum, ſed dolentem animum indicat.

7 int. abeat, ſ. ſino. Amanter, non ſuperbe reſiſtentis eſt; uti ſupra IV, 1, 17 *nolo*.

P. Quia de uxore incertus ſum etiam, quid ſim facturus. *L.* quid eſt?
Quid vis facere, niſi redducere [1]? *P.* [2] equidem cupio, et vix contineor:
Sed non minuam meum conſilium: ex uſu quod eſt, id perſequar.
Credo, ea gratia concordes mage, ſi non redducam, fore [3].
L. Neſcias [4]: verum tua refert nihil, utrum illae fecerint;

1 Sic loquitur Laches, ut filius non audeat praeciſe negare.

2 Igitur caute reducendi cupiditatem verbis *cupio & vix cont.* fingit, ſed nunc minime conſilium eſſe dicit. Ita quidem Don. quem cum interp. Italo Fabrini ſequimur. Dacieria ex mente Donati quidem interpretatur, ſed praeter eam ſibi ſ. ſeorſim dixiſſe vult verba *equidem--perſequar*; quod cum aeſtu patris reſponſum exſpectantis non congruere putamus. Eraſm. vero, Mur. Guyet. ſecum dubitantem faciunt, an rem de partu alieno aperire debeat, & haec adeo ſeorſim a patre locutum. Sed haec aliena omnino ſunt a mente & fide Pamphili.

3 Iam ipſum conſilium ſimulat, cur eam reducere adhuc ceſſet. *Credo*, inquit, ſpero, ſi videat uxor, ſe non reduci, nec matrem domo expelli, facilius mea cauſa moveri poſſe, ut ad concordiam redeat cum matre. Fingit haec Pamph. ut pater matrem non cogat nunc abire, & ſpatium quaerit, interea alium remedium exſpectans. Don. artificium non vidit, cum ſublata affinitate amicas ſaltim fore putat.

4 Scil. id, an concordes

Quando haec aberit. odioſa haec aetas adoleſcentulis :
E medio aequom excedere [1] eſt. poſtremo nos iam fabulae [2]
Sumus, Pamphile : *ſenex*, *atque anus*.......
Sed video Phidippum egredi per tempus : accedamus.

ACTUS IV. SCENA III. [3]

PHIDIPPUS, LACHES, PAMPHILUS.

Ph. Tibi quoque aedepol ſum iratus, Philumena,

futurae ſint potius, quam in diſcordia. Cenſet, non opus eſſe tentare, quod incertum ſit; cum certius remedium ſit ex abitu Soſtratae.

1 h. e. e vitae communitate abire, h. l. ex urbe migrare, ſicuti qui fabulam vitae fere peregerint. Ita ſe & uxorem quaſi iam mortuis aequiparat.

2 Sic dicuntur, qui *vixere*, non inter vivos ſunt, *manes*, de quibus fiunt fabulae. Perſ. V, 152 *cinis & manes & fabula fies*. Hor. Carm. I, 4, 16 *iam te premet nox, fabulaeque manes*. Hinc ſtatim ipſe ſenex, quaſi proximus morti, per ἠθοποιΐαν initium fabulae incipit: *ſenex atque anus* olim fuere &c. Sed abrumpitur per tempus adveniente Phidippo.

3 Sc. haec habet ultimum errorem, quo poſt partum retectum a Soſtrata transmovetur culpa diſſidii in Myrrhinam, Philumenae matrem. Inde Pamphilus, de alendo puero (quem alienum credit), & de uxore

Graviter quidem : nam hercle abs te factum eſt
turpiter [1] :
Etſi tibi cauſa eſt [2] de hac re. [3] mater te impulit :
Huic vero nulla eſt. *L.* opportune [4] te mihi,
Phidippe, in ipſo tempore oſtendis. *Ph.* quid eſt ?
Pa. [5] Quid reſpondebo his ? aut quo pacto hoc
operiam [6] ?
L. Dic filiae [7], rus conceſſuram hinc Soſtratam:
Ne revereatur, minus iam quo redeat domum.
Ph. ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua :
A Myrrhina haec ſunt mea uxore exorta omnia...

reducenda ſollicitatus a ſenibus profugit, eoque ipſe ſuſpectus fit amoris meretricii nondum miſſi. Senes igitur Bacchidem evocandam curant. Sic omnia tendent ad exitum fabulae proximum. Verſ. 1 Phid. a ſuis degrediens, poſt gravius iurgium cum uxore de celato parto, filiam quoque increpat, ſed lenius ; ut quae non tam ſponte, quam matris impulſu peccaverit.

1 Quod diſceſſeris a marito.

2 Etſi habes, quo te excuſes ; cf. Andr. I, 5, 22.

3 Deeſt *nam.* Sic ipſe pater, indulgens liberis, cauſam dicit.

4 Quippe quem quaerebam.

5 Hac ſeorſim anxius dicit.

6 Uti ſupra III, 6, 30 *prorſus neſcio, quo pacto hoc celem.* Et Don. recte : *hoc modo oſtendit, nec eſſe quod ſimulet* (quid reſp. his), *nec id, quod verum eſt, dicendum ſibi eſſe* (quo pacto oper.).

7 Don. *Blande non addidit* tuae, *quaſi dicat*, communi filiae.

Pa. Mutatio fit [1]. *Ph.* ea [2] nos perturbat, Lache.
Pa. Dum ne reducam, turbent [3] porro, quam velint.
Ph. Ego [4], Pamphile, eſſe inter nos, ſi fieri poteſt,
Affinitatem hanc ſane perpetuam volo:
Sin eſt, ut aliter tua ſiet ſententia,
Accipias puerum [5]. *Pa.* ſenſit peperiſſe: occidi!
L. Puerum! quem puerum? *Ph.* natus eſt nobis nepos:
Nam abducta a vobis praegnans fuerat filia,
Neque fuiſſe praegnantem unquam ante hunc ſcivi diem.
L. Bene, ita me di ament, nuntias: et gaudeo
Natum illum, et illam ſalvam: ſed quid mulieris

1 Scil. rerum, ex commutatione ſuſpicionis. Sic Pamphilus ſeorſim, ſperans inde ſibi effugium fore.

2 Scil. uxor.

3 Refertur ad prius *perturbat. Quam* ſ. quantum. Et hoc ad ſpectatores dixit.

4 Don. *Hoc pronomen initium continet orationis graviter inceptae, ut Andr. I*, 1, 8.

5 Quanto brevius hoc dicit ſocer, tanto gravius in aures Pamphili incidit. En mutatio facta, ſed unde Pamph. omni ſpe excidit. Promiſerat vero ſocrus III, 5, 36 ſqq. *ut clam eveniat patrem, atque adeo omnes; ſed ſi fieri id non poteſt, dicam abortum eſſe. — Continuo exponetur.* Iam uti viſus ab avo nepos difficultatem affert maximam Pamphilo, ita ſtupenti opportune ſubvenit ſubita laetitia alterius avi ex nato nepote. Et plerumque avo iucundior eſſe ſolet ex filio ſoboles prima.

Uxorem [1] habes ? aut quibus moratam moribus ?
Nos ne hoc celatos tamdiu [2] ? nequeo ſatis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
Ph. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches [3].
Pa. Etiamſi [4] dudum fuerat ambiguum hoc mihi,

1 Indignans ob celatum a Myrrhina partum contemtim dicit *quid mulieris ux.* ſed tamen verbis temperat, quo minus gravius dicat *peſſimam mulierem & male moratam ux. habes.* Coniicit talem ex praviſſimo facto.

2 int. oportuit. *Hoc* autem refertur ad *praegnantem fuiſſe.*

3 Haec constructio, quamvis elegans ſit, & ad moderatiorem Phidippi animum exacta, offenſioni grammaticis & interpp. fuit. Donati nugas mittimus; ſed ſimpliciter exponimus *minus placet* per *magis diſplicet.* Hinc ſenſus: *Si tibi hoc dolet, id certe mihi, viro, magis dolet.* Eadem formula utitur Cic. de or. II, 4 Craſſum inducens loqui: *ego enim nunquam mihi minus, quam heſterno die, placui,* i. nunquam mihi magis diſplicui, quam heri, ſ. ſi quidem unquam mihi diſplicui, heri certe maxime. Comparativum eleganter ſic uſitari, ut vim ſuperlativi habeat, quis neſcit ? Iam vide, ut temere Bentl. inveniat: *Non mihi illud f. minus dolet, quam tibi, L.*

4 Pamph. ſecum loquitur. Etiamſi dudum dubitarim, reducerémne uxorem mihi amatam (ſi partus celatus & expoſitus fuerit), an non, ambiguus ſcil. amoris & honeſti; nunc certus ſum de non reducenda, quum ſequitur puer non ex me natus. Poeta eum ſemper facit, qui amorem uxoris ex animo aegre dimittat. Daccieria per ironiam ita dixiſſe putat Pamphilum, ſibi non cunctandum eſſe, nunc re-

Nunc non eſt, cum conſequitur alienus puer.
L. Nulla tibi, Pamphile, hic iam conſultatio eſt.
Pa. Perii [1]! *L.* hunc videre ſaepe optabamus diem.
Cum ex te [2] eſſet aliquis, qui te appellaret patrem,
Evenit: habeo gratiam dis. *Pa.* nullus ſum!
L. Reduc uxorem, ac noli advorſari mihi.
Pa. Pater [3], ſi ex me illa liberos vellet ſibi,
Aut ſe eſſe mecum nuptam; ſatis certo ſcio,
Non me clam haberet, quod celaſſe intellego.
Nunc, cum eius alienum eſſe a me animum ſentiam,
Nec conventurum inter nos poſthac arbitrer;

ducere matrem, quae lucrum apportet ex puero alieno. Abſurda ſane Pamphili ingenio honeſto, nunc ſollicito maxime, ironia; cui locum dedit inficeta veteris grammatici obſervatio, quaſi ſubſit metaphora a pecoribus, de quibus illud dicitur: *Partus ſequitur ventrem.* Unde quoque factum credimus, ut inderetur *eam*, quod vulgo ſic legitur: *cum eam conſ. a. p.* nos omittimus, quod praeter ſenarium eſt; & *patrem* ſequebantur liberi.

1 Sibi loquitur.

2 Bene ſic putat ſenex, quod Pamphilus non putat. (Neque tamen illud nunc refutabit, ob fidem datam. Sic cum in exitu agnoſcet Pamph. ex ſe natum, poeta ita regit fines decori, ut vitium, virgini factum ante nuptias, tectum maneat.) Ceterum ſatis humane & paterne admonet, hortatur filium.

3 Ex verbis patris Pamphilus cauſam aliam diſcidii nactus eſt. Ex celato enim partu apparere animum il-

Quam ob rem reducam [1]? *L.* mater [2] quod ſuaſit ſua,
Adoleſcens mulier fecit. mirandumne id eſt?
Cenſen' te poſſe reperire ullam mulierem,
Quae careat culpa? an quia non delinquunt viri [3]?
Ph. Voſmet videte iam [4], Lache, et tu Pamphile,
Remiſſan' [5] opus ſit vobis, redductan' domum:

lius plane alienum ab ipſo.

1 *Firmior concluſio ſit per interrogationem, quam ſi eſſet pronuntiativa.* Don.

2 Reiecta omni culpa in matrem uxoris, quomodo & Phid. ſupra v. 3, excuſat illam, quod *filia* ſit, reverita matrem, *adoleſcens* (quae aetas imprudentiae affinis eſt) *mulier*, cui hoc magis condonandum ſit, quando nec ipſi viri non delinquant.

3 Similis conſtructio redit infra ſc. 5, 18.

4 Ex dictis Pamphili colligit ſocer, generum tantum aegre ferre abitionem uxoris, eique ſatisfieri poſſe putat, ſi ipſa uxor a parentibus remitteretur.

5 Ambiguum faciunt interpp. dictumne ſit *retro miſſa*, uti ſupra I, 2, 112, III, 7, 17 & 48; quibus in locis remitti dicitur filia a patre ad maritum; an, quod alii volunt *repudiata;* quod innuit Don. ad v. 42, & cum Guyeto Dacieria. Sed poſterior ſenſus difficultatem creat. Neque tam hoc ſenſu *remitti* uxor dicitur, quam ei *remittitur nuntius*, uti Ph. V, 9, 36 ſponſae *repudium.* Quum filiam peperiſſe ex Pamph. credebat ſocer, is certe non cogitabat, Pamphilum etiam nunc ſerio nolle amplius uxorem; ſed, reducere nolle, remitti velle. Impatientior, antequam peperiſſe ſciviſſet, clamat ſupra III, 7, 50 *ita nunc is ſibi me ſupplicaturum putat* &c. Itaque non dubitamus priorem ſenſum ſequi. Alterum *ne* etiam pro *an* uſurpatur.

Uxor quid faciat, in manu non eſt mea [1]:
Neutra in re [2] vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero [3]? *L.* ridicule [4] rogas.
Quidquid futurum eſt [5], huic reddas, ſuum ſcilicet,
Ut alamus noſtrum. *Pa.* quem ipſe neglexit pater [6],
Ego alam? *L.* quid dixti [7]? eho! an non alemus,
Pamphile?

1 Ego quidem cogere & orare nolo uxorem meam. Si remittenda eſt a nobis uxor, adeatis ipſi ad illam, petituri, ut remittat. Bene hoc in eum congruit, qui ſupra II, 2, 29 dixerat, ſe ſuis adverſari non poſſe. Ita certe plana ſunt cuncta, neque opus eſt quiſquiliis, quae nomine Don. feruntur.

2 Sive remittenda ad vos ſit, ſive reducere ipſi velitis, promitto meam facilitatem. Quomodo eam promittere potuerit in repudio, nemo videat.

3 De puero rogat, quia Pamphili, patris, eſt, iubere tolli.

4 *Vel adv. eſt, vel nomen. Si nomen eſt, ſubdiſtingue* ridicule: rogas? *Don.*

5 Pamphili pater filium ſuum excuſatiorem habere potuit, certe videri voluit, quod reducere nollet. Illa enim deſeruerat maritum. Et ſi Myrrhina remittere nollet filiam, fieri poterat, ut diſcidium maneret.

6 Pamph. ſeorſim ad ſpectatores ſ. ſecum obmurmurans verba *quem ipſe negl. pater;* tum pro affectu fortius erumpit in verba *ego alam?* ita ut haec, non illa, audirentur a ſene.

7 Laches ultimis tantum obmurmurantis filii verbis auditis indignatur tandem filio, & nunc demum ſuſpectum habet amore meretricis. Facit igitur ira, ut filium minus iam excuſatum habeat, immo ipſe arguat.

Prodemus quaeſo potius? quae haec amentia eſt?
Enimvero prorſus iam tacere [1] non queo:
Nam cogis ea, quae nolo, ut praeſente hoc loquar.
Ignarum cenſes tuarum lacrumarum eſſe me [2]?
Aut, quid ſit id, quòd ſollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti cauſam, te propter tuam
Matrem nòn poſſe habere hanc uxorem domi;
Pollicita eſt ea, ſe conceſſuram ex aedibus.
Nunc, poſtquam ademptam hanc quoque tibi cauſam vides;
Puer quia clam te eſt natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi ſi me eſſe ignarum putas [3].
Aliquando tandem huc [4] animum ut adiungas tuum,
Quam longum ſpatium amandi amicam tibi dedi?
Sumptus, quos feciſti in eam, quam animo aequo tuli [5]?

1 Eſt ſcil. parentum, ut filiorum vitia, quamvis ipſi improbent, ap. alios occulta eſſe velint; cf. Andr. I, 1, 117–120.

2 *Apparet illum a Soſtrata audiviſſe. Nam ipſa filium deprehenderat lacrumantem.* Don. Cf. III, 4, 4.

3 Tertius igitur error, quo Laches nunc filium in crimen vocat.

4 Ad uxorem. Conſtrue, *Quam l. ſp. a. a. t. dedi–tuli; ut tandem al. adiungas huc an. tuum?*

5 Filium lenitatis ſuae, qua ipſum ea quae fert adoleſcentia facere paſſus erat, ea ſpe, ut tandem meliora ſaperet, memorem facit, unde is ſe patri devinctum multimodis intelligeret; dein quod olim patri obſecutus

Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi eſſe.. impulſu duxiſti meo.
Quae tum, obſecutus mihi [1], feciſti ut decuerat.
Nunc animum rurſum ad meretricem induxti tuum:
Cui tu obſecutus, facis huic adeo iniuriam [2].
Nam in eandem vitam te revolutum [3] denuo
Video eſſe. *Pa.* mene [4]? *L.* te ipſum: et facis iniuriam,
Confingis falſas cauſas ad diſcordiam,
Ut cum illa vivas, teſtem hanc [5] cum abs te amoveris.

erat, laudat, quo minus ille nunc paternis monitis adverſari audeat; tandem quem denuo in eandem vitam putat revolutum reprehendit. Sic illum varie permovere cupit.

1 h. e. auctoritati meae honeſte poſtpoſuiſti amorem illum.

2 Meretrice procace impulſus nunc uxorem iniuſte amoves.

3 Don. ex hoc verbo elicit, filium quaſi invitum, aut neſcium facere; ut veniam faciliorem habeat, & correctior eſſe velit. Sed nobis acrius dictum videtur, ut pudorem offundat gnato, qui in eodem luto cum illa rurſus volutetur. Senes ſcil. cum veram cauſam neſcirent, quare is uxorem reducere nollet, quam culpam primum Soſtratae, tum Myrrhinae tribuerunt, nunc in ipſum Pamph. vertunt; unde huic ſumma difficultas ex celato vero.

4 Ob falſam patris ſuſpicionem gravius commovetur, ut qui Bacchidis amorem uxoris cauſa miſſum fecerat; neque nunc amorem uxoris expulit animo.

5 *Laudata eſt hic*, inquit Don. *uxor modeſta, quum*

Propterea haec ira eſt : nam ipſa narravit [1] mihi :
Id ego hoc praeſente tibi nolueram dicere :
Neque illi credebam primo [2] : nunc vero palam eſt.
Nam omnino abhorrere animum huic video a
nuptiis [3].
L. Quid ergo agam, Phidippe [4]? quid das conſili?
Ph. Quid agas? meretricem hanc [5] primum adeundam cenſeo:

Ovid. art. am. II, 377. Don. addit : *non enim laudat, ſed cauſam dicit, unde uxor offenderit Pamphilum.* Mox idem: *Non facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris.*

1 Don. *utrum finxit haec dixiſſe filiam ſibi? an vero κατὰ τὸ σιωπώμενον factum eſt?* Tum ſciolus aliquis grammaticus illis adſperſit : *ego neutrum puto, & ſic intelligo, quod de uxore ſua dicat* ipſa n. m. *ſecundum illud, quod ſupra dixit* (III, 6, 21). Hinc ille error, receptus Codd. pleriſque omnibus, quem depulimus v. 87; cf. not. crit. Dacieria graviter errat, cum Donati verba non diſtinguit ab iis, quae alius aſſuit. Donati vero κατὰ τὸ σιωπ. intelligimus de eo, quod talia patri, ſuſpicionem quaerenti, tacite nutu oculorum reſponderit. Σιωπάω nobis eſt a σείω moveo, & ὤψ.

2 Scil. *quia* mulieres *ſunt ſaepe de nihilo ſuſpicioſae.* Don.

3 Quod amoris meretricii ſignificationem habet. Si dixiſſet *ab uxore*, poſſit putari tantummodo iratus Philumenae. ex Don.

4 Don. *Conturbatur pater, quaſi res ſua tantum agatur. Et vide, quemadmodum poeta latenter feſtinet ad rerum cognitionem.*

5 Don. *Bene* hanc, *quaſi eam, quae interturbat.* Mox *pri-*

Oremus [1]: accuſemus gravius: denique
Minitemur, ſi cum illo habuerit rem poſtea.
L. Faciam, ut mones. eho puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam noſtram: huc evoca verbis meis [2].
Et te oro porro, in hac re adiutor ſis mihi [3]. *Ph.* ah,
Iam dudum dixi, idemque [4] nunc dico, Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo eſt ut poſſit; quod ſpero fore.
Sed visne adeſſe me una, dum iſtam convenis [5]?
L. Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

mum h. e. priuſquam Pamphilum rurſus aggrediamur.

1 h. e. agamus cum illa, ius orando, monendo; cf. ſupra v. 64. (Inde *actor* cauſae dicitur *orator*.) Ita poſcit ordo verborum. Et indignum foret ſenibus, certe Phidippo, rogare & obſecrare.

2 Bene ſervata ſunt perſonis congruentia. Socerum monere, conſilium dare tantum decuit; patrem facere, qui mitius illo cum pellice agere poterat, ut obſequentem haberet. ex Don.

3 h. e. apud Tuas ea agas, quae ad concordiam faciant.

4 Cf. ſupra IV, 3, 13 ſq.

5 Egregie fines decori regit poeta, dum ſocerum facit a primo congreſſu refugientem, interea quaeſiturum nutricem. Sic ſocer adiutor erat in puero alendo, contra quam Pamphilus eiuſque adiutrix ſocius deſtinaverant.

ACTUS IV. SCENA IV. [1]

BACCHIS, LACHES.

B. NOn hoc de nihilo eſt, quod Laches me nunc conventam eſſe expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod ſuſpicor, ſit quod velit [2].
L. Videndum eſt, ne minus propter iram hinc › impetrem, quam poſſiem;
Aut ne quid faciam plus, quod poſt, me minus feciſſe, ſatius ſit.
Aggrediar. Bacchis, ſalve.

1 Male ab hac ſcena ordiuntur actum V omnes edd. praeter unam Dacieriam, quae ſapientius vidit, ſcenam non fieri vacuam, neque ulli morae ad conveniendam Bacchidem locum eſſe. Laches ſane amandato ſocero ipſe opperiebatur Bacchidem, vicinam, modo evocatam: & illa, non ſuperba, ſed bona meretrix, propere egreditur, reverens Lachetem ac timida. Ita vero miſcet colorem poeta, ut ei adverſarium Lachetem faciat ex irato mitiorem, ratione probabili, ut hoc impetrabilior ſit Bacchis. Sic poeta recedit a conſuetudine Comica, ad mores meliores exprimendos & faciliorem exitum, qui a Bacchidis commoditate invenietur.

2 Conſtrue: *Pol non multum me fallit* (parum aberit) *quin, quod velit, ſit quod ſuſpicor.*

3 Ab hac, ſcil. Bacchide. Cf. not. crit. ad h. l. Ceterum pluribus effert verbis, quod ad illud Phorm. III, 6, 21 paucioribus dixeris: *ne quid plus minuſve faxim, quod poſt pigeat.*

B. Salve, Lache. *L.* credo aedepol, te nonnihil mirari, Bacchis,
Quid ſit, quapropter te huc foras puerum evocare iuſſi.
B. Ego pol quoque etiam timida ſum [1], cum venit in mentem, quae ſim,
Ne nomen quaeſti mihi obſiet: nam mores facile tutor [2].
L. Si vera dicis, nihil tibi eſt a me pericli, mulier:
Nam iam aetate ea ſum, [3] ut non ſiet peccato mihi ignoſci aequom:

1 Expone: *Pol ego quoque*, non tantum miror id, ſed *etiam* (inſuper) *timida ſum--ne--obſiet.*

2 Abſque hoc uno facere conſuevi, quae bonas par eſt facere, ſ. uti ipſa de ſe dicit V, 1, 38 *nunquam animum quaeſti gratia ad malas adducam partes.*

3 Conſtrue: *ut non ſiet aequom ignoſci mihi* (h. e. ut difficilius mihi ignoſcatur) *peccato* (cum a me peccatum fuerit). In *peccato* haerent multi, qui per graeciſmum velint dictum pro *peccanti* ἡμαρτηκότι. Verum potius ablativus eſt abſolutus ſ. conſequentiae, uti ap. Cic. de L. agr. II, 2 *cui errato* (h. e. cum erratum eſt) *nulla venia; recte facto* (cum recte factum eſt) *exigua laus;* quod monent Dacieria ad h. l. & Geſn. in theſ. voce *peccatus.* Cf. Tac. H. II, 18 T. III ed. Bip. p. 112 *ſpreto, centurionibus--laudari, quidam--clamitabant.* Id. Ann. II, 7 *audito--obſideri--duxit;* IV, 36 *abſolvitur, comperto, ficta in eum crimina.* Plura habent grammatici.

Quo magis omnes res cautius [1], ne temere faciam, accuro:
Nam ſi facis, facturave es, bonas quod par eſt facere:
Inſcitum [2], offerre iniuriam tibi; immerenti, iniquom eſt.
B. Eſt magna ecaſtor gratia de iſthac re, quam tibi habeam:
Nam qui poſt factam iniuriam, [3] expurget, parum mihi proſit.
Sed quid iſtuc eſt? *L.* meum receptas [4] filium ad te Pamphilum... *B.* ah [5]!
L. Sine dicam. uxorem hanc priu' quam duxit, voſtrum amorem pertuli [6].
Mane [7]; nondum etiam dixi id, quod volui. hic nunc uxorem habet:

1 Seniliter additum dicit Don. *ne temere faciam.*

2 h. e. abſurdum, inelegans; Gallis *impoli. Tibi*, ſcil. ut mulieri, eique luculentae. *Scite* loquitur ſenex cum *ſcita*; cf. Phorm. I, 2, 60.

3 Int. *eam.* Al. ingerunt *ſe*, quod verſui obeſſe Faern. vidit; & cf. Ad. II, 2, 12.

4 Brevibus crimen proponit; & *receptas* ſignificantius eſt, quam *recipis.*

5 Dolentis, ut quae falſo arguatur; & contradictura erat, niſi ſenex orare pergeret.

6 Satis honeſte *voſtrum amorem* dicit, & patientiam ſuam oſtentat, qua meritus ſit, ne laedatur ulterius.

7 Bacchis, crimen ſtatim a ſe amovere cupiens, iam iam reſponſura erat; quod cum vultu oſtenderit, ſenex lon-

[redacted]

Quaere alium tibi firmiorem [1], dum tempus [2] conſulendi eſt.
Nam neque ille [3] hoc animo erit aetatem [4], neque pol tu eadem iſta aetate.
B. Quis id ait [5]? *L.* ſocrus [6]. *B.* men'? *L.* te ipſam: et filiam abduxit [7] ſuam,
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui eſt, extinguere.
B. Alid ſi ſcirem [8], qui firmare meam apud vos poſſem fidem,

giorem audientiam poſtulat. Mox *hic-hab.* cum denuntiatione pronuntiandum eſt, quaſi dicat: *alia nunc res eſt.* Don.

1 Amatorem, magis fidelem, quam Pamphilum (cf. I, 1, 1). Hinc etiam intelligas, Bacchidem fuiſſe diſſimilem illis, quae ſe omnibus pervulgant; ſed eam, quae uni amatori ſe dederet.

2 h. l. eſt aetas amorum felix, ſed & velox.

3 Scil. Pamphilus.

4 Quam vocem in Codd. omiſſam, Don. habet. Mox repetitur diverſo caſu, unde figura eſt, gratiam habens. Quamvis enim *aetatem*, ut alibi, vim adverbii habeat, eſt tamen ipſe accuſ. ab omiſſa praepoſ. *per.*

5 Neglectis conſiliis iuvenilibus ad ipſum crimen redit, *ſc recept. Pamph.* & ſua innocentia fidens quaerit, quo auctore eius arguatur.

6 Gravius hoc pronuntiaſſe videtur, & mox vehementius *te ipſam;* additque ſtatim facta, e quibus intelligat Bacchis, quam graviter ab ipſa animadvertendae forent iniuriae, quas fecerit.

7 Scil. ut quae a viro libidinoſo abſtraheretur.

8 *Dum quaerit quo fidem firmet, fidem ſibi adquiſivit atque adſcripſit.* Don. *Alis, alid,* antique pro *alius*, *aliud.*

Sanctius, quam iusiurandum; id pollicerer tibi, Lache:
Segregatum habuiſſe, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
L. Lepida es. ſed ſcin', quid volo potius ſodes facias [1]? *B.* quid, cedo?
L. Eas ad mulieres huc intro, atque iſtuc iusiurandum idem
Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.
B. Faciam [2]. quod pol, ſi eſſet alia ex hoc quaeſtu, haud faceret, ſcio,
Ut de tali cauſa nuptae mulieri ſe oſtenderet [3].
Sed nolo falſa fama eſſe gnatum ſuſpectum tuum,
Nec [4] leviorem vobis, quibus eſt minime aequom, viderier
Immerito: nam meritus de me eſt [5], quod queam, illi ut commodem.

1 Poeta per Lachetem invenit conſilium, quo introeat ad mulieres bona meretrix, unde erit improviſus exitus.

2 Sane tutatur mores.

3 Itaque mulier haec pudori malo praeponit honeſtum.

4 Int. volo; quod ex illo eſt *nolo* ſ. non volo--nec.

5 Et ex hoc melior videatur Bacchis, quod omnino non aegre tulerit amici diſceſſum; ſed facile conceſſerit uxori. Falſo igitur ſervus putabat malignam factam eſſe poſt nuptias, quod difficilior iam eſſet in Pamph. cf. I, 2, 84 ſq.

L. Facilem benevolumque lingua [1] tua iam tibi me reddidit [2].
Nam non ſunt ſolae arbitratae haec [3] : ego quoque etiam credidi [4].
Nunc cum ego te eſſe praeter noſtram opinionem [5] comperi;
Fac eadem ut ſis porro: noſtra utere amicitia, ut voles [6].
Aliter ſi facis... reprimam me [7], ne aegre quidquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis ſim amicus, aut quid poſſiem,
Potius quam inimicus, periclum facias [8].

1 Scil. animi interpres. Ut *oratio* virorum ſit, ita magis mulierum *lingua* videtur.

2 Quanto magis facta?

3 ſ. *hae*, quod vulgo habent. Sed illud verſus iubet.

4 *Credere* (pro vero habere) plus eſt, quam *arbitrari* (h. l. putare). *Etiam* eſt *inſuper*, ut v. 7.

5 Scil. bonam, moratam.

6 Places, ſenex, qui pro *amore* filii promittis *amicitiam* tuam.

7 Bene ſenex ſe repreſſit, ne inſcite ageret cum ſcita & bona.

8 Hoc genus admonitionis minus habet amaritudinis, ſed plurimum gravitatis. ex Don.

ACTUS IV. SCENA V[1].

PHIDIPPUS, LACHES, BACCHIS.

P. NIhil apud me tibi
Deſieri patiar, quin, quod opus ſit, benigne praebeatur.
Sed cum tu ſatura, atque ebria eris, puer ut ſatur ſit, facito [2].
L. Noſter ſocer, video, venit: puero nutricem adducit.
Phidippe, Bacchis deierat perſancte. *P.* haeccine ea eſt? *L.* haec eſt.
P. Nec pol iſtae metuunt Deos: neque has reſpicere Deos opinor [3].

1 Laches, qui pro paterna indulgentia filii olim amorem pertulerat, nunc poſt commoda dicta Bacchidis ſatis huic benevolum ſe oſtendit. Sed ſocer ſuperveniens, filiae cauſa acerbiorem ſe ab initio praebet, quam illa digna erat. ingreditur autem e priori ſermone apte diſſerens cum nutrice, quam ſc. 4 arceſſitum ierat.

2 Quod cum Plauto dixeris comice magis, ut Pſeud. I, 2, 51 *ubi tu tuum panticem* (abdomen, ſe ſemper pandens) *madefeceris, puer ne ſiccus ſit, facito.*

3 Quamvis Phid. acrius invehatur pro opinione iniuriae, quam fecerit filiae meretrix (praeter ipſius opinionem bona) : poeta tamen per ipſum profert dictum, ſapientiae & pietatis plenum. Quos nimirum (ut vulgus meretricum) Deorum non metuentes, nec Dii

B. Ancillas dedo [1]: quolibet cruciatu per me [2] exquire.
Haec res hic agitur [3]: me facere, Pamphilo ut redeat uxor,
Oportet: quod ſi perficio, non poenitet me famae,
Solam feciſſe id, quod aliae meretrices facere fugitant.
L. Phidippe, noſtras mulieres ſuſpectas [4] fuiſſe falſo,

reſpiciunt, h. e. curant, ſ. quibus Dii irati ſunt, ii ita perditi ſunt, infelices, ut ſcelera quaevis admittant. Cic. pro Rab. Poſt. 13 *ubi ſemel quis peieraverit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos iuret, non oportet.* Don. & poſt eum alii ambiguum fingunt; quod non eſt. Hominum eſt, *metuere* ſ. vereri Deos. Dii *reſpiciunt* homines gratioſe (cf. Andr. IV, 1, 18. Ph. V, 4, 23) ſ. iis iraſcuntur. Sic *cura* & *ira* Deorum ſibi opponuntur.

1 Bacchis, quo melior eſt, hoc concitatior, ob iuſiurandum repudiatum, offert aliud documentum, quod firmius habetur.

2 h. e. me permittente.

3 h. e. *hic non de verbis, ſed res agitur.* ex Don. Et ſic ex iis, quae faciam, melius de me exiſtimabitis. Atque cum ſe promptam ad perficiendum quod velint ſenes, oſtendat, non opus erit quaeſtione. Ita vero haec pronuntiat, ut non modo Laches permoveatur, ſed & Phid. acquieſcat.

4 Cave putes *ſuſpectas* h. l. paſſivam vim habere, & notare *quas ſuſpicio falſa inſecuta ſit*, qua dudum ſuas abſolverant: Soſtratam IV, 3, 9; Myrrhinam mox v, 74 & 91. Sed h. l. active

In re ipſa invenimus : porro hanc nunc experiamur [1]. nam ſi
Compererit crimini tua ſe falſo uxor credidiſſe,
Miſſam iram faciet : ſin autem eſt ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve eſt : cito ab eo haec ira abſcedet.
Profecto in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſcidio dignum.
P. Velim quidem hercle [2]. *L.* exquire : adeſt [3] : quod ſatis ſit, faciet ipſa.
P. Quid mihi iſtaec narras [4]? an quia non tute ipſe dudum audiſti,

ſumitur pro *ſuſpicatas*, ſuſpicientes, ut ap. Caton. diſtich. IV, 44 *ſuſpectus cave ſis— nam timidis & ſuſpectis aptiſſima mors eſt.* cf. Hor. Carm. I, 17, 25. Suſpicatas igitur dixit falſo *mulieres noſtras*, h. e. *Philumenam* & *Myrrhinam*, quas eaſdem ſcena priori verſ. 28 *mulieres* dixerat, & quemadmodum hac ſc. v. 4 *noſter ſocer.* Quod igitur a mala gloſſa in textum irrepſerat *nobis*, vulgo praemiſſum v. ſq. unde hic redundabat, hoc magis delemus, quod etiam Don. noſtrae ſententiae favet, & cum vocem *ſuſpectas* ambiguam eſſe dixiſſet, addit : *Nobis* aut abundat, l. *cum moleſtia noſtra* ſignificat.

1 ſ. huius nunc opera utamur.

2 Falſum fuiſſe crimen.

3 Scil. Bacchis.

4 Phid. iam ſatis perſuaſus acquieſcit, ac denuo confirmat, manere hanc affinitatem perpetuam ſe velle.

De hac re animus meus ut ſit, Laches? illis [1] modo explete animum.

L. Quaeſo aedepol, Bacchis, quod mihi es pollicita [2], tute ut ſerves.

B. Ob eam rem vis ergo intro eam [3]? *L.* i, atque exple animum iis, ut credant.

B. Eo: etſi ſcio pol his fore meum conſpectum inviſum hodie:

Nam nupta meretrici hoſtis [4] eſt, a viro ubi ſegregata eſt.

L. At hae amicae erunt, ubi, quamobrem adveneris, reſciſcent.

P. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint [5]:

Nam illas errore, et te ſimul ſuſpicione exſolves.

B. Perii, pudet Philumenae [6]. ſequimini me intro huc ambae.

1 Scil. mulieribus noſtris *explete.* Poenitet ipſum Bacchidem alloqui; itaque ſimul Lachetem reſpicit.

2 Scil. iusiurandum apud mulieres.

3 Pudore cunctans denuo quaerit.

4 Iniquior in meretricem.

5 Tandem ipſe ſocer, iam mitior factus lingua & vultu Bacchidis, promittit, mulieres amicas fore. ac fore, credit verae cauſae ignarus.

6 Hoc ſibi, amabilis ob pudorem, mulier dixit: cetera ad pediſſequas καιφα πζειωπα.

L. [1] Quid eſt, quod mihi malim, quam quod huic intellego evenire,
Ut gratiam ineat ſine ſuo diſpendio [2], et mihi proſit?
Nam ſi eſt, ut haec nunc Pamphilum vere ab ſe ſegregarit,
Scit ſibi nobilitatem ex eo [3], et rem natam, et gloriam eſſe:
Referet [4] gratiam ei, unaque nos ſibi opera amicos iunget.

1 In verſſ. ſqq. interpretes haerent, & Critici eos corrumpunt. Nos nihil mutamus, & expoſitione potius conſulimus textui *quid eſt, quod malim* &c. per *nihil eſt, quod mihi malim evenire, quam quod huic evenire int.* Quod enim ipſi gloriae erit abſque ſ. d. id quoque nobis ab illa ſummum eveniet beneficium, quo ſibi nos adiungat.

2 Si quidem dudum filium a ſe ſegregatum habuit, nihil certe nunc amittit.

3 ſ. ex moribus, quos tutata maritum coniugi nunc reconciliat, *nobilitatem*, h. e. praemium virtutis feret, non in gloria ſ. fama facti rarioris tantummodo poſitum, ſed in *re* ſ. muneribus ex patrocinio ſenum & amicitia mulierum ſperandis. Ita infirmae quae erant nuptiae, per ipſam firmiores, in rem Bacchidis futurae erant, quod Philotium, quamvis alia in animo habens, optaverat I, 2, 27.

4 Senex natura loquacior, & nunc quaſi ſpe tumens, & re iam bene geſta gaudens, effunditur in ſermonem ita, ut dicta denuo aliis verbis dicat: dum gratiam refert Pamphilo (cf. ſc. priorem v. 34) ſ. dum facit, ut Pamphilo redeat uxor, neque

ACTUS V. SCENA I.

PARMENO.

AEdepol nae meam herus eſſe operam deputat parvi preti.

ipſam famae poenitebit (cf. ſupra v. 8 ſq.) & nos inveniet amicos munificos. Nunc demum poſt introitum Bacchidis, ſenibus etiam diſcedentibus, vacua fit ſcena; & locus intervallo eſt, quo intus καταστροφῆ fit ex agnito a mulieribus anulo, quem olim a Pamph. vi ereptum virgini, datumque Bacchidi, haec forte in digito habuit. Inde auctor raptionis noſcitur fuiſſe ipſe Pamphilus; qui non amplius caram uxorem reducere dubitabit.

1 Actus V poſt factam per intervallum, quo a priori dirimitur, καταστροφὴν, exitum fabulae non tam ipſo habet, quam narrat, eoque brevior eſt. Quomodo autem in primo actu praeivit Philotium, haud mala meretrix, ita nunc in fabula exeunte advenit altera meretrix, ob mores, quos ceterum tutata eſt optimos, nobilior; quaſi ovans, ob concordiam ſuo interventu redditam. Ita vero regit poeta fines decori, quod iam monuimus ad IV, 3, 30, ut rei omnis, praeter conſcios, ignari maneant ceteri, maxime ſenes; unde maiorem ab omnibus varie initura ſit gratiam, & quod res eſt, Philumenae decus ſervetur.

2 Curioſus ſervus, ſecretorum olim particeps, ſed ea male cuſtodiens, & ſimul piger, ex erroribus tandem redux ingreditur, nunc, ſe fruſtra exercitum, ſtomachans. Et idem nunc opportune adveniens denuo exercebitur nuntius laetorum, quae, ipſe neſciat, exeunte fabula ridendum ſe praebiturus.

Qui ob rem nullam miſit, fruſtra ubi totum deſedi diem,
Myconium hoſpitem dum exſpecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic ſedeo, ut quiſque venerat,
Accedebam: *adoleſcens: dic dum, quaeſo, tun' es Myconius?*
Non ſum. at Callidemides? non. hoſpitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam eſſe arbitror.
Denique hercle iam pudebat: abii. ſed, quid Bacchidem
Ab noſtro affine exeuntem video? quid huic hic eſt rei?

ACTUS V. SCENA II.

BACCHIS, PARMENO.

B. PArmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
P. Quid eo [1]? *B.* dic me orare, ut veniat. *P.* ad te? *B.* immo ad Philumenam.
P. Quid rei eſt [2]? *B.* tua quod nihil refert: percontari deſinas.

[1] int. ad Pamphilum.

[2] Curſoſus non recuſat laborem, dummodo ea, de quibus agitur, ſciat.

P. Nihil aliud dicam [1] ? *B.* etiam [2] : cognoſſe anulum illum Myrrhinam

Gnatae ſuae fuiſſe, quem ipſus olim mihi dederat. *P.* ſcio.

Tantumne eſt [3] ? *B.* tantum : aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.

Sed ceſſas [4] ? *P.* minime equidem : nam hodie mihi poteſtas [5] haud data eſt :

Ita curſando atque ambulando totum hunc contrivi diem.

ACTUS V. SCENA III. [6]

BACCHIS.

QUantam obtuli adventu meo laetitiam [7] Pamphilo hodie !

1 Repulſus ſtudet colligere rem ex mandatis.

2 Eſt reminiſcentis id, quod paene praeterierit. Sed id ſic dicit, ut id l. fictum l. minoris momenti eſſe credat ſervus.

3 Parum ſe proceſſiſſe in indagando intelligit ſervus.

4 Curioſior quam impiger abigendus eſt.

5 int. ceſſandi.

6 Scena haec continet narrationem eorum, quae intus geſta erant, ac neminem ſcire oportebat, praeter hos, quorum intererat. Hinc Bacchis ſibi, gaudens bono, quod per ipſam contigerat, ſola, quoad cum Pamph. redeat ſervus, gaudium erumpit, et ſic affectum prodit, ut ſpectatores rem omnem quaſi ob oculos ſitam videant.

7 Ex reſtituto gnato, qui paene periit (v. 3).

Quot commodas res [1] attuli! quot autem ademi curas [2]!
Gnatum ei reſtituo, qui paene harum ipſiuſque opera periit:
Uxorem, quam nunquam eſt ratus poſthac ſe habiturum, reddo:
Qua re [3] ſuſpectus ſuo patri, et Phidippo fuit, exſolvi.
Hic adeo his rebus anulus [4] fuit initium inveniundis.
Nam memini, abhinc menſes decem [5] fere ad me nocte prima [6]
Confugere [7] anhelantem domum, ſine comite, vini plenum,

1 Ex reddita uxore (v. 4, cuius conſuetudine tenebatur ſupra III, 6, 44, quam invitus repudiabat, vicem ſuam ac ſolitudinem vitae dolens; cf. infra v. 25.

2 Ex iris ſenum, quibus ſuſpectus erat, quaſi etiamnum obnoxius eſſet Bacchidi; cf. v. 5.

3 Subtilius ſic dicit crimen, quo Pamphilus ad ipſam rediiſſe falſo putabatur.

4 Cf. quae de eo praefata eſt Myrrhina III, 8, 59.

5 Recte id meminit, ut ex Pamph. gravidam factam eſſe Philumenam conſtet. Cf. quae notavimus ad III, 8, 33, ſq. p. 304.

6 A veſpera dicebatur prima nox ſ. fax. Poſt illam erat concubia; inde intempeſta.

7 Fere, quot verba, tot ſigna profert, e quibus colligi facile eſt, hunc eſſe, qui virginem vitiaverit. *Confugere*, quod timebat, *anhelantem*, colluctatus fuerat, *domum*, celari volebat, *ſine*

Cum hoc anulo. extimui illico : *mi Pamphile*, inquam , *amabo* ,
Quid exanimatus es, *obſecro ? aut unde anulum iſtum nactus* [1] ?
Dic mihi. ille , alias res agere ſe , ſimulare [2]. poſtquam video [3] ;
Neſcio quid ſuſpicarier , magis coepi inſtare , ut dicat.
Homo [4] ſe fatetur vi , in via , neſcio quam [5] , compreſſiſſe :
Dicitque , ſeſe illi anulum , dum luctat , detraxiſſe.
Eum haec cognovit Myrrhina in digito [6]: modo me habentem

com. in pudendo facinore, *vini pl.* in vino Venus eſt & temeritas , *cum h. anulo*, qui raptum indicat. ex Don.

1 Perturbatio & anulus ſunt praecipua ſigna commiſſi facinoris. Mirum addit Don. *Brevitati conſulit Terentius : nam in Graeca haec aguntur , non narrantur.*

2 Don. *Alias res agentem ſe fingere. Pudebat enim amicae de alterius ſtupro fateri, & ei amicae, quam tum deperibat.*

3 Alia agentem , nec reſpondentem quaeſitis.

4 Bene additur *homo* ad *reum* notandum ; uti Eun. V, 5, 1, 19.

5 Atque haec ignoratio perſonae fabulam , & qui in ea errores ſunt , peperit ; ſimul excuſatum facilius habuit Bacchis , qui non amore illam , ſed temere invaſerit.

6 Scite aeque & vere ex mulierum indole invenit καταστροφήν. Quam enim ocu-

Rogat, unde ſit: narro omnia haec: inde eſt cognitio facta,
Philumenam compreſſam eſſe ab eo, et filium inde hunc natum.
Haec tot propter me gaudia illi contigiſſe laetor:
Etſi hoc meretrices aliae nolunt: neque enim eſt in rem noſtram,
Ut quiſquam amator nuptiis laetetur. verum ecaſtor
Nunquam animum quaeſti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum eſt, uſa ſum benigno et lepido, et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit [1]: factum fateor:
At pol me feciſſe arbitror, ne id merito mihi eveniret [2].
Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda [3] aequom eſt ferre.

leae iſtae, ad aliarum, quae accedunt, ornatum, veſtes, aurum, gemmas luſtrandas! Melius vero ſit h. l. diſtinguere dicta, quam cum Bentl. mox corrumpere *habentem* in *habente*. Expone autem: me, quae eum nunc haberem, rogat, unde ſit.

1 *Incommode* cum illis agitur, a quibus amici diſcedunt. Cic. Lael. 4. h. l. Bacchidi *inc.* ex *nuptiis evenit*, quod eam deſerebat amator.

2 Ea, quae culpa noſtra eveniunt incommoda, dolemus magis.

3 h. e. quae ab eo oriuntur incommoda; uti Ad. II, 3, 2 *iniuria adoleſcentium* h. e. quae ab adol. fit; & a-

ACTUS V. SCENA IV.[1]

PAMPHILUS, PARMENO, BACCHIS.

Pam. Vide, mi Parmeno, etiam ſodes, ut mi haec certa et clara[2] attuleris ;
Ne me in breve coniicias tempus, gaudio hoc falſo frui.
Par. Viſum eſt[3]. *Pam.* certene'? *Par.* certe. *Pam.* Deus ſum, ſi hoc ita eſt. *Par.* verum reperies.
Pam. Manedum, ſodes : timeo ne aliud credam, atque aliud nunties.
Par. Maneo. *Pam.* ſic te dixiſſe opinor, inveniſſe Myrrhinam,
Bacchidem anulum ſuum habere. *Par.* factum. *Pam.* eum quem olim ei dedi :
Eaque hoc te mihi nuntiare iuſſit : itane eſt factum ? *Par.* ita, inquam.
Pam. Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior?

ſibi *iniuriam patrum.*

1 Interea cum Bacchis ante oſtium opperiretur, advenit Pamphilus, in itinere cum ſervo loquens, cum vario affectu, modo verens, modo ſe efferens. Cf. Ad. IV, 6, 64.

2 Recte audita.

3 int. mihi, pro *viſus ſum certo audire.* Eun. III, 2, 1 & Plaut. Aul. V, 14. pariter, ut *perſuaſum mihi eſt*, *perſuaſus ſum.*

Egon' te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid [1]? neſcio.
Par. At ego ſcio. *Pam.* quid? *Par.* nihil enim:
Nam neque in nuntio, neque in me ipſo, tibi boni quid ſit, ſcio [2].
Pam. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris [3],
Sinam ſine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem eccam video ſtare ante oſtium [4]:
Me exſpectat credo: adibo [5]. *B.* ſalve, Pamphile.
Pam. O Bacchis, o mea Bacchis, ſervatrix mea [6]!
B. Bene factum, et volupe eſt. *Pam.* factis ut credam, facis [7]:
Antiquamque adeo tuam venuſtatem obtines,
Ut voluptati obitus [8], ſermo, adventus tuus, quocunque adveneris,

1 Formula quaerentis.

2 En ut curioſus magis ſcire vult, quam munus accipere. Sciſcitatur ille; ſed quo magis curioſus eſt, tanto magis neſciet illa, quae cupit. ex Don.

3 Quod pro beneficio ſummo eſt; cf. Cic. poſt red. in Sen. 9.

4 Bene fit, quod gaudens nimis, a ſervo inepto avertatur ad ipſam venuſtatis reducem.

5 Dum adit eam, ſervus remaneat.

6 Gratiſſimis verbis, ſimul & venuſte, illam ſalutat, amantior Philumenae. Neque minus blande reſpondet memor Bacchis.

7 Quod alias vix credi poſſit, *facis*.

8 ſ. occurſus, quem caſus

Semper ſiet. *B.* at tu ecaſtor morem antiquum, atque ingenium obtines,

Ut unus omnium homo te vivat nunquam quiſquam blandior.

Pam. Ha, ha, hae, tun' mihi iſtuc [1]? *B.* recte amaſti, Pamphile, uxorem tuam:

Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod noſſem, videram:

Perliberalis viſa eſt. *Pam.* dic verum [2]. *B.* ita me di ament, Pamphile.

Pam. Dic mihi, harum rerum numquid dixti iam patri [3]? *B.* nil. *Pam.* neque opus eſt;

Adeo mutito: placet, non fieri hoc itidem, ut in comoediis [4],

dat, uti *adventum* voluntas.

1 *Tun'* (cui incommode evenit nuptiis meis) *mihi* (perfugae) *iſtuc* benedicis? Prudenter miſſis ambagibus traducit Pamphilum ad ea, quae ipſi iam honeſtius placeant.

2 Volens audit uxorem laudari ab eleganti muliere, eaque, quae videri potuit aemula.

3 Poſt gaudium cura eſt, ne quid de raptu reſciſcant patres; qui cognitioni anuli non interfuere. Igitur haec ſecum agunt, nihil audiente ſervo. Tectis ſic veris cauſis actorum, ſola etiam Bacchis a ſenibus inibit reducis concordiae gratiam.

4 *Mire: quaſi haec comoedia non ſit, ſed veritas.* Don. Ita ſapienter egreditur poeta fines, qui praeſcribantur fabulis. Sed tamen praeivit iam Plaut. Amph. III, 4,

Omnia omnes ubi reſciſcunt. hic, quos par fuerat reſciſcere,
Sciunt; quos non autem ſcire aequom eſt [1], neque reſciſcent, neque ſcient.
B. Immo etiam, qui hoc occultum iri facilius credas, dabo:
Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriiurando meo
Se fidem habuiſſe, et propterea te ſibi purgatum. *Pam.* optume eſt:
Speroque hanc rem eſſe eventuram nobis ex ſententia.
Par. [2] Here, licetne ſcire ex te, hodie quid ſit quod feci boni [3]?
Aut quid iſtuc eſt, quod vos agitis? *Pam.* non licet. *Par.* tamen ſuſpicor [4]:
Egon' hunc ab Orco mortuum [5]? quo pacto? *Pam.* neſcis, Parmeno [6],
Quantum hodie profueris mihi, et ex quanta aerumna extraxeris.

3 in ipſa comoedia comoediam memorando.

1 Senes, & ſervum curioſum.

2 Redit ſervus, qui in hiſce nihil intelligit, ad expiſcandum, quod ipſum ſcire non aequum erat.

3 Ineptus nihil in hac re fecit boni, niſi quod arceſſeret Pamphilum.

4 Par. ſibi loquitur.

5 Int. reducem feci, ex v. 13.

6 Pamphilus ſervum videns curioſiorem, addit etiam ſtimulos, quibus magis conficiatur fruſtra laborans.

Par. Immo vero ſcio, neque hoc imprudens feci [1]. *Pam.* ego iſtuc ſatis ſcio [2]. *B.* an
Temere quidquam Parmeno praetereat, quod facto uſus ſit [3]?
Pam. Sequere me intro, Parmeno [4]. *Par.* ſequor [5]. equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam ſciens ante hunc diem unquam. Plaudite.

1 Se iam ſcire omnia ſimulando, fruſtra percontatur herum, quem ex ſuo ingenio iudicat I, 2, 35 ſq. ac meritum ſuum iactat, eo quod prudentem ſe feciſſe fingit.

2 Pamph. ridet hominem.

3 Senſus ſit: nihil facile Parmeno, pro ſua diligentia praetermittit, quod aliis uſui ſit. v. not. crit. ad h. v.

4 Pamphilus cum Bacchide abſcedit.

5 Quod ſolum reſpondet abeunti. Cetera ad ſpectatores dicit, fatens quidem ignorantiam ſuam; ſed tamen quidquid Pamphilo boni contigit, ſua opera factum iactat imprudens nuntius. Itaque explodendus eſt ille a plaudentibus.

NOTAE
AD FIRMANDAM LECTIONEM TERENTIANAM
SPARSAE.

AD ADELPHOS.

PAg. 9 lin. 3. Ed. anon. ap. Weſterh. et ed. noſtra c. figg. habent *facite ut veſtra aequanim.* Sed verba *ut veſtra* h. l. non ſunt a Codd. melioribus, et repugnant verſui.

lin. 4. Quod deſiderat Don. *veſtra* ante *aequanim.* illud huic verſui cum aliis addimus, ut conſtet verſus, qui ſine eo vacillat. Dacieria quoque ſic edidit. Bentl. vero integrum verſum, quo facile caremus, ſubiiciendo, inanem operam ludit.

p. 10 lin. 3 *atque an. obſ.* Sic vetuſtus quiſque Cod. ap. Faern. et Bentl. et ed. noſtra c. figg. Alii cum Donato et h. l. edunt *aut.* Sed nihil in eo eſt diverſi ab amando l. potando.

lin. 17. Vulgo diſtinguunt *ille contra, haec omnia.* Sed v. Ph. III, 5, 36. verius, quod cum Bentl. ſequimur.

lin. 18. *Ruri agere ſemper vitam.* Sic certe ed. anon. ap. Weſterh. vetuſque ed. noſtra cum figg. melius quam vulg. *ruri agere vitam : ſemper parce, &c.* Te *ſemper* enim addit dictioni id quod urbanis videtur odioſum. Similiter infra V, 2, 9 *Ille ſuam ſemper egit vitam in otio, in conviviis.*

p. 11 lin. 10. *Inſueverit.* Sic plures Codd. et priſcae edd. etiam noſtra, habent; defenditque Boecl. Alii *inſuevit.* Ap. Martian. Capellam pag. 160 *inſtituerit.* Bentl. vero ex ingenio ſubſtituit *ita uti ſit.* Scil. non intelligit connubium futuri perfecti et imperfecti *inſueverit, aut audebit*, ex ipſa re natum, *qui vel olim inſueverit, vel primum audebit.*

ibid. *aut audebit.* Verba *aut audebit* a quibuſdam

Codd. ſecundariis abſunt, eoque Boeclero gloſſema audiunt. Ea igitur expungit, et mox ingerit *is*, legendo--*fallere inſueverit Patrem tanto magis is aud.* cet. Sequuntur eum inter alios Dacieria et Millerus.

p. 12 lin. 4. *clamans.* Al. *clamitans*, quod repugnat metro; et fruſtra interciditur a *ſaepe*, quod alii praeponunt verbis *ad me.* Quamvis autem et Don. legat *ad me ſaepe clamitans*; ſequimur tamen cum Guyeto et Bentl. metri rationes; et infra recurrit IV, 8, 9 *clamas.*

lin. 6 *ſumptum.* Sic Bemb. et Donat. et ed. vet. c. figg. cett. Alii *ſumptus.*

lin. 18. Alii cum Donato: *Ille quem b. adi. ex animo facit.* Noſtrum ad metrum aptius.

p. 13 lin. 1. *patrium.* Quidam libb. et ſcripti et editi, in quibus ſunt ed. Anon. Weſterh. et noſtra c. figg. *patrum.* ita et edidit Fabrini.

lin. 12 *ehem.* Sic Codd. Bemb. Baſil. Don. et Eugr. habent. Alii (ut et noſtra vetus) *hem.* Illud commotius in re ſubita videtur. cf. Eun. III, 5, 9.

p. 14 lin. 11. *Mulcavit.* Sic recte antiqui libri omnes. Alii male et uſitato errore *mulctavit. Mulcare* eſt verberare; *mulctare*, punire, condemnare.

p. 16 lin. 4 *adigis.* Al. Codd. et Don. *rediges*; al. *redigis.*

lin. 12. *Obſonat.* Sic omnes Codd. Varro L. L. 6 legit *Scortatur, potat*, &c. Sed lapſus eſt memoria. Statim enim addit Micio: *amat.*

p. 17 lin. 3 ſq. Vulg. male inde ab Eraſmo *eſt, dis gratia, Et unde haec fiant, et adh. n. m. ſ.* Donatus certe iunctim legit *eſt dis gratia*, cum poſt *et unde haec fiant* iterum ſubaudiat *eſt.* Atqui infra v. 59. iunguntur *eſt dis gratia quum--eſt.* Tum inepte conſtruitur *eſt,--et unde haec fiant, et—ſunt.* Sed et ſic deficit verſus, in quo primum *eſt* cum ultima prioris concurrat. Itaque tandem addimus *quum eſt*, *unde.* In quibuſdam Mſſ. abeſt etiam *τὸ et* ante *unde.*

lin. 9 *ab illis.* Donatus legit *aliis.*

ibid. *vere ſciunt.* Fruſtra Palmerius, cui accedunt Guyetus et Dacieria, coniecit *vere ſient.* Verus eſſe poteſt pater animo, quamvis non natura ſit. Verus opponitur ſimulato, ſ. ei qui putatur pater, non eſt; qualis foret Chremes in Heaut. Act. V, ſi recte Clitipho ſuſpicatus fuiſſet, ſe ſubditum. Bentl. vero poſt illos pro libidine correxit *veri ſient*; nec meminit, & adverbium ſic iungi Eun. III, 5, 58 *tum pol ego is eſſem vere, qui ſimulabar.* Tacemus plura.

p. 18 lin. 10. *ullum.* Sic plures Mſſ. & edd. priſcae, in quibus noſtra: denique Bentl. mavult quam vulg. *unum.* cf. Andr. I, 5, 22. Eun. I, 2, 8.

lin. 11. *an non credis?* Pareus ex Mſ. Pal. edidit *ah! non credis?* quod quidem nobis aptius videtur, quam cum Don. ſubaudire: *me iraſci.*

lin. 15. *quidquam* vulgo omittitur, quod reſtituimus iubente metro ex Mſſ. quibuſdam ap. Weſterhov. & ed. noſtra vetere; & ſic Cic. Phil. I, 11 *ne gravius quippiam dicam.*

pag. 20 lin. 1. *deſerviſſe.* Alii, teſte iam Donato, legebant male *deſaeviſſe.*

p. 21 lin. 4. *Quamquam eſt ſcel.* Al. Codd. ed. anon. Tarviſ. & noſtra c. ſigg. *Quamquam ſit ſ.*

lin. 6. ſq. *Meorum morum.* Mur. mavult ob metrum *morum meûm*, quod probat Fr. Fabr. & ſequitur Dacieria.

p. 22 lin. 9. Alii male iungunt *praeſtrenue.*

lin. 11. Al. omittunt *tu*, quod eſt in Mſ. Reg. ap. Lindenbr. & rationi metricae verſus convenit.

p. 23 lin. 7. *miſerum.* Inde certe ab Eraſmo vulg. *indignum*; quod in Codd. abeſt, qui plerique, ut edd. veteres noſtrum habent.

lin. 8. *hei miſeriam.* Sic vetuſti Codd. & libri & Bentl. Al. *hei miſero mihi.*

p. 24 lin. 14. *heic.* Al. Codd. ap. Weſterh. & Boecl. ed. 1469 noſtraque vetus *hoc*, quod Rivius laudat.

p. 25 lin. 12. *quod ad te attinet.* Sic ed. noſtra vetus, & Eraſmica I. Vulg. ex Codd. pleriſque inſerit *id quod* etc. ſed praeter metrum.

p. 28. lin. 4 ſq. Vulgo hic verſus poſtponitur ſequenti. Nos cum Bentl. priorem facimus, re ipſa iubente.

p. 29 lin. 6. *puto.* Ante Faernum edebatur *deputo.*

p. 30 lin. 1. Sic Faern. edidit ex Bemb. noſtraque vet. editio habet. Alii : *Concertationem comp. quam quae h. i. n. f.*

lin. 5. *facerem.* Sic Faern. ex Bemb. &c. noſtraque vetus ed. Al. *agerem.*

lin. 10. *hui.* Sic Codd. & edd. inter quas noſtra vetus. Guid. Iuv. Eraſmianae, Dacieria, Weſterh. hanc interiectionem tribuunt Sannioni (ridenti f. reſpuenti dictum ſervi) ut infra III, 4, 48 & Eun. IV, 7, 35 & mox pariter Sannio interiicit *hem.* Neque alias interiectio in medio ſermone obvia. Itaque audemus contra Codd. Bemb. & Baſilic. e quibus Faern. eam quoque Syri eſſe vult. Faciunt cum eo Heinſius ex Mſſ. Leid. 4 & Bentl. ex ſuis.

pag. 33. lin. 12. *deſrudet.* Sic Don. legit, & Eraſm. Dacier. Weſterh. Bentl. ex ſuis Codd. Sed Eugr. *deſraudat*; & ſic ed. noſtra vet. Heinſ. Miller. dederunt.

pag. 34. lin. 5. *reddat.* Al. *reddatur,* contra metrum.

lin. 6. Bentl. fruſtra *Scio non te eſſe uſum.*

p. 35 lin. 3. *nunc te.* Bentl. ad aurem ſuam tranſponit *te nunc.* Sed vulg. rectior; & vis eſt praecipua in τῷ *nunc*--cui reſpondet τὸ *nunquam.*

lin. 7. *alios.* Bentl. inepte fingit *alias*; provocans ad Andr. I, 1, 31. Sed quod alterum laudat Andr. I, 1, 95 potius eſt pro vulg.

lin. 9. *homini nemini.* Mittimus abſonam varietatem: *homini neminem* l. *hominum neminem* l. (uti noſtra vetus) *hominem neminem* &c. Noſtrum quoque legunt Don. & Eugr. cf. Eun. III, 5, 1. Phorm. IV, 2, 1.

lin. 12. *ellum.* Don. alios tradit h. l. id interrogative legere *ellum?*

lin. 13. *Illius opera nunc vivo.* Al. h. l. inſerunt *Syre*; Bentl. ponit poſt *nunc.* Noſtra vetus poſt *vivo, Syre, o. f. c.* Hac inconſtantia moti facimus cum ed. anon. ap.

Weſterh. Tarviſ. 1481. Ven. 1490. Heinſio & Dacieria, qui verba *feſt. cap.* interiecta volunt a Syro aſſentiente, uti dein *Nihil pote ſupra.* Sic nec verſus laborat.

lin. 15. Verſum, in quo l. emendando l. exponendo laborarunt editores & interpretes, hodie primo integrum damus. Primo Don. legit *quin*, idque admirative pronuntiandum dicit. Nugae. Sed Bemb. Cod. a prima manu *qui;* a ſecunda, uti Vatic. *quin*, & alii *quine.* Nos illud cum ed. noſtra vetere, Eraſmo, & pluribus aliis praeferimus, quod reſpondeat τῷ *illius.* Tum fluctuant Codd. in verbo *poſtputavit;* pro quo alii *poſtputarit*, quod penderet ex iſto *quin*, a nobis reiecto. Neque vero moramur in permixta lectione ed. noſtrae veteris *qui omnia ſibi poſtponenda putarit prae m. c.* Illud *ponenda* certe a gloſſatore eſt, qui non meminerat ſimile Hec. III, 7 (al. 5) v. 33 *Cum te poſtputaſſe omnes res prae parente intellego.* Et ibi rectius coniunguntur in unam vocem, quae h. l. dividenda cenſemus ob τῷ *eſſe.* Quo enim referas τῷ *eſſe*, niſi ad *poſt*, uti Sall. Cat. 23 extr. --- *invidia atque ſapientia poſt fuere.* Sed quamvis etiam cum Eraſmo, Weſterh. aliiſque legas *Qui omnia ſibi poſtputavit eſſe prae meo commodo*, (quae rectior illa *quin' omnia ſibi poſtputarit eſſe prae m. c.*) deſit tamen octonario in ultimis, quod explemus vocula *uno*, interpoſita contra τῷ *omnia;* idque omiſſum librariis corrector margini adſcripſerat, e qua dein in textu mendoſe adlitum τῷ *qui* provenit illud *quine*, quod turbas has dedit. Unum autem commodum dicit noſter, quod iam fruatur ſua; cf. Eun. II, 3, 80.

lin. 17. *laborem.* Vulg. *amorem;* quod quam falſum ſit, nemo hominum criticorum ſenſit. Quamvis certe Aeſchinus *ſuſpicionem amoris in ſe tranſtulerit* (ut in Cliniam Heaut. IV, 1 (al. 4 l. 5 v. 52) haud tamen *amorem* fratris in ſe *tranſtulit;* cf. Hec. I, 2, 94. At ab Eraſmo in ed. Froben. I & ſqq. veriorem lectionem adſcriptam invenimus : alias *laborem.* Recentiores omiſere.

pag. 36 lin 1. *Nil pote ſupra.* Al. & haec tria verba tribuunt Clitiphoni. Multum autem & in hoc verſu

laborant Critici, quorum cura hodie maior octonario evaſit. Diverſimode vero eduntur *Nil pote ſupra. ſed* (aliis omittitur) *quiſnam* (al. *quidnam*) *fores* (al. *foris*) *crepuit.* Sy. *mane, mane! ipſe exit foras.* Cum ap. omnes verſus excedat octonarium, omittimus cum Eraſmo alterum *mane;* & *crepuit*, quod librariis in mente erat, ubi vox *fores* legebatur, emendamus in *exit.* Iiſdem verbis reſpondet Syrus *Ipſe* (frater quem laudaſti) *f. e.* Placuit ita magis, quam alia emendatio: *ſed quid tam foris crepuit.*

lin. 6. *me.* Sic Bemb. Al. praeter rem *men'*.

lin. 8. *quaero.* Sic plerique Mſſ. Al. *quaerito*, praeter metrum.

lin. 10. *triſtitiam.* Bemb. *triſtitiem.*

lin. 12. Verſus hic magna inconſtantia editur. Primum plerique *Ego illam hercle vero;* noſtra vetus *Ego vero illam hercle* &c. alii, ut Mſ. reg. ap. Lindenbr. Mſ. Graev. Lipſ. & Boecl. cum ed. 1469 Mediol. Iuntina & Mureto *Ego illam facile vero.* Bembinus vero, omnibus prior, neque *hercle*, neque *facile* habet; unde & nos omittimus cum Dacieria. Tum illud *quidem* & *te* locum mutant. Plerique *qui quidem te fratrem h. &c.* Sed Bemb. Eraſm. Faern. Weſterh. Bentl. *qui quidem te habeam fratrem*, & Dacieria *qui te h. f. quidem, o!* Nos in hac inconſtantia, & cum ex omnibus metrum laboret, auſi ſumus huic mederi, omittendo το *hercle*, quod Bemb. non habet, legendo *ego vero* cum noſtra vetere, & quod locum mutaverat, in omni lectione auribus infeſtum *quidem* retrahendo. Sic utrique voci *ego* & *illam* vis additur; & ſic paſſim Plaut. & Cic.

pag. 39 lin. 2. *obſecro hercle te hom.* &c. Metri cauſa addimus c. Bentl. *te.*

lin. 18. *Obſecro te.* Al. male omittunt *te.*

pag. 41 lin. 3. *E re nata.* Bentl. inepte lect. corruptam quorundam Codd. & edd. praefert *e re natae.* Sed ap. Ter. ſemper eſt *gnata*, uti infra v. 42. neque Latinus homo dicat *e re--melius.*

lin. 7. *ingenio.* Vulg. *genere;* e quo Bentl. pulchre in-

venit noſtrum. Terentius, ut alii ſcriptt. paſſim iungit *ingenium animumque*, uti infra V, 1 (al. 3) v. 42 ſq. Andr. I, 1, 86 ſq. Et ſic facile caremus nugis Donati, diſtinguentis *genus* & *familiam*, quae Terentio promiſcue adhibentur infra Sc. IV, 46 & V, 2.

lin. 13. *omnia omnes*. Sic numeroſius ſcripti optimi, edd. priſcae, & ex recc. Bentl. Al. *omnes omnia*.

pag. 42 lin. 5. *impium*. Vulgo *impurum*, quod metro repugnat. Itaque Iuntinam, Aldinam, Heinſ. & Bentleium ſequimur.

lin. 8. ſq. *neque illiu'*. Vulgo *illum*; in quo elegantiam quaerunt *quem--illum*, laudantque infra v. 17; & III, 3, 4 *illum--etiam eum*. Sed abludunt exempla; neque hodie Geta currens venatur elegantias Criticorum. Alii *ulla*, quod ferri magis poteſt. Noſtrum perplacet ex Andr. I, 5, 26 *Tot me impediunt curae--Amor*, miſericordia huius, *nuptiarum ſollicitudo, tum* &c. Hec. I, 2, 92 *Animus uxoris miſericordia defunctus*. Apocopen in *illiu'* iubet metrum, ut Eun. II, 3, 78.

pag. 43 lin. 7. Verſus tentatur ab aliis, non in melius. Guyet. quidem more ſuo expungit totum. Bentl. amputat verba *dum--modo*. Sed haec eſt manifeſta vis.

lin. 13 ſq. Faern. ex interpolato h. l. Cod. Bemb. male edidit *Sublimem medium primum arr. & cap. in t. ſt.* cum ante in editis (ut in plerisque Codd.) illud *primum* poſt *capite* poneretur; & ſic quoque hodie multi retinent. Sed Palmer. id pridem ſcite & vere correxit in *pronum*, quod rec. Bentl. cf. Virg. Aen. I, 115. *Primus* & *pronus* facile in Mſſ. permutabantur.

lin. 15. *diſpergat*. Cave cum aliis corrumpas in *diſpergeret*. Habet enim prius imperfectum, uti cetera omnia, vim futuri, e quo conſequatur praeſens.

lin. 18. *tunderem*. Bentl. reſcribit *funderem*, quod frigidum coniecerat Guyet.

pag. 44 lin. 4. *ubi es*. Vulgo *ubi ea eſt*. Bentl. facit *ubinam es*. Sed omitte *nam*; & ſic demum procedet verſus.

lin. 9. *Animam*. Edd. priſcae *animum*.

lin. 14. ſq. *hei mihi, Perii*. Vulgo *hem, Perii*. Sed *hem*

neque in feminam, eamque & praeparatam nuntio malo, & gravius dolentem, convenit, neque octonarium explet. In re quidem ſubita, ſed non triſti dicitur Andr. V, 2, 19. Coniungit vero Soſtrata duplicem ſignificationem doloris.

pag. 45 lin. 3. *certum.* Sic Bemb. melius, quam cum Don. *certo;* aut al. *Sciſne hoc certo?* l. *certe.*

lin. 5. *Ah.* Al. omittunt hoc alterum *ah*, quod geminatum eſt in ed. noſtra vetere. Quae omiſſio fecit, ut dein al. contra Bemb. praepoſtere redderent *iam credas.*

lin. 7. *Noſtram.* Sic Codd. omnes. Alii *noſtrarum.*

lin. 12. *patris.* al. *patrem.* Noſtrum melius habent Bemb. & Vatic. Quod huic verſui vulgo addunt *ita*, rectius ſq. verſui praeponimus.

lin. 13. *Se ux.* al. *ſibi.* Plures omittunt. Sed Cod. Bemb. habet *ſi.* Cod. Petr. rectius *ſe*, quod latinius, & noſtro ſolenne Hec. prol. alt. v. 3. Heaut. III, 5 (al. IV, 1) v. 53. II, 3, 21. Virg. Ecl. I, 41.

lin. 16. *conſule.* Sic Vatic. & tres veterrimi ap. Bentl. Alii legunt cum Don. *proſpice.*

pag. 46. lin. 1. *au.* Cod. Bemb. Vict. & Don. ſemel habet *au;* alii geminant *au au!* Retrahimus vero ad integrandum verſum ex ſequenti *an.*

lin. 3. Al. ordinant *hoc proſ. tibi vid. uſq. eſſe.* Sed verſus ſic non procedit, cui ut conſulamus, ſequimur ordinem, quem multi e melioribus habent.

pag. 47 lin. 1. *quid ages?* Sic Faern. edidit ex Bemb. aliiſque; cui aptius videtur *proferam*, quam *quid agis?* quod quidam habent. Sed & ſunt ſcripti & edd. qui legant *quid ais*, quaſi miraretur Geta; idque praefert Bentl. idemque *hem, mea Soſtrata, v. q. r. a* tribuit Cantharae, quod *o mea* ſit blandimentum muliebre. Sed cogites, ſervo herae ſuae addictiſſimo plus licuiſſe & libuiſſe.

lin. 9. *Si.* Al. male *ſin.*

lin. 13. *interceſſe.* Sic Eraſm. Dacier. Bentl. antique & iubente metro pro *interceſſiſſe.*

lin. 15. *quid iſtic.* Sic dedit Bentl. ex Mſſ. Priſciani, haec verba laudantis. Vulgo *quid iſtuc.*

p. 48 lin. 1. *eius* &c. Sic Bemb. &c. Alii *huius enarrato rem omnem ordine.* al. *narrato.*

lin. 12. *Una fuiſſe.* Sic Bemb. & ſupra Andr. I, 1, 54. Alii *affuiſſe*; quod nimium videtur.

pag. 49 lin. 1. *eum πλεονάζει.* Abeſt vero in aliis Mſſ. in aliis locum mutat.

pag. 51 lin. 3. *Tantiſper.* Sic Bemb. a prima manu. Al. *pauliſper--venero.*

lin. 4. Nobis *quidem* h. l. additum videtur a ſciolis librariis; ut paſſim. Demto illo verſus conſtat.

p. 52 lin. 13. *Vig. tuam tu mihi?* Vulgo h. l. addunt *narras*; quod gloſſema expungimus cum Bentl. & revocamus in hunc verſum ex ſq. *modo.*

pag. 53 lin. 6. *quem.* Sic Don. Sed Cod. Bemb. *qui.*
lin. 10. *iurgio eſt.* *To eſt* reddimus ex Codd. cum Bentl.

lin. 12. *de pſ. hac.* Ita recte dedit Bentl. pro *iſtac.*

pag. 54 lin. 1. *ſpero eſt ſimilis* &c. Bentl. verſum corrumpit fingendo *erit*, quod ſperetur de futuro, non praeſenti. Parum is memor, verbum id & praeſentibus (uti Eun. V, 3, 11; III, 3, 11. & paſſim ap. Cic.) & praeteritis (ut ap. noſtrum ſupra I, 2, 72. Andr. II, 4, 4. Eun. I, 2, 123 &c.) coniungi. Tum eſt idem, ac ſi dixiſſet *Quod ſpero, eſt ſim.*

pag. 55 lin. 7. *o Demea.* Vulg. non habet *o*, quod Bentl. ex Cod. antiquo repoſuit.

pag. 56 lin. 6. *hinc ibis.* Sic Faern. ex Bemb. & Vict. Alii tuentur *abis*, quo dein utitur Demea iam iam iturus. Idem Faern. ex ſolo Bemb. *recta.* Sed h. l. placet vulg.

pag. 57 lin. 1. *is hercle.* Vulgo *is hercle eſt.* Verum ſic verſus non procedit. Itaque Cod. Petrenſem, qui omittit *eſt*, cum Bentl. ſequimur.

lin. 7. *vah*, quod poſt *video* vulgo ingeſtum legitur, omittimus cum Bentl. Neque enim hic eius vis eſt opportuna, & verſus afficitur.

lin. 12. *Quod.* Vulgo *quid.* Nos praeferimus lectionem

Priſciani L. XVIII; cf. Ph. V, 8, 19 ſq. Eun. V, 5, 1.

lin. 16. *De pſ. hac.* Quidam Mſſ. *hic*, quod forſan verius; ut mox v. 7. Heaut. II, 2, 22. Hec. III, 3, 52. Bentl. ex uno Cod. dedit *hoc.*

lin. 17. *pater is.* Guyetus mavult *id.*

pag. 59. lin. 1. *an quid.* Sic Bemb. Al. *quidquam.*

lin. 12. Vulgo legitur *menſis hic decimus eſt*, & ſic citat Lactant. ad Theb. I. Sed Bentl. expungit *hic*, quod verſus reſpuit, nec ſenſus deſiderat.

pag. 61 lin. 7. *ius*, quod melius, quam aliorum *vis*, quae duae voces in Mſſ. ſaepiſſime permiſcentur.

lin. 12. *parvolis.* Sic Bemb. Al. male *parvoli.*

pag. 62 lin. 1. D. *fratrem conveniam, Hegio.* Nil aliud certe reſpondere poterat, quippe cum filius natu maior eſſet in poteſtate patria Micionis. Abſurde igitur vulg. aſſuit verſum a librario quodam ex Ph. III, 3 (al. II, 3, 4) 21 *Id quod mihi de hac re dederit conſilium, id ſequar;* quem uti Mur. h. l. alienum pridem ſapienter monuit: ita nec agnoſcit Cod. Bemb. a prima manu, nec Don. legiſſe videtur. Ceteri Mſſ. habent; unde apparet, quam ſit unus Bemb. illis omnibus praeſtantior. Nos expungere omnino non dubitamus.

pag. 64 lin. 5. *nunc cum maxume.* Sic e Bemb. & Vatic. dedit Faern. ut Phorm. I, 4, 27. Heaut. IV, 1, 40. Cic. pro Cluent. 5. Sed alii libri *hunc autem max.* l. *nunc autem max.* l. *nunc eum max.* l. *nunc eum cum max.* Neque nos in vario metro contra audemus. Hos verſus enim trochaicos ſtatuunt. Nos τ. *nunc* ex *hunc*, & hoc ex gloſſa ortum ſuſpicamur. Sic prodit octon. Iamb.

pag. 65 lin. 3. *Miſere nimis ut coepi, cupio* &c. Ed. Arg. & al. *mi Syre, nimis cupio ut coepi* &c.

lin. 5. Alii huic verſui praeter metrum addunt *prope eſt*, quod cum Eraſmo ſequenti praemittimus.

lin. 7. Vulg. *prius* huic verſui praemittitur, qui ſic totus aberrat a metro: cui ut mederemur porro fecimus *revortier* pro *revorti.* Sic, non opus vi, quam alii inferunt.

lin. 13. *nihilne in mentem?* Sic Don. legiſſe vide-

tur, et Faerno placet. Sed Bemb. *in mentem eſt*, quod Plautinum. Al. *in mente eſt.* cf. ad Heaut. V, 4, 9.

pag. 66 lin. 5 *ſervit* a *ſervo*, *vi*, *ere*. Al. *ſervet*.

lin. 13. Ed. noſtra vetus Arg. C. *Paterne*. S. *ipſus*. Bene inſerit Bentl. ex Ph. I, 3, 26 *is ipſus*; quod et metrum poſcit. Al. minus bene C. *Pater eſt*? S. *ipſu' eſt*. Al. peius: *pater adeſt*? S. *ipſus*. Quorſum enim illud *adeſt*? Et in ſubita re rectius omittitur *eſt*, quod iam praeceſſit in illo: *quidnam eſt*.

lin. 19. Vulg. *Nae ego homo ſum inf.* &c. Sed ſic verſus iuſto longior; eoque eiecit Bentl. *Io ſum*, quod retinendum videtur. Sed *homo* in Mſſ. et edd. priſcis locum mutat, in duobus ap. Bentl. abeſt. Itaque hoc aliunde ingeſtum potius abſit. Sic et Eun. II, 2, 13 *At ego infelix--poſſum*; et paſſim *infelix* ſimpliciter dicitur, infra IV, 5, 33. et Hec. III, 6, 1.

pag. 67. lin. 4. *quid eſt*? Sic Bemb. cett. Faerniani et ed. priſca etiam noſtra. Vulg. *quid ais*? Nihil vero narravit. Al. *agis*.

pag. 70. lin. 12. *hac deorſum*. Al. male *hanc*; et v. ſq. *ſurſum* praeter metrum.

pag. 72. lin, 5. *odioſe ceſſat*. Bentl. mavult *otioſus*, uti Eun. IV, 6, 16. Vett. edd. *otioſe*.

pag. 73. lin. 6. *expoſtules*. Omnes ante Faernum legebant male *expoſtulant*; in qua mendoſa lectione ipſe ſe torquet Don. ut recentiores taceamus. Sed Faernus ex Bemb. verum reſtituit, ut mirari oporteat, cur in obſcura et falſa lectione haerere malint plerique editt. Heinſ. Dacieria, Weſterh.

lin. 8. *agiſne gratias*? Vulg. *agis gr.* cui Weſterh. et Bentl. ſignum rogandi addidere recte. Id enim innuit Don. Sed et metrum poſcebat *agiſne gr.*

lin. 15 ſq. Sic Bentl. e Cod. Mead. reddidit rectius, quam vulg. *fratrem eius eſſe et illam pſ.*

lin. 17. ſqq. Hos verſus, qui ſequuntur, multa exemplaria non habere teſtatur Don. eoque Guyet. quatuor ſqq. expungit. Sed Bemb. habet.

pag. 74. lin. 6. *laedier*. Vulgo *negligi*; et ſic Codd.

et editi plerique. Sed Don. ſ. quiſquis ſit, obſervat: Legitur et *claudere* et *claudicare*. Sed haec lectio ſane claudicat. Cod. Bemb. vero habet *claudier*, unde Faern. fecit *calvier*, antique pro *decipi*. Quamvis autem ei accedant Lindenbr. H. Iunius, Pareus, T. Faber et Dacieria, haud tamen probamus verbum, quod hac in re non ſatis aptum videtur. Non enim ob impotentiam decipimur, ſed facilius laedimur. Potentes vero magis decipiendi veniunt. Bentl. vero ex eodem *claudier*, ſ. quae antiquior ſcriptura fuerit *cludier*, facile reperit *ludier*; quod non magnam vim habet, cum ante de *contumeliis* ſ. *iniuriis* dixerit, quibus magis *laedimur*, quam *ludimur*. Et *laeſi* placandi ſunt purgatione.

ad Act. IV. Sc. 5. Verſus priores ſeptem huius Scenae, miſere turbatos ab editt. nos, partim cum Heinſio, alia ratione facilius ordinamus in Iambicos, qui tamen, quae hodie eſt vulgata, non omnes aſſurgunt in octonarios.

lin. 15. *quid de me*. Al. *quid me*, praeter metrum.

lin. 17. *obſtupuit*. Al. amant *obſtipuit*.

lin. 19. *nihil conſili quidquam poteſt*. Vulg. *nihil conſilii quit*. Sed vet. Cod. ap. Lindenbr. *conſilii quid poteſt*; unde noſtrum, quod et Heinſ. agnoſcit, ad ſermonem Aeſchini, & rationes metri aptius. *το nihil--quidquam* eſt moris Ter. et ſaepicule in Mſſ. *quidquam* decurtatum reperitur.

pag. 75. lin. 1. *turba tanta? tanta n. ſ.* Al. ſemel *tanta* legunt. Faern. ſignum rogandi poſuit poſt *tanta*. Alii ſqq. iungunt. Nos malumus id repetitum a poeta credere; et ſic octonarius poſcit. Simile habes Sc. ſq. v. 53.

lin. 5. *id anus fecit indicium mihi*. Al. *id anus mihi indicium fecit*; Heinſ. *anus indicium id fecit mihi*. Nos ſequimur ordinem, quem et Weſterh. recepit, et verſui aptiorem quiſque ſentiat.

lin. 13. Al. *nobis* poſt *verba*, quod non eſt in Bemb. ſed a gloſſa.

lin. 17. *reprehendi.* Sic meliores ſcripti et edd. interque hos Eraſmi princeps, Steph. Ald. Faern. Lindenbr. Dacier. Weſterh. et Bentl. Al. vero ſcripti et editi, interque hos Tarviſ. Arg. c. figg. Genev. in Corp. poet. 1611. Heinſius *reppreſſi* l. *repreſſi* (ut Heaut. I, 2, 25 et Hec. V, 1, 39) eadem ſententia. Cic. ad Attic. XIII, 1 *Sed me ipſe revoco.*

pag. 76. lin. 1. *dicamne.* Al. *dicam.*

lin. 3. *iam mitto.* Vulgo *age m.* quod in his ambagibus ineptum videatur. Sed Mſ. Bemb.-- *ac mitto*, et Victor. *efferri amitto*; unde noſtrum facilius elicitur. Al. quoque *omitto* ſcil. dubitare. cf. infra ſc. 8.

lin. 5. *Ipſum id.* Malimus *ipſum illud.* Sed trochaicos hos et iam priores duos eſſe iubent magiſtri. Neque eos amplius tangamus.

lin. 11. *Ut erat geſta.* Sic plerique Mſſ. et edd. priſc. Sed Don. legens *utut*, h. e. ſ. bene ſ. male geſta erat, quoquo modo. Verum id parum verbo h. l. quadrat. Narramus rem, ut geſta eſt. Quando autem *utut* ſuo loco ponatur, vid. Heaut. I, 2, 26. Ph. III, 4, 4, et 5, 46. Plaut. Bacch. V, 2, 73. Tandem cf. Gron. obſſ. L. III, c. 6 extr.

pag. 77. lin. 1. ſq. *occipio miſer.* Sic Victor. aliique habent; ac Riv. et Faern. volunt. Sed Bemb. legit *miſer fores*; alii ſcripti et ed. noſtra vetus *fores miſ.* e qua inconſtantia colligi poteſt, denuo additum eſſe *fores* a gloſſa.

pag. 79. lin. 4. *Opinor.* Sic ed. noſtra 1496. Fr. Fabr. Heinſ. Dacier. et ipſe Ter. Andr. V, 4, 26 Al. *Ut opinor*; in quo emendando fruſtra laborant Weſterh. et Bentl.

pag. 81. lin. 5. *qui illi conſ.* Sic plures Mſſ. et editi vett. (inter quos noſtra Arg.) et recc. itemque Don. qui tamen et legi dicit *illam*; quod ferri nequit. At Bemb. habet *illa*, unde Guyet. fecit *illa cum ſuevit.* Multi praeter metrum legunt *cum illa conſ.*

lin. 7. *praeſentem.* Sic bene Bentl. emendat vulg.

praeſenti (quod perplexum eſt) praeeunte Serv. ad Virg.

lin. 13. ſq. *huc Illinc*. Sic Mſſ. multi; et habent Ald. Eraſm. Faern. cet. Sed alii Mſſ. et ipſe Don. legunt *hinc illinc*, quaſi proverbialiter dictum; quod nobis placet.

pag. 82. lin. 3. *Ridiculum*. Don. legit *ridicule*, idque vocativum eſſe vult. Idem habet ed. Arg. 1496. Eraſm. adverbialiter *ridicule*. Sed leve eſt.

pag. 83 lin. 7. *quam te non ius f.* &c. Sic Bemb. Alii *ius non erat* l. *fuerat*.

lin. 9. Alii ſemel *magnum* dant; ſed duplex poſci a metro vidit Faern. & Muret. reſtituit, quem & ſequuntur Dacier. Weſterh. & Bentl. cf. ſupra ſc. 5, v. 5.

pag. 84 lin. 7. Al. poſt *uxorem* intrudunt *hanc*.

lin. 17. Al. omittunt *ego*. Bentl. id reſtituit.

pag. 89. lin. 3. *gratiis*. Vulg. a Faern. *at gratiis*; antea *vel gratis*. Sed ut iam Bentl. notavit, Plautus ac Ter. nunquam dicunt *gratis*, ſed triſyllabo iſto utuntur, cf. Ph. III, 5 (al. 2) 15. Tum Cod. Bemb. neque *at*, neque *vel* habet.

pag. 90 lin. 1. Geminatum *probe* ſub perſona Demeae ex Cod. Bemb. Faernus edidit. Alii omittunt, & ſic metrum corrumpunt. Neque Bentl. audiendus eſt, qui dedit *Et tute* &c.

pag. 92 lin. 5. *Ohe iam ! tu*. Sic Bemb. ed. noſtra c. figg. & Faernus diſtinxit poſt *iam;* alii ante *iam*. Eraſmus legebat *Eho iam tu*. Al. denique Mſſ. habent *Oh iam* &c. quod fere nobis placeret prae vulg. ut repetat illud *oh* Demeae.

pag. 93 lin. 1. Bentl. *exemplo*. Bemb. ſcil. *exempla*.

lin. 6. *potaſti*. Sic Faern. Bentl. & Weſterh. e Codd. Sed Don. legens *potaſtis* id vult oratorie dictum. Error ortus ex ſeq. litera.

pag. 94 lin. 1. *paululus*. Sic e Bemb. monente Victorio dedit Bentl. pro vulg. *parvulus*. Liv. XXXV, 11 *homines paululi & graciles*.

lin. 16. *ut dixi*. Vulg. *ita ut d.* Nos cum aliis omittimus *ita*, quod metro repugnat.

pag. 96 lin. 3. *ilicet.* Sic Cod. Bemb. Serv. ad Virg. Aen. II, 424. quibus ſe opponens magnus ille corrector vel corruptor Bentleius propugnat, quod alii mendoſe habent praeterque ſenſum *ſcilicet.* Neque enim convenire *ilicet*, quod deſperantis ſit, in Micionem. At audiamus Donatum ad Ph. I, 4, 32 *Ilicet ſemper finem rei ſignificat.* Hinc ſaepe in re deſperata dicitur.

pag. 98 lin. 1. *duo.* Ita Serv. ad Virg. Aen. I, 285, & Chariſ. ediditque Faern. Al. praeter metrum *duos.*

ibid. *tollebas.* Faern. haud bene coniecit, & Dacieria recepit *tolerabas*, quod dicitur de adultis. Adultum Aeſchinum *tolerabat* ſ. alebat Micio.

lin. 4 *rationem ant. ini.* Vulgo *rationem ant. obtine.* Falſum ſane h. l. verbum, quod verſum afficit, idem dicit ac *conſerva*, & mox iniucunde repetitum foret. Ingeſtum vero aliunde, quod *antiquum obtinere* Terentio communiter dictum ſit. Sed Micio h. l. iubet Demeam redire ad antiquam rationem de duobus alendis, eamque ſervare, cum inde ab adoptione unus ex eius cura tranſiſſet. Male proinde alii 7. *conſerva* coniunxerunt ſqq. Quid enim ſic intereſſet inter *conſerva* & *parce.* Quaerenda vero prius ſunt, quae parcantur ſ. conſerventur.

lin. 6. *obtine.* Male Bentl. id h. l. expunxit, quod v. 26 corrigendum erat, & ſubdens *tibi* (quod eſt a gloſſa) ex ſuis Mſſ. hoc trahit ad *relinquas.*

pag. 99. lin. 6. Ita Don. Sed Bemb. habet *quae ego ineſſe illis v.* Al.--*ego in illis eſſe* l. *eſſe in illis* &c.

pag. 100. lin. 11. *ſubvortant.* Alii legunt *ſubvortat.*

lin. 13. *tempus eſt.* Vulg. praeter metrum *fert.* Noſtrum eſt ex Heaut. III, 5, 54. Hec. IV, 2, 21. &c.

lin. 15. *Cum primo lucu.* Sic Don. Bemb. noſtraque vetus &c. uti *noctu*, *diu*, & illud ap. Varr. de L. L. IV, 19 extr. *noctu lucu* h. e. interdiu & noctu. Sed Bentl. incertum magis reſcribit *luci;* quod Gron. ad Plaut. tuetur Caſin. IV, 2, 7. Merc. II, 1, 31; Ciſtell. II, 1, 49. Pauciores legunt *cum prima luce.* Sed porro legitur vulgo--*ibo hinc.* M. *immo de n. c.* Faernus vero,

auctore Bemb. Cod. omiſit *immo*, ne verſus ſenarium excedat. Sed alii Codd. omittunt potius *ibo hinc*, (quod omnino a gloſſa videtur) & retinent *immo*; quos cum Bentl. ſequimur; & credimus interruptum Demeae ardorem per iocum Micionis.

pag. 101 lin. 13. *cogam*. Vulg. *cogas*, quod non convenit cum τὸ *equidem*, verſumque interficit. Noſtrum e Bemb. Vatic. aliiſque voluit Faern. deditque Bentl.

lin. 15. *iſto*. Alii male *iſtoc*.

lin. 17. Reddimus verſum ex Bemb. Vatic. & Baſilic. &c. ed. 1469. cum Dacieria & Bentl. Alii interpolatum habent, ut ſit octonarius: --- *& cui rei opus eſt, hilarem hunc ſ. d.*

pag. 102 lin. 4. *ſuat*. Vulgo *ſuit*; male. Sic enim dein dicendum *apportaret*, *moneret*. Noſtrum invenit Bentl. quod & eſt Hec. IV, 3, 4. ap. Virg. & Plaut. paſſim. Hic quidem Capt. II, 3, 71 *Nec quiſquam tam audax ſuat homo* &c.

pag. 103 lin. 1. *Prope decurſo ſp.* Sic Priſc. inſt. Gr. L. VIII, XI & XVIII quinquies citat, & Plaut. habet Merc. III, 2, 4. Stich. I, 2, 14, aliique. Vulg. libri ſcripti, qui hodie ſunt, & editi praeter Bentl. *prope iam excurſo ſp. Excurrere* latinis dicitur abſolute; non tranſitive. Erat fere ſeptuagenarius, maior ſcil. Micione, annos nato 65.

pag. 105 lin. 7. *iam experiar*. Vulg. pluraliter *experiamur*, quod Don. comicum eſſe vult; ſed unus Pal. ap. Pareum, & unus reg. ap. Bentl. habent *experiar*, quo metrum melius procedit.

pag. 107 lin. 14. *nimi'*. Subtraximus τὸ *s*, ut verſui melius conſuleremus, quam alii; quod iam paſſim fecimus in modum antiqui ſermonis.

pag. 109 lin. 3. Vulg. *Adducet, & ſumptum admittet multa : q. m.* Faern. ex Bemb. *Adducet, ſumptum amittet: multa* &c. Sed ed. noſtra vet. *Adducet, & ad ſumptum admittet multa.*

lin. 5. Sumus audentiores, ut vulgatam diruamus, metro quoque adverſariam, ac reſcribamus *ubi nunc*

item, quo ſq. verſum conciliemus. In hoc enim haerent Don. & ab eo omnes interpp. neque quiſquam Criticorum invenit, quomodo hanc crucem effugiat, aut Babylonem illum retineat. Quare Guyet. duos verſus 16 & 17 pro more ſuo expungit; Boeclerus ſolum v. 17. Sed omnes ſcripti habent, & ipſe Don. qui, l. quiſquis ille ſit, adeo incertus eſt h. l. interpres, ut nil niſi nugas vendat, quas aliorumque ſomnia mittimus. Bentl. quidem formulam *iube nunc iam*, tamquam ab inſultante Demea ſeorſim dictam, ex Plaut. Moſtel. III, 1, 70 defendit. Verum ea h. l. neque ſenſui, neque metro apta. Dixerat haec omnia ſenex, antequam Syrum ipſum iubet. Aeſchinum vero etiam ſerius rogat: *quid tu ais?* Nemini igitur dicere potuit *iube;* idque quocunque referas, inepte fit. Ceterum ad v. 17 Faern. notat: *Bembino libro hic finienti plura folia deficiunt.*

lin. 9. *illac.* Sic Iunt. Ald. & R. Steph. dedere. Vulg. legunt *illas*, & traiectionem tuentur ex Hec. IV, 4, 64.

pag. 110. lin. 2. *hac.* Sic Mſ. reg. & vett. Codd. ap. Lindenbr. & Bentl. Sed hic ſic ordinat ex ſuis *hac nunc duci per viam*, quae ipſa erat ſcena.

lin. 8. *ubi is.* Vulg. *ubi is eſt*, e quo cum redundet verſus, alii, ut Dacieria, *ubi eſt.* Atque dicturum fuiſſe credimus plenius illud, niſi ipſo ſtatim viſo oratio mutanda ſit. Illud *eſt* igitur a gloſſa fuerit.

pag. 113. lin. 8. *omittitis.* Al. praeter perſonas et metrum *omittis.*

pag. 115. lin. 1. D. *merito tuo te amo.* Quod alii Aeſchino quoque tribuunt, nos cum R. Steph. Demeae; addimuſque cum Bentl. *tuo*, quod vulgo abeſt, et a metro poſcitur. In ceteris ordinandis Bentl. abſone facit a perſonis.

lin. 2. *confice.* Vulg. *confit*; unde parum ſcite interpp. verba haec in medio ſermonis ardore ſecum et averſum dixiſſe volunt. Neque alii ſubveniunt in melius, qui faciunt *hoc cum fit q. v.* Nos vero credimus, his verbis Demeam exorare fratrem, ut con-

ficiat, quod velit, quod reſtet; cf. Phorm. V, 6, 3. Sic omnia prona.

lin. 3. M. *Quid nunc?* Vulg. haec Demeae adduntur, tamquam continuo loquatur. Bentl. Micioni tribuit *Quid nunc? quid reſtat?* illa recte; male vero fecit *quid*, et haec rectius Demeae reddimus.

lin. 19. ſqq. Tres ſqq. verſus Bentl. ſic ordinavit melius, quam vulg.

pag. 119. lin. 1. *Prolubium.* Sic meliores ſcripti et Don. A Servio ad Virg. Aen. III, 217 in alios Ter. libros venit *proluvium.* Sed voci auctoritas deeſt.

lin. 7. Bentl. *Sed aſſent. atque ind. et larg.*

pag. 120. lin. 7. Bentl. ex ingenio dedit--*corrigere quem, obſ. in loco;* ne verſus exſuperet.

pag. 121. lin. 3. *iſtuc recte.* Al. ſatis inepte dictum ab Aeſchino volunt. Rectius id Don. Micioni ipſi tribuit; qui *iſtuc recte*, non, ut cetera olim, a Demea fieri dixerit. Similes ſenſus prodidit I, 2, 39 ſqq.

AD PHORMIONEM.

PAg. 129. lin. 1. *ſcripſit.* Alios legiſſe *fecit*, teſtatur Don. ſ. quiſquis eſt. Alias quidem bonum, ſed h. l. illud regerere voluit Ter. & ſic quoque eſt Eun. prol. v. 10. Parum acute Bentl. praetulit *fecit.*

poſt lin. 7. Quem ex prol. Andriae v. 3 ingeſtum a ſciolo huc habebant edd. *Et magis placerent, quas feciſſet fabulas;* is abeſt ab antiquiſſimis Mſſ. Bemb. Vatic. & Victor. & pridem a Faerno, ut ſpurius, Donato praeteritus, nec antecedenti aptus, recte expunctus. Attamen ſunt, qui retineant.

pag. 131 lin. 1. An recte Bentl. a Don. ſibi perſuaderi paſſus, ut ederet *Epidicazomenen?* quod iam ed. Ven. 1490. noſtraque c. ſigg. & Mſ. Mark. ap. Weſterh. habent. Nos certe malumus cum ipſo Ter. quem erraſſe ait Don. l. cum illius melioribus Codd. & edd.

errare, & retinere, quod vulgatum eſt. vid. Ind.

lin. 2. Vulg. *Graeci*, *Latini Ph. nominant.* Nos ſequimur Bentl. codice vetuſtiſſimo & uno Mead. tum re ipſa nixum. Neque enim Latini nominabant, antequam edita fuerat; & Plaut. ubique utitur hac in re abverbiis *Graece*, *Latine;* v. g. Poen. prol. 53. Mil. II, 1, 8.

lin. 4. *geretur.* Al. *agetur.* Nos ſequimur meliores.

pag. 133 lin. 7. *comperſit.* Al. *comparſit*, ut Feſtus laudat. Sed & Bemb. & Nonius v. *genium* habent *comperſit.* a *comparco.*

pag. 135. lin. 10. *ſimus.* Al. cum Don. *ſim.* Sed meliores codd. & edd. ſequimur.

pag. 138 lin. 1. ſq. *Venere--calces.* Male vulgo haec tribuuntur Davo, quaſi interloquenti. Sed id in Getam melius convenire ſenſit Don. qui dicit: *hoc dictum & ſuperioris perſonae eſſe poteſt, & alterius.* Nos Getae reddimus ſua, in quibus, cum Davo tribuantur, mox haerent interpp. Alii enim *nam quae* verterunt in *namque*, in quo Priſcianum ſequuntur magis, quam Don. tum deſiderant infinitivum poſt *inſcitia eſt;* inde proverbii Graeci memores, πρὸς κέντρον λακτίζειν, quo uſi Aeſchyl. Eurip. Pindar. &c. (cf. Act. Apoſt. IX, 5) ellipſin ſumunt, & intelligunt *iactare.* Iuſto durior haec ellipſis viſa Adr. Turnebo; ſed nec is rem ſatis expediviſſe videtur aliis, *calces* verbum, haud nomen putans, hinc exponens: *Adeo es inſcitus & ſtultus, ut contra ſtimulum calcaturus* h. e. *calcitraturus ſis.* Sed quis ſic non deſideret *ut* ante *ad. ſtim. calc.* Haud igitur illi accedunt interpp. Nos duo facimus haec, quae in mentem venere Getae. cf. not. ad h. l. Si iſta Davus dixiſſet, nonne Geta vel verbulo *recte* ei acceſſiſſet, quod h. l. non fit.

pag. 140 lin. 3. Bentl. cum Priſciano ſapere maluit, quam cum Cicer. Sall. Livio, Nepote; fruſtraque correxit *viſa eſt*, quod & pauci ſcripti habent. Exempla, quibus vulgata approbetur, pueris nota ſunt.

pag. 142 lin. 2. *illa enim negat.* Male ex gloſſa in

Codd. irrepſit *ſe* poſt *enim ;* quo ſenarius interficitur. Et fruſtra ſunt, qui id retinendo metrum excuſant. Frequentius pronomen omittitur, quam ipſum verbum. cf. Andr. II, 2, 21 &c. utrumque ſaepiſſime omittitur. Eun. II, 1, 5 & 4, 25 &c.

lin. 10. *Ille.* Al. contra metrum & Cod. Bemb. *illene*, quod e gloſſa ſit.

pag. 144 lin. 3. *Perſuaſum eſt.* Sic e Bemb. Faernus & poſcit tenor, quo fluunt ſqq. Weſterh. cum aliis male *perſuaſit.*

pag. 145 lin. 3. *amitte.* Al. *omitte.* Illud ferimus.

lin. 5. *addat.* Al. *addit.* Noſtrum poſcit oratio, *qui--oret--addat.*

pag. 146. ad Act. II. Sc. 1. Contra omnem artificii ſcenici, eiuſque Terentiani intelligentiam, editores inde certe ab Eraſmo duas priores ſcenas huius Actus addunt Actui I, & ſecundum demum ordiuntur, ubi nobis Actus III initium. Nos ſequimur rem ipſam & Don. qui edicit: *Primus Actus eſt in colloquio Davi & Getae, per quos diſcet populus argumentum. Secundi Actus tenor continet adventum Senis turbulentum, & eiuſdem iurgium adverſus Getam & Phaedriam.* Ac ſane iam ſcena eſt vacua utriuſque diſceſſu. Scenae vero ſqq. ita coniunctae ſunt turbulento adventu ſenis, ut nullo inter illas & hunc intervallo locus ſit; quod cuiuſque finis docebit. Noſtra quoque ed. vetus c. figg. recte ab hac ſcena Actum II orditur. Bentl. talia videre non ſolet; ſed miramur, quod Dacieria hoc non viderit.

pag. 147 lin. 2. *adventi.* Sic Don. & Priſc. legunt. Sed Cod. Bemb. *adventus.*

pag. 149 lin. 3. *ni unum deſit.* Al. *unum hoc deſ.* Sed 7, *hoc* non agnoſcunt Codd. Bemb. Victor. &c. neque Eugr.

lin. 5. *Quod ſi.* Don. legit *Et ſi ;* al. *quid? ſi.* Nos meliorum lectionem ſervamus.

lin. 13. *Retinere amorem, an mittere.* Vulg. abſurde habet *retinere, amare, amittere,* et ſic Codd. Bentl. ultimum corrigit *an mittere.* Sed priora nemo correxit.

Quid vero Phaedria *retinere* poterat ? Certe non amicam, quam nondum habebat, neque *mittere*, neque *amittere* poterat; ſed *amorem*. Sic Cic. de amic. 72 *Retinent caritatem in paſtores, quos patres eſſe duxerunt.* Et quomodo diverſa ſunt, *retinere, amare* ? Pariter de ſe Ant. mox duo diverſa facit, uti infra III, 5, 22.

pag. 150. lin. 1. Bentl. male ſapit mutando *eius* in *ius*. Mittendi ius non eſt h. l.

lin. 5 ſq. Faern. dedit *quam hic nunc mihi nuntiet rem.* Alii aliter. Nos ſequimur Codd. et rationem Bentl. quibuſcum congruit ed. noſtra vetus.

lin. 9. *niſi iam aliquod* &c. Sic Faern. ex Codd. ſuis et Donato correxit, ordinavit. Sed Bentl. cum Priſciano ſibi non conſtans edidit *niſi aliquod iam conſ. cel. repereris.* Variant Codd. et edd. ſed nemo praeter Bentl. omiſit *tibi.* Multa is refingit, quae mittere malumus.

lin. 11. Al. minus apte: *Ita nunc imp. ſubito.*

ibid. *te impendent.* Bentl. facit *in me.* Apud Don. quidem h. l. nota legitur: *hic tranſitum fecit ad primam perſ.* Sed haec nota potius ad v. ſq. pertineat; cf. Plaut. Epid. I, 1, 75 ſq. et aeque facile ſit legere *in te.*

pag. 151 lin. 1 ſq. Verſui huic vulgo ſubiicitur alius, quem cum ex Andr. I, 3, 3 primum margini adſcriptum, dein textui male ingeſtum viderit quiſque ſapientior, tandem omittimus: *Quae ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſum dabunt.* Ibi Davus per *herum* ſignificabat *iuniorem*, ſed ipſe Geta mox *herum* dicit *ſenem*, qui adſit.

pag. 152. lin. 1. *convaſaſſem.* Sic legunt et Don. figuratum dicens, a colligendis vaſis, et Nonius, qui exponit: *furtim collegiſſem.* Sed hoc Bentleio non ex vero videtur. Et eſt in Cod. Bemb. Baſilic. &c. *convaſiſſem*; unde alii *conraſiſſem*, quod haud ineptum fuerit; cf. Ph. I, 1, 6. et Ad. II, 4, 34. Fugitivi ſolent aliquid auferre. Eun. IV, 3, 19.

lin. 2. *protinam.* Sic ex Don. Nigidium laudante,

et Feſto reſcribit; quomodo et Plaut. antique pro *protinus.*

lin. 18. *hem!* Vulgo hoc male tribuunt Getae. Nos cum Bentl. ſequimur Don. qui ex propria cuiusque perſona, Antiphonis ex praeſagio metuentis illud *occidi*, hoc Phaedriae antea ſecuri, haec dicta obſervat. Et ſane concinunt *occidi--quid agam*? et *hem--quid ais*?

pag. 154 lin. 11. *ſaevidicis dictis.* Al. contra metrum *ſaevis dictis.*

pag. 155. lin. 4 ſq. *Ant. mane, mane*, &c. Fruſtra Faern. delet prius *mane*, quod abſit in Cod. Bemb. et Vat. Sed quam ſaepe factum a librariis, ut in parium ſyllabarum vocumque concurſu alteram omiſerint. Et requiritur duplex *mane* ab illo *inquam*. Bentl. ipſi accedit et ſatis pro imperio edicit, *quo* non pati ſynaloepham; ſed vide Hec. III, 7, 45.

pag. 157. lin. 2. *in inſidiis.* Retinemus Donati, Priſc. et meliorum Codd. et edd. lectionem. Al. Codd. ipſeque Bentl. praeferunt *in ſubſidiis. Subſidium* quidem, (ut Fronto de diff. voc. ait) *eſt, quod ſubeſt deficientibus.* Sic Tac. H. II, 24 extr. *ſuper hos--mille equites, cumulus proſperis, aut ſubſidium laborantibus ducebantur.* Sed ſic neque plurali opus eſt, neque illud *in* bene iungitur.

lin. 3. *deficias.* Sic Bemb. cett. Probat Faern. rec. Bentl.

pag. 159 lin. 1. *placet.* Alii, neſcimus quam bene, *places.* Getam cum Phaedria loqui credimus.

lin. 14. Sic manifeſto legendum cum Cic. qui Tuſc. III, 14 ſex hos verſus 11--16 laudat; cum vulgo edatur *Per damna, exſilia p. r. ſemper cogites.* Illud *exſilia* male ex Eurip. verſibus, ab eodem Cic. l. c. converſis, male h. l. irrepſit.

pag. 160. lin. 1 ſq. Reddimus poſt Bentl. hunc verſum cum Cic. verius et pulchrius, quam in libris Terentii legitur et vulgo editur: *Com. e. haec: fieri poſſe: ut ne quid animo ſit novum.* Abundat ſane *fieri poſſe*: quod e gloſſa additum videtur; tum melius reſpondent in lectione Cic. verba Getae v. 20.

lin. 5. *incredibile quantum.* Recte ſic emendat Bentl. quod vulgo eſt *incredibile eſt quantum.* Sic enim mox legendum foret *anteeam.*

lin. 9. Codd. Bemb. Victor. cett. poſt *molendum* habent *eſſe*; pro quo aliis viſum *uſque*, quod utrumque legi teſtatur Don. ſed ap. Lactant. div. Inſt. VII, 27 male praeter metrum iungitur *mol. eſſe uſque in p.* Sic enim verſus excreſcit. Bentl. mavult *mol. eſt in p.*

lin. 15. *Sed tu* &c. Inſerimus *tu*, abſque quo octonarius non procedit. Scribebant *ſet*, unde facile fuit abſorberi *tu*. Antea de ſe ad Ph. dixerat; nunc ipſum monet. Ita ſaepe *Sed ego ceſſo.*

lin. 17. incipiunt ſenarii. Primum plerique turbant, qui legunt: *Phaedriam mei fr.* Sane ipſum nomen redundat.

pag. 161. lin. 7. *an id.* Vulgo *an tu id.* Sed *tu* nec Don. nec Bemb. &c. agnoſcunt; neque id ſatis blandum h. l. ſit.

lin. 10. *Dari in conſp.* Vulgo h. l. inſeritur *mihi*, quo metrum interficitur. Et quis gloſſam deſideret? cf. ap. Cic. de div. I, 20 Ennii v. 14.

lin. 14. *Unum cognoris.* Ellipſis τ*ȣ ſi*, uſitata noſtro, et aliis optimis auctt. cf. Sanct. L. IV, 7 de ellipſi. Faceſſat igitur illud gloſſae inſtar, quo Bentl. textum contaminat *Unum cum noris.*

lin. 15. Verſum ex Aſconio in Cic. Verr. Act. II, 12 corrupte ſic ſe habentem: *Hic in noxa eſt, ille ad defendendam cauſam adeſt*, reſtituimus. Tres enim primarii Codd. Faerni habent *noxia*, ut in ſcena ſuperiori v. 48. Tum *cauſam* addidit ſciolus, qui vim propriam verbi *defendere* h. e. depellere, non vidit. Sed idem ille v. 48 docet, referri debere ad eandem illam noxiam. Hinc iam Bentl. fecit *Cum hic in noxia eſt, ille ad defendendum adeſt.* Nos lenius corrigimus, retrahendo τ*ȣ eſt*, ut non opus ſit, cum illo contorquere metrum.

pag. 173 lin. 8 ſq. Verſum hunc, quem vulgo poſtponunt ſequenti, praeponimus cum Codd. ve-

tuſtioribus, ed. noſtra vet. cett. & Bentl.

lin. 10 ſq. Vulgo huic verſui ſubiungitur alius ad imitationem prioris flagitationis & explendum nomen inepte ingeſtus: Ph. *Nec Stilphonem ipſum ſcire, qui fuerit?* G. *negat.* Sed eum, qui & h. l. abeſt in Cod. regio ap. Bentl. hoc certius ſpurium habemus & expungimus, quod & Dem. infra v. 37 enixe nomen id rogat, velut nondum ſibi auditum, nec credibile eſt, paraſito mendaci tam cito excidiſſe infra v. 38, quod *olim*, cum res ad iudices delata eſſet, dictum erat nomen patris. Quis tandem repetitam illam negationem eiuſdem rei ferat? In priori certe flagitatione ſemel tantum Geta reſpondet.

pag. 174 lin. 1. *malitiae.* Ita Faern. & Bentl. ex Codd. Al. *avaritiae* tuentur.

lin. 7. *cui opera vita erat.* Bentl. temere facit *in opera.*

pag. 175 lin. 1 ſq. *i in malam crucem.* Ita Bemb. quem cum Eraſm. & Bentl. ſequimur potius, quam Don. qui omiſſo *i* adverbialiter dictum putat *in mal. cr.* Alii legendo *abi in* &c. verſum contaminant.

lin. 3. *ni ita eum exiſt.* Sic cum Don. vulgo legitur. Sed Bemb. habet *ni eum eſſe exiſt.* & ſic *eum* pro *eiuſmodi* (ſcil. *optimum*) dicitur.

lin. 4. *voſtram.* Ita Don. legit, habetque liber Bemb. ediditque Faern. &c. Alii, ut Eraſm. Weſterh. & Bentl. malunt *noſtram.* Sed is *inimicitias* ſ. inimicum *capere*, colligere, ſuſcipere dicitur activo ſenſu, qui prior aliis adverſari coepit, lites intendit, non is, cui nolenti quis inimicus fit. Hec. II, 1, 34 *Cum puella anum ſuſcepiſſe inimicitias, non pudet?* Tac. Ann. V, 11--*facilis capeſſendis inimicitiis & foro exercitus*; cf. Andr. IV, 2, 12. Praeterea ineptum fuerit, de ſe uno dicere *noſtram familiam.*

pag. 176 lin. 6. *nunquam ceſſavit dicere* &c. Vulgo ingeſtum legitur *hodie*; quod verſus reſpuit, nec Don. agnoſcit. Omittimus igitur cum ed. noſtra vet. & Bentl.

pag. 178 lin. 3. Aberrant omnes edd. in verbis,

legendo *ego tum ſi* &c. l. *tum cum*, in quo & verſus laborat. Sed Bemb. congruit cum Don. & aperte illud *ſi* eſt a gloſſa, unde *cum ſi* dein corruptum in *tum ſi*, tandem contaminate *tum cum.*

pag. 181 lin. 1. *tuis dignum factis ſ.* Haeret verſus in *tuis*; hinc mallemus *his factis*, quod ſi feceris, *dign. fec. ſ.* dignus eris, ut &c.

pag. 183 lin. 12. Dacieria male hunc verſum, quo ſcena ſq. priori coniungitur, contra Codd. expungit, rem ſcil. exiſtimans ex vulgata, quae a ſc. ſq. Act. III orditur. Nos ſupra cum Don. Act. III a II rectius diviſimus, ac per tres ſcenas continuamus cum ed. noſtra vet.

pag. 184 lin. 5. *pateretur.* Don. legi quoque *potiretur*, idque verbum μέσον eſſe notat. Vulg. tutius.

pag. 185 lin. 2. *iratum ſenem.* Sic e Bemb. Faern. Al. Codd. edd. priſcae, Nonius v. *conſutare*, legunt *patrem.*

lin. 3. *Eu.* Vulgo male *heu.* Nos cum Bentl. formulam laudandi reddimus. cf. ſupra ſc. 2, v. 50.

pag. 188 lin. 2. *impudentem.* Noſtra vetus *imprudentem*, h. e. rerum imperitum; quod Bentl. edidit.

pag. 189 lin. 5 ſq. Verſum hunc ſuſpectum facit Bentl. non advertens, & Graece addi: ἴων ἄλλων ἔχω λόγον, εἴ τι ἔχειν, εἴ τι ἀφεῖναι δύναμαι.

pag. 190 lin. 7. *Obtundis.* Faern. in Codd. Baſil. & Vat. invenerat *obtunde*; hinc Bentl. pro lubitu facit *optume*, ut trochaicus proveniat.

lin. 16. *dignum.* Alii malunt *dignus*, quod figuratum magis putant. In eo igitur ſe oblectent.

pag. 191 lin. 9. *Quoad dares* &c. Vulgo *quam ad.* Sed quod iam Guyet. voluerat ex Plaut. Pſeud. II, 2, 28 *argento haec dies praeſtituta eſt*, quoad *referret nobis*; id Bentl. edidit ex Cod. Petr. cf. ſupra I, 2, 98 *Senem quoad exſpectatis veſtrum.* Noſtra vet. c. figg. habet *qua dares, huic praeconſtituta.*

pag. 193 lin. 5. *adiuverit.* Faern. mavult, exigente verſu (ut ſyll. *iu* brevis fiat) *adiuerit*, quod & probat

Mur. (ut Ennius ap. Cic. de Seneƈt. init. *adiuero*) Don. notat : *Secundum v pronuntiari debet*, adiuverit. Hinc Faern. colligit, non ſcriptum fuiſſe ſecundum v ; ſed quid inde verſui conſulitur, ſi tamen pronuntiandum ſit? Itaque alii legunt ap. Don. *non pron. debet*, quod placet, ne nil dixiſſe credatur Don.

lin. 7. *experimur*. Sic Faern. coniecit, eumque ſequuntur omnes. Sed Bemb. *experiemur*. Al. Codd. & edd. vett. fere omnes *experiamur*.

pag. 194 lin. 6. Bentl. audaƈter pro *crucem* reſcribit *malum*.

pag. 195 lin. 4. Alii haud bene omittunt *hem*.

lin. 5. *Quin igitur* &c. Codd. & edd. mire variant, & Faern. ex Bemb. dedit *Tum ig*. Nos cum Bentl. ſequimur Serv. ad Virg. Aen. IX, 484.

pag. 196 lin. 9 ſq. *o lepidum caput*. Faern. delet *caput*, quod abeſt a Bemb. & verſum aliter ordinat, augetque verbis G. *iam feres*. Neque id malum videtur.

ibid. *aufer te*. Bentl. nil videt, dum edit *auferte*.

pag. 197 lin. 1 ſq. Alii ſubiungunt huic verſui verſum prorſus inutilem, al. praeponunt v. 28. *Ph. Abi vero ; dic , praeſto ut ſit domi*. Faernus vero pridem expunxit, ut ſubdititium ; ut quem neque Bembinus, neque contextus Cod. Viƈtor. agnoſcant.

pag. 200 lin. 1. *Neque--experirier*. Sic legit Priſcian. bis ; idque probant Riv. Heinſ. Bentl. cett. Sic & verſus pulchre ſe habet. Sed Cod. Bemb. habet *Neque adeo defetiſcar unquam exp*. Sic verſus non conſtat. Aliae edd. priſcae, in iiſque noſtra : *Neque def. ego unquam adeo exp*. Quod ſi mutes *unquam* in *uſque*, probemus. *Uſque adeo* noſtro quoque dicitur Andr. IV, 1, 38.

lin. 12. *Ubi Phaedriae* &c. Pronuntiandum *Phaedriaï*, & quod vulgo ſubiicitur *ſe* in verſum ſq. poſt *amicum* inſerendum ; quod cum Bentl. ſequimur, ut uterque verſus procedat.

lin. 18. Al. *ſed quid pertimui autem*? Nos cum Heinſio metri cauſa ſpernimus *ſed*, quod redundat. Sic Eun. V, 8, 5 *Perii quid hoc autem eſt mali ?*

pag. 201 lin. 10. Vulg. *Ad hoſce : o noſter Chremes.* Sed ſequimur cum Bentl. Cod. Bemb. docente & tuente Faerno.

pag. 202 lin. 1. *id cum hoc agebam* &c. Mſ. reg. teſte Dacieria, Chremeti aptius tribuit, quae vulgo Demiphonis faciunt verba. Scil. Chremes, qui filiae cauſa id magis curae habet, etiam promtior eſt ad loquendum.

lin. 2. Metri cauſa *quidem* poſt *id* ex Codd. Vat. Baſilic. & Victor. reſtituimus cum Bentl. Bembinus non habet; hinc Faernus & aſſeclae omiſere.

lin. 4 ſq. *quid, Geta?* Alii & haec verba Demiphoni tribuunt. Nos cum Faerno & Bentl. Bembinum ſequimur.

pag. 203 lin. 8. *eius* Guyetus & Bentl. *ei.*

pag. 204 lin. 5. *at primo.* Alii *a primo.*

ibid. *cedo quid poſtulat?* Alii id tribuunt Chremeti. Sed convenit magis, Demiphonem clamantem id rogare, cuius erat, orbae dotem dare.

lin. 7. Verſum hunc reddimus, quomodo Celſus Gramm. ap. Chariſ. p. 185 laudavit, & ap. quoſdam legi, Don. innuit; voluitque Lud. Carrio, & Bentl. edidit. Vulgo eſt *Quid? nimium? quantum libuit. C. dic* &c. Sed illud *libuit* incertum eſt, & additum videtur a vetere gloſſatore, qui verborum vim non intelligeret. *Nimium quantum* dicitur, ut *immane quantum.*

lin. 9. *immo malum hercle.* Imprecationem hanc, quae vulgo tribuitur Chremi, rectius alii Codd. adſcribunt Demiphoni.

pag. 206 lin. 13. *hoi hei.* Sic Bemb. quem ſequuntur Faern. & Bentl. Vulgo pro *hei* habetur *hui.* *Hei* eſt ingemiſcentis ſ. dolentis; *hui* admirantis; hinc illud convenientius.

lin. 16. Vulgo repetitur *opus eſt;* ut ſit *Supp. opus eſt; opus eſt ſumptu ad n.* Sic verſus claudicat; neque Don. bis legit. Ad verba enim *ſumptu ad n.* ait, *opus eſt* ſubauditur. Itaque ut & cum Don. conſentiamus, & verſus non deficiat, repetimus *tum* ante *ſumptu.*

pag. 207 lin. 1. *ſcribito* &c. Alii hic ingerunt *potius;*

quod cum abſit ab optimis Codd. verſumque impediat, merito eiecit Faern. A gloſſa vero eſt *potius*, ſcil. quam & has decem minas a me accipiat.

lin. 7. *Mea cauſa.* Malimus antiquius & Plautinum *mei cauſa* legere, ita ut *mei* in unam ſyll. coeat.

pag. 209 lin. 2 ſq. Cum priora verba *Huic mandes* legantur & Ad. III, 4, 9, factum eſt, ut quae ibidem ſequuntur, h. l. fere eadem adderentur: *quod quidem recte curatum velis*, & omitterentur in ipſis Mſſ. Bemb. Victor. & Baſil. veriora, quae in cet. libris omnibus in contextu ſunt: *qui te ad ſcopulum e tranquillo auferat;* alii quidem, ut priora illa, ſuperſcripta habeant, alii omittant. Neque Faerno, Bembinum ſecuto, noſtra improbatur, quam Heinſ. & Bentl. praetulere, quod lectio Bembini ταυτολογιαν infert: *Sed quid velis--quod quidem velis.* Et quis non ſentiat, illud *recte curatum* frigidius continuatam ironiam referre, quam in iratiſſimum convenit? Dixerat vero Geta III, 1, 15--*adhuc tranquilla res eſt.* cf. Plaut. Merc. I, 2, 84.

pag. 210. lin. 4. *Inde iſte reddet.* Sic Cod. Bemb. Al. *Id iſte illis reddet.*

lin. 8. *per impluvium.* Guyet. & Bentl. reſcribunt *in impluvium* ex Plaut. Amph. V, 1, 56. cf. Eun. III, 5, 40.

lin. 10 ſq. *ante brumam autem.* Vulgo *vetuit, ante brumam aliquid* (ſ. *quid*) *novi Negoti incipere; quae cauſa eſt iuſt.* Sed antiquiſſimi libri non agnoſcunt *aliquid*, ſed pro eo habent *autem.* Tum vetare, ne quid ante brumam inciperetur, non erat haruſpicis ſ. harioli; ſed homines vulgo nefas ducebant, ante brumam aliquid incipere. Id clariſſime innuit Don. dicens: *Arte irriſit homines Ter. quibus religio ſit, aggredi negotium aliquod diebus decreſcentibus.* Vidit id quoque Bentl. ſed bonus ille medicus medendo ipſum morbum intulit, quo palleat Ter. Cum enim haec diviſiſſet a prioribus, & reddidiſſet *autem*, ſq. verſum deturpat ſic: *Negoti nihil incipere, cauſa eſt ſontica.* Nil certe hariolatus eſt, ſed deliravit. cf. Tibull. I, 9, 51. Nos leniſſime emendamus ad mentem Donati, & ut quam minime abſi-

mus a libris, legendo--*inciperem quid?* l. ſi malis *aliquid?* *cauſa et iuſt.* Ipſa vero rogatio fortius negat.

pag. 211 lin. 13. *& matura.* Sic libri omnes priſci; & Heinſ. edidit. Bentl. *& mature.* Vulgo *at matura.*

. pag. 212 lin. 13 ſq. Male vulgo hunc verſum tribuunt Demiphoni, interrogative editum. Error eſt ab eius nomine prius expreſſo. Nos cum Bentl. Chremeti ſuum reddimus, notamque rogandi tollimus. Ceterum in varietate lectionis ſequimur Bemb. ita ut quod ſuadet Faern. & quidam habent *id ſi non* pro *ſi id non* metri cauſa noſtrum faciamus.

lin. 18. *convenit.* Ita Bemb. Alii *congruit* l. *congruet.* *Congruunt*, qui idem ſentiunt, ad idem tendunt, ſocietate coniuncti; cf. Heaut. III, 1, 91.

pag. 216 lin. 6. *hem, iſti ipſi.* Bentl. ex ſuis Codd. edidit *iſti inquam ipſi.*

lin. 17 ſq. *conciliatam amore.* Vulgo *conlocatam filiam.* *Filiam* in quibuſdam Mſſ. omittitur, & ſubditum a ſciolo, verſuique repugnat. Sed Bemb. habet *conlocatam amari*; unde legendum putat Faernus *conlocatam gnatam*, ut Iambicus ſit tetrameter catal. Nos eundem verſum ſervamus, lenius in noſtrum emendando. Poſcit illud *ut volebam*, ne fruſtra dictum ſit, *amore.* Dixerat ſcil. Sophrona, *ut amans habere poſſet ſine dote.* *Conlocatam* vero *cum aliquo* quis ferat? Rectius *conciliari*, ut *reconciliari, cum quo.* Et eo verbo uſus eſt Plaut. in honeſtis nuptiis Trin. II, 104. & ap. Nep. XXV, 12, 2 dicitur *conciliator nuptiarum.*

pag. 217 lin. 1 *maxume.* Sic Mſ. reg. ap. Lindenbr. & duo ap. Bentl. Al. *ſine cura noſtra maxuma*, quod inſanum eſt. Ceterum Bentleium quis ferat, qui multa nugans probare cupit, verſum hunc eſſe expungendum?

ad Act. V. Sc. 1. Hinc cum Don. ordimur Act. V, quod iam Dacieria auctoritate Mſ. reg. fecerat. Ita certe iubet ratio ſcenica. Scena enim deſerta erat, quum abiiſſet Chr. cum nutrice ad filiam in aedibus Demiphonis viſendam.

pag. 220 lin. 5. *Phormionem.* Suſpecta videtur lec-

tio (cum Phormionem id non ſerio velle probe iam ſciret) hoc magis, quod ſic non patet, quo mox *eiu'* referri debeat. Bentleius, corrector, in peius edidit: *Ne quid vereatur Nauſiſtratam, neque eius orationem.* Si quid audendum ſit contra *Phormionem*; lenius & rectius ei ſubſtituas *Demiphonem*, a quo omnino timere potuit Phanium.

pag. 222 lin. 4. *natum.* Alii *natam.* Sed latinius refertur ad *virum.*

lin. 7 ſq. Vulg. *ne te adol. mul. defatiget.* Noſtrum rectius, e quo verſus proficit, dedit Bentl.

pag. 224 lin. 5 ſq. *nunq. hodie concedes.* Vulgo additur *mihi*; ſed eſt a gloſſa, & redundantem facit verſum; ſi 7. *neque* ſequenti verſui addas, hic laborat.

lin. 7. *perdis.* Sic Bemb. & Victor. ſed alii *pergis*; quod ſi verius ſit, ſignum rogandi addas. Nos illud ſequimur.

pag. 227 lin. 15. *Curavi, propria Ph.* &c. Al. ingerunt *ea*, quod tamen abeſt a Bemb.

ibid. *poteretur.* Sic Bemb. verſuique convenit magis, quam vulg. *potiretur.* Idem legitur ap. Catull. Argonaut. 398. Propert. II, 7, 62. Ovid. Met. XIII, 130; XIV, 641. Val. Flacc. VII, 54 & Auſon. epit. Her. 35, v. 4.

pag. 228 lin. 7. *abſumere.* Ita in antiquiſſimis legi teſtatur Faern. & in ſuis pleriſque Bentl. Vulgo *ſumere.*

lin. 11. *Te ſuas* &c. Ita cum Bemb. legimus. Alii male ordinant: *Te ſuam r. r. u. a. cauſam; ut pro ſe dic.*

lin. 19. *qui.* Ita Faern. ex Bemb. & ratione verſus. Vulgo male *quis.*

pag. 230 lin. 8. *inſtiteris.* Ita ex Codd. Guyeti & Bodlei. cum Bentl. legimus, iubente verſu, pro vulg. *inſtitueris.*

lin. 9--13. Reſtitutos plane tres verſſ. damus, qui in omnibus edd. lacerati, & vulgo hodie ſic leguntur:

G. *Pergis hercle. nunquam tu odio tuo me vinces.* A. *non manes?*

G. *Vapulabis. curialis vernula eſt, qui me vocat.*

A. *Id quidem iam tibi fiet, niſi reſiſtis, verbero.*

Sed v. 1 excedit pede trochaicum octon. catal. & Bemb. habet *pergit*; & ſic plerique ap. Bentl. & tamen Faern. male edidit iuncte *Pergis hercle!* Tum v. 2 Bemb. & Vat. cum Feſto, in nott. iam laudato, legunt *vapula*, quod verius eſt. Hinc Bentl. noviſſime adhibito remedio verſſ. inſtruxit:

G. *Pergin? hercle nunquam hodie odio tu me vinces.* A. *non manes?*

G. *Vapula.* A. *id quidem tibi iam fiet, niſi reſiſtis verbero.*

In primo ſuo verſu id boni habet, ut vocem *hodie* abſumptam *odio* reſtituerit, alterum ad optimos Codd. in quibus eſt Bemb. & Vat. multaſque edd. vet. exegerit; ſed verba *curialis--vocat*, ut a nebulone aliquo illata, expungit, (quae eadem verba iam olim omiſit Eraſm. in ed. ſua princ.) Tantum vero abeſt, ut inſititia ſint verba, ut potius loco mota ſuo haberi debeant. Atque ea invenit Mur. in Cod. Ven. poſt verſum *Vapula--verbero*; quomodo & aliae priſcae edd. in iiſque Tarv. 1481. Ven. 1492 & noſtra Arg. 1499 habent. Neque iis omnino ſublatis eſt, quo referas *familiariorem* v. 12. Itaque ea in locum ſuum revocamus; unde male exciderant. Scil. in primo verſu librarius a voce ſecunda *hercle*, deſciſcens ad alterum *hercle*, quod decimo verſu redibat, verba *curialis-vocat* omiſit; quae viſa cum corrector in margine adſcripſiſſet, dein alieno loco in textum ingeſta ſunt. Repetimus vero vocem *hercle*, iungimuſque ſqq. *nunquam hodie*, quae & alias coniuncta leguntur, ut ap. noſtrum Ad. IV, 2, 12 *Nunquam hercle hodie ego iſtuc committam* tibi. Alias praeterea rationes ordinis verſuum noſtri facile colligent periti.

pag. 232 lin. 4. *domum.* Scil. eo rediturus cum ſervo Demea, illum miſit domum ad Phanium; ipſe vero Chremetis uxorem Nauſiſtratam prius adiit; cf. ſc. 1. Peſſime igitur magnus ille correctòr Bentl. *domum* mutavit in *ad Chremem.*

pag. 233 lin. 5. A. *Quod?* Inepte quidem recentiores Phormioni tribuunt, quod Antiphonis ſcire maxime intereſt; & dein Ant. ac Geta ſibi invicem reſpondent.

pag. 234 lin. 1. A. *Atque hercle.* Inepte vulgo Phormioni adſcribunt, rectius Antiphoni Bentl. Huic enim reſpondet Geta.

ibid. *inaudivi.* Sic legit Don. & dicit de occultis, quae audiuntur. Inaudiverat certe a nutrice uxoris, patrem eſſe civem Athenienſem, qui Lemni conſueverit cum Phanii matre.

lin. 7 ſq. *eius adhibendae dari.* Vulgo *habendae ſe dare.* Sed ſequimur cum Faerno auctoritatem Bembini. Aliique libri & ſcripti & edd. legunt *dari* ſine *ſe;* unde metri cauſa illud verum eſſe credas.

pag. 236 lin. 4. Verſum revocamus hunc primi in locum ſuum; quem alii omnes & ſcripti & editi verſibus 12 & 13 vel orationi Phormionis male, certe ita ut fruſtra adhuc in eo exponendo deſudaverint interpp. collocatum habent. At h. l. ita aptus eſt, ut nulla amplius interpretatione opus ſit.

pag. 237 lin. 1. *verebamini* &c. Sic Bemb. ſine interrogatione melius, quam vulg. *an veremini?* Conſtructio illud poſtulat; cf. Eun. III, 1, 62. Senſus eſt: ridiculum feciſtis, ſi verebamini &c.

lin. 5. Perturbate in omnibus libris hunc verſum inſequitur ille nobis primus. Hinc in eo haeſere interpp. ad unum omnes.

pag. 238 lin. 7. *diſcripſi.* Sic Faern. ex Bemb. reſtituit pro vulg. *perſcripſi.* Cum Bembini lectione congruit interpretatio Don. & quod in aliis Mſſ. eſt *deſcripſi.* Itaque Faernum ſequimur cum Pareo & Bentleio.

pag. 239 lin. 10. Vulgo huic verſui praeponitur *in ius?* quaſi haec verba Phormio cum indignanti rogatione repetiſſet. Verum ſic verſus abundat pede. Itaque ſuadente Faerno cum Bentl. omittimus, quae ad v. 88 male huc accommodata fuere a ſciolo.

pag. 242 lin. 9. *contumeliam.* Sic Bemb. Al. *contumelias.*

pag. 243 lin. 5. *accurre.* Vulgo addunt *huc*, quod non eſt in Bemb. ac Vatic. verſumque afficit.

lin. 16. *exſculpe.* Sic Bemb. aliique multi, verius quam quod ei alii praetulerunt *exclude*, quod ap. Plaut. Pſeud. I, 5, 95 legitur. Noſtra ed. Arg. habet *excute.* Convenit magis ſenibus, mulieribus, pueris *exſculpere.*

pag. 244 lin. 6. *obſtipuiſti.* Vulgo *obticuiſti*; ſed nos Bemb. ſequimur.

pag. 246 lin. 2. *dicis?* quod ex Bemb. reſtituimus pro vulg. *narras*; & ſequitur mox *dicto.*

lin. 12. P. *hoc actum eſt.* Alii id male tribuunt Demiphoni, quos ſequitur Bentl. putans, eſſe formulam alias ſollennem, *perii, actum eſt*; cui quis credat praeponi *hoc*: & ſic melius ea conveniret in ipſum Chremetem. Quae dein iratior iam Nauſiſtrata clamans incuſat coram marito, *an quidq.--ſenes* Bentl. ſuos quoſdam Codd. ſecutus perturbate adſcribit Phormioni, honeſtius putans v. 12 dici ab homine, quam a femina. Neque nos id honeſtius ab illo coram femina dici cenſemus, quam ab ipſa irata. Quomodo ille dicere potuit? *qui* mihi *-fiunt*; cf. ſupra I, 2, 90.

pag. 247 lin. 1. *hoc pol* damus ex Chariſ. pro vulg. *hoc ipſo*, a quo verſus redundat. Bentleius *iſto.*

lin. 8. *Sed, ea quin ſit ign.* Qua formula non intellecta, a vera lectione, quam Bemb. ſervat, deflexere libri ad vulg. *ſed eam, quae ſit ign.*

pag. 248 lin. 7. *qui ſit in hac re ſcr.* Revocamus illud *ſit*, quod Faern. e Bemb. dedit, pro vulgato *fuit.* Quid enim fuerit ſcrup. ante rem palam factam?

lin. 13. *Sed qui ſp.* Sic eſt in Cod. ap. Lindenbr. edid̄itque Bentl. pro vulg. *quid* ſcil. eius *ſp.*

pag. 250 lin. 1 *ſaxo -ſit.* Praeferimus lectionem Bemb. & aliorum Mſſ. pro vulgata *ſaxo tali eum mactatum* &c. quod videtur eſſe a fracta minuſque intellecta gloſſa Donati.

lin. 8. *Singulatim.* Sic Bemb. ceterique meliores. Sed alii vulgo *ſingillatim.*

pag. 252. lin. 1. D. *mulier ſapiens es*, *Nauſ.* Demipho laetus exitu, recte iudicante Bentleio, id dicit, quod vulgo Phormioni tribuunt. Paraſiti certe fuerit, dicere *femina*; neque voce familiariori *mulier* uti.

lin. 3. *Satin' tibi eſt*, *Chreme?* Et id quoque, ſi quid aliud, bene iudicavit Bentl. ad virum, antea reum, dici; idemque interpoſuit, quod vulgo abeſt *Chreme;* & ſic quoque verſus integer fit. Reſpondet igitur non Phormio, (cui vulgo male tribuunt verba *immo-ſpem*) ſed ipſe antea reus, qui pulchrius, quam ſpes fuit, in cauſa hac diſceſſit.

lin. 5. Bentl. ex Cod. reg. edidit *tibi* pro vulg. *tuum.* Illud melius reſpondet τ. *min'.*

AD HECYRAM.

Pag. 265 lin. 13. *cauſam accipite.* Male alii h. l. ex Heaut. prol. 41 ſuperaddunt pronomen *hanc*, quod neque habet Bemb. & reſpuit verſus, exiſtimante Faerno. Scil. *mea* ut monoſyllabum pronuntiatur.

lin. 14. Cave *aliis* corrumpas cum Bentl. in *alias.* Sic enim deforet, quod reſpondeat τ. *mihi.* Verba & *ſcribere*, & *diſcere* referuntur ad *novas*, *pretio emptas meo.*

pag. 266 lin. 4. *paucis.* Sic pro *paucos* ab aliis legi iam obſervat Don. ſuffragante verſu Apollodori Graeco, qui vero in exempl. Donati adeo fracte expreſſus eſt, ut de reſtitutione eius deſperandum ſit. Neque Tan. Fabro, neque Bentl. conata ſatis bene eveniſſe videntur.

pag. 267 lin. 4. *En.* Alii iam pridem & hodie le-

gunt *hem*. Variant enim Codd. & in Comm. Don. duplex eſt obſ. diverſa ſententium. Prior enim dicens : *pronuntia, ut mirantem oſtendas*, legiſſe videtur *hem*; alius dein : *adverbium demonſtrantis eſt*, ut *hem*. Sed videtur potius legendum *en alter*. Bemb. corrupte habet *ex*. Nobis videtur *en* melius convenire in mulierem, quae modo haec audiverat ab ipſa Bacchide, & indignanter id meminit. Illud enim adv. demonſtr. etiam vim habet indignandi.

lin. 5. *miſereas*. Antiqui ſic pro *te miſereat*, ut Ennius in Hecuba ap. Non. VII, 58 *Miſerete anuis* &c. & Ann. 5 *cogebant hoſtes, lacrumantes ut miſererent*. Lucret. III, 894 *Ipſe ſui miſeret*. Congruit certe in anum archaiſmus; quem Faern. ex Cod. Bemb. approbat prae vulg. *miſereat*, omiſſo *te*, quomodo Don. legerat. Al. ingerunt *te*, l. ante l. poſt *cuiuſquam*.

lin. 6. *Quemquem*. Faern. ex Bemb. *quemque*. Noſtrum iubente verſu, & Cledonio teſte p. 1908 rectius cum aliis reſcribimus.

pag. 272 lin. 4. Bemb. *ille ſe primo negare*.

lin. 18. *perdant*. Vulgo editur *perduint*, cum alii ſcripti habeant noſtrum, quod a verſu poſcitur, iudice Faerno. Bentl. male omittit verbum, & contra Bemb. reſcribit *iſtoc*.

p. 273 lin. 1. Vulg. *ut ad p*. Noſtrum iubetur a verſu.

pag. 275 lin. 3. Bona verborum conſtructio, ſimilis fere illi ap. Plaut. Trin. IV, 2, 58 ita diſplicuit Bentl. ut praeter rem & Codd. pro *ad exemplum* daret *ad amuſſim*. Certe ad talia exempla ingenium Critici iſtius exiſtimare licet.

lin. 8. *devictus--victus*. Don. παρόμοιον eſſe dicens in verbis ſic videtur legiſſe, uti & in eius Mſſ. legitur : habentque idem plures Codd. & priſcae edd. Ter. quas ſequuntur Heinſ. Dacier. &c. Alii vero legunt *devinctus*.

pag. 276 lin. 11. *ad matrem*. Sic Bemb. & a prima manu Victor. teſte Faern. reddiditque Bentl. Vulgo alii *a matre*.

pag. 279. lin. 1 ſq. Perinde eſt, quomodo hanc amphiboliam, quae videtur e coniunctis eſſe, exponas, ſive *ſocrus omnes* iniquas eſſe (in nurus), ut Soſt. ait ſc. 3, 4 ſq. ſive *nurus omnes* odium capere ſocruum (ut iniquarum) quomodo Laches mox v. 22 & Soſt. v. 38 verbo utitur. Nulla inde eſt in ſenſu ambiguitas, quam inutiliter quaerunt Don. ad h. l. & Hieron. adv. Iov. & in Mich. Sed quid in Bentleium dicamus, qui hunc verſum (omnibus ita agnitum, ut ex eo credatur fabula nomen inveniſſe; & quem vel ipſa Soſtrata ſc. 3, 4 confitetur) ut ſpurium & ex nota marginali ingeſtum expungit, quod pede deficiat, ambiguitate laboret, & filum orationis interrumpat. Neque ſane ambigua eſt ſententia : & optime congruit cum oratione Lachetis. Bentl. dicit: *omnium mulierum* crimen in commune proferri; male igitur inferri hoc *ſocruum* ſingulare. Atque hoc ipſum non eſt tam ſingulare quam commune omnium mulierum, quae quidem ſocrus ſint; cf. v. 43--45, uti & illud *viris advorſas eſſe* aeque omnium, quae quidem nuptae ſint. Pridem denique verſum explerunt pede, addendo huic verſui *viris*; quam vocem Bentl. ſeq. praeponit, facitque *viris advorſari aeque* &c.

lin. 16. *ſcio.* Bentl. id verbum male addit dictis Soſtratae.

pag. 285. lin. 11. *magnificare.* Eraſmus dedit *magnifacere*, quod h. l. & ap. Plaut. Bentl. praefert ex ſuis.

lin. 14 ſq. *eo domum ſtudeo--redeat.* Sic Faern. edidit ex tribus antiquiſſimis. Alii *ut redeat*; & Bentl. praeterea *haec* vertit in *hanc*, & ſubaudit *redire* l. *revocare.* Ita ille magnus Bentl.

pag. 287 lin. 9. Alii ſcripti & edd. poſt *ſumus* ingerunt *mulieres*; & ſunt, qui vocem a gloſſa inſertam contra verſus trochaici rationem, auctoritatem Bemb. ac iudicium Faerni retineant. Nos hunc cum Bentl. ſequimur.

pag. 289 lin. 3. *Cui quanto* &c. Bentl. metri & affec-

tus cauſa emendat *ah* (quod priori verſui addit) *quanto pr.* uti Andr. II, 1, 8.

ibid. not. 2, col. 2. Loco Plauti excitato, alium eiuſdem Poen. III, 3, 47 addas: *Tu, ſi te Di ament, agere tuam rem, occaſio eſt.*

pag. 291 lin. 15 ſq. Bentl. temere mutat: *ſi vis veram verba ad rationem exigi.* Quis talia ferat?

pag. 295 lin. 6. *certo.* Alii contra antiquiſſimos Codd. *certum.*

lin. 9. *in te ullum* &c. Al. contra Bemb. ordinant *ullum in te*; quod minus concinnum.

pag. 298 lin. 1. Sic Don. legit, & ex Mſſ. ſuis dedit Faern. Conſentiunt ed. Arg. c. figg. & Mſſ. Bentleii. Eraſmus dedit *Tum autem filius intr.* quod & hodie alii, ut Weſterh. male ſequuntur. Immo alii *tum autem fil. tuus intr.* unde verſus redundat.

lin. 9. *remittent.* Plenius Latini: *ſe remittent*; unde abnorme eſt, quod alii & ipſe Bentl. praeferunt *Philumenam*; contra Dónatum monitaque Faerni.

lin. 11. *intervenerit.* Sic Bemb. habet, ediditque Faern. & ſic refer ad *rem.* Al. *intervenit*, quod melius referatur ad ſq. *irae.* Bentl. ſuapte libidine iubet *quae* eſſe neutrum plur. & facit *intervenerint.*

pag. 301 lin. 1. Bentl. pro *me repente* edidit *derepente*; quod certe Donato demum infra IV, 1 obvium eſt.

lin. 11. *intro adveni.* Sic ex Codd. primariis Faern. pro vulg. *introii.*

lin. 13 *celari.* Bentl. fruſtra mutat in *celare.*

pag. 204 lin. 3. *concubuiſſe* int. *eam*, quod alii infarciunt; ſed Cod. Bemb. non habet, ac proinde Faern. omiſit.

pag. 305 lin. 20. *bona.* Don. ſ. quiſquis ille ſit, teſtatur, etiam legi *data*, & ſic neceſſario pro *bona* intelligi vult. Bentl. inutiliter hoc praeferens fingit *perpetua data.* Sed & ap. Plaut. Aul. I, 2, 29 *bona Fortuna* dicitur. cf. Ph. V, 7, 1.

pag. 206 lin. 3 ſq. Vulgo omnes legunt: *idem nunc huic operam dabo*; idque ita intelligi volunt, *ut miſſum*

pariter faciam hunc amorem. Verum quis talia ferat, niſi Grammaticus inops conſilii & amoris? *Operam dare amori*, non miſſum facere amorem, ſed *amare* ipſum eſt. tum Faern. iam vidit, incommode ſic poſt tot trochaicos venire iambicum octonarium. Bentl. hinc pro ſuo ingénio emendans *Quo ego eum conſilio miſſum ſeci, eodem huic operam dabo*, parum ſcite medetur. Sed audiamus Don. ambigue haec explicantem: *Si* idem, *ego; ſi* eidem, *hoc eſt, amori.* Nos *eidem* amplectimur, perſuaſi 7. *huic* ingeſtum eſſe ab illis, qui *idem* legerant. Omiſſo igitur *huic* procedit & ſenſus aptior, & trochaicus.

pag. 309 lin. 1. *cadaveroſa facie.* Sic Faern. ex Bemb. & Don. reſtituit. Sed Bentl. pro ſua ſapientia l. lubidine facit *lentiginoſa.*

pag. 318 lin. 6. *tu virum me.* Aptius id ad ſtomachum, & magis virile edidit Faern. pro *tunc vir* &c.

pag. 321 lin. 18 ſq. Vulgo verſus ſic ordinatur: *magis hum. eſt, quam dare op. id ſcire, qui nos oderit*; in quo exponendo laborant interpp. Don. quidem nihil affert, unde verſum ſenſumque eius ordines, niſi haec: Qui, unde *vel* quamobrem. *Et recte; nemo enim dolens, quod non amatur, id facit, quo magis odio ſit.* Dacieria ad hanc mentem ſatis pulchre interpretatur: *Ne vaudroit il pas mieux diſſimuler cela, que de faire tant de bruit, afin qu'il nous haiſſe.* Verum ſic 7. *ſcire* vulgo male interponitur dictioni Ter. *dare operam id, qui* (pro *quo* l. *ut*; cf. Andr. II, 1, 7 & 8.) unde delapſus eſt Fabrini (cui accedit Weſterh.) ad aliam rationem, quaſi ſenſus ſit: quam dare operam, ut proferatur, utque inimici noſtri id ſciant, atque laetentur. Verum nemo unquam *dare operam* coniunxit cum alio verbo infinito, *id ſcire* (alios) pro *ut ſci.. , qui nos oderint*, & ſic oportuit dici *oderunt.* Ac paulo ante dixerat poeta, *ea* (quod Bentl. temere delet, nihil ceterorum iudicans) *diſſ. nos*, h. e. ut Don. ait, *ignorantiam fingere.* Itaque tandem 7. *ſcire*, quod loco motum erat, in

ſuos penates reducimus, ne amplius in alieno turbas det. Verum ſane eſt *diff. nos ea ſcire*, & dein *op. dare*, *qui.* Sic ſententia Don. verbis Dacieriae commode expreſſa prodit, latina ratio ſervatur, & verſus troch. octon cat. procedit melius. Addimus, *magis humanum eſt* h. i. dici pro, ſapientius ſ. prudentius eſt. Eun. IV, 4, 54 ſq. *Pol, ſi ſapis, quod ſcis, neſcis.*

pag. 325 lin. 8. Malumus cum Bemb. *exoptem*, quam cum omnibus aliis *exopto* l. *opto.* v. not. ad h. l.

pag. 328 lin. 7. *iſtae res.* Nobis videtur l. cum Bemb. legendum *nil iam iſtae res;* & Eraſm. Faern. illud *pol* omiſere; l. ſi id retinere malis: *nil pol iam iſtaec mi vol. ſ.* Sed quod vulgo edunt *nil pol iam iſtaec* (ant. plur. fem.) *res* Bentl. defendit, ſecundam ſyllabam in *voluptas* corripi ſolere praecipiens. Bembina lectio melius conſulit verſui.

pag. 330 lin. 10. *uxor.* Non verſus ſolum cauſa malimus *Soſtrata;* ſed & quod in placatiorem modo virum melius convenit, quam *uxor;* quo nomine, alias dignitatem habente, non abſque ironia viri ſuas appellant, certe ap. noſtrum; cf. Heaut. III, 5, 9 & V, 1, 6. Et Laches ſupra cum ſua vehementius agens, vocabat *mulier*, lenius *Soſtrata.*

pag. 332. lin. 7 ſq. Varie hic verſus legitur. Nos ſequimur ordinem, quem poſt Don. edd. priſcas, in iisque noſtram Arg. Eraſmus. neque Bemb. aliter habet, ex quo *redducam* ſcripſit Faernus; ſed idem omiſit *mage*, quod in Vat. & Baſil. abſit, verſumque longiorem reddat. Mur. aliter ordinans *Credo, ſi non redducam, ea gr. con. magis fore*, aſſeclas invenit. Nil certe pronuntiare audemus ob metri varietatem. Sed non ferimus Bentleium, qui contra omnes, pro lubidine eiecto *non*, facit *Credo ea gr. conc. magis, ſi redducam, fore;* quaſi Pamph. per ironiam dixerit, *credo*, ut ſit *non credo.* Quam abſurda foret perſonae hoc in loco antiphraſis; quam ſibi ipſe adverſarius Pamphilus, retinere matrem cupiens!

pag. 333 lin. 1. *aberit.* Sic edidit Faern. ex 3 Codd. antiquioris fidei, rectius quam vulg. *abierit.* Sed & omiſimus poſt *haec* 1. *eſt*, quod locum mutat in Mſſ. & obeſt trochaico catal. etiam redundat ob *eſt* mox additum.

pag. 334 lin. 7. *operiam.* Contra Donati mentem, immo contra Pamphili deſtinatam animo ſententiam III, 5, 42 Faern. reſcripſit ex ſuis Codd. *aperiam.* Noſtrum verbum eſt in aliis Codd. & probatum Rivio, Dacieriae, Bentl. aliiſque, quibus accedimus.

pag. 335 lin. 14. Vulgo *& tibi illam ſalv.* Veteriores *illum tibi & illam ſ.* Nos *tibi*, quamvis Don. agnoſcat, a librariis male ingeſtum & verſui adverſum cum Bentl. delemus. Et quare affinis cauſa magis, quam ſua gratia gaudeat?

pag. 338 lin. 7. *Remiſſan' -- reductan' dom.* Sequimur lectionem Faerni rectius conſtitutam, quam quod alii *remiſſam--an reductam d.* vel *remiſſan'--an reducta.*

pag. 339 lin. 5. *quem ipſe negl. pater, e. a.* Sequimur cum Dacier. & Bentl. lectionem Bemb. Vatic. Baſil. & aliorum, a Faerno conſtitutam, quam ipſe Don. praeferre videtur illi *quem ipſa neglexit, pater, ego alam?* Haud ſane patrem decet negligere puerum, quem mater neglexerit. Alius poſt Don. grammaticus ſ. Aſper ſ. Cornutus hanc ultimam lectionem meliorem cenſet.

pag. 340 lin. 13. *adiungas.* Sic Eraſmus & Faernus. Alii *abducas*, ſcil. a meretrice; quod peſſime legitur. *Abducimur* enim ab honeſtis ad minus honeſta. Alii tandem veteres male ingeſſerunt *volo ut adi.*

pag. 341 lin. 7 ſq. *facis iniuriam--cum amoveris, ut--vivas.* Neque igitur ſequens verſus niſi pro interpoſitione habendus, maleque alii contra vetuſtiſſimos Codd. dedere *cum fingis* pro *confingis.* In confingendis cauſis non erat iniuria, ſed in amovenda uxore.

pag. 343 lin. 6. *tollet.* Sic Bemb. ut referatur ad ſolum Lachetem, cuius, ut avi, ſumma poſt patrem erat poteſtas tollendi. Vulgo *tollent.*

lin. 13. *uxor.* Falſo additur vulgo a Faerno *mea*, quaſi eſſet Myrrhina, uxor Phidippi; cf. ad v. 89. Sed ingeſtum eſt praeter rem & verſum *mea*; quod cum Eraſmo, eiuſque aſſeclis, & ipſo Bentl. eiicimus.

pag. 346 lin. 7. *hinc.* Ita recte Bentl. pro vulg. *hanc*, quod inutiliter additur *in iram.* Bentl. excitat Ad. III, 3, 7 *hinc* (a Syro) *ſcibo.* Addimus ex Phorm. IV, 2, 14 *petam hinc* (a Demiphone) *unde a primo inſtitui : is ſi dat, ſat eſt.*

pag. 347 lin. 7. *quaeſti.* Antiquum genitivum ex Bemb. tuetur Faern. pro vulg. *quaeſtus*; tum idem verſus cauſa optime emendat vulg. *obſtet* in *obſiet.* Sed & cum Bentl. *mihi*, quod ante *quaeſtus* vulgo eſt, poſtponimus.

pag. 349 lin. 1. *Quaere al. t. firmiorem.* Al. addunt *amicum*, quod Bemb. praeponit, in plurimis abeſt. Igitur Faern. ſubditicium iudicat, ac poſt multos Bentl. omittit, ne verſus exſuperet.

lin. 3 ſq. Alii, qui hos verſus ad metrum Iambicum exactos eſſe volunt, alium verborum ordinem ſequuntur. Sed ſequimur Codd. & edd. meliores, unde ſunt troch. catal.

lin. 9. *Alid.* Sic iubet Bentl. ne Iambicus inter Troch. intercedat. Et mox v. 26 ex vulg. *me ſegr. hab.* reiicit *me*; quod & eleganter abeſt.

pag. 351 lin. 13. Alii addunt reſponſum Bacchidis *faciam ſedulo.* Sed id abeſt in Codd. Faerno & Bentl. tractatis, aliisque ap. Weſterh. & omiſſum in edd. priſcis Tarvil. Mediol. Arg. tum Lindenbr. Parei &c. Faernus, quem & ſequitur Bentl. verſum explet quatuor verbis ex ſq. ſc. Ac ſane melius ſilet ad dicta Lachetis, qui comia minis miſcuerat; inter quae Phid. advenit in tempore.

pag. 352 lin. 9. *adducis.* Al. contra Bemb. *adduxit.* Sed & ante *venit* praeſens eſt.

pag. 354 lin. 3. Haud certe iure, Bentl. huic verſui conſulturus delet *falſo*, parum vere dicens, *crimen* omne falſum eſſe. Et ap. Cic. certe *crimen* (accuſatio-

nem) *verum*, idemque *criminationem falſam* occurrit. v. Geſn. in theſ.

pag. 363 lin. 5. *ne me in breve c. t.* Al. *in breve hoc tempus.* Sed Faern. ut conſuleret trochaico, delevit *hoc*, quod nec habent Cod. Vict. aliique. Alia vero difficultas eſt in verbo *coniicias*, & conſtructione cum infin. *frui.* Senſus quidem fere idem eſt cum dicto illo Heaut. II, 2, 51 *ne me in laetitiam fruſtra coniicias.* Sed alia longe verba; neque facile approbari credimus *in tempus breve coniicias* &c. Hinc Bentl. pro *coniicias* abſque Codd. ſed pro ingenio ſuo edidit *in br. pellicias t. g. h. f.* Nos facilius, ſi coniecturae locus ſit, audemus: *ne mi in br. conficias tempus g. h. f. f.* & infinitivo aſſignamus vim accuſativi, *gaudii* huius falſi *fructum. Conficias* autem foret idem ac *effectum habeas* ſ. ſatis habeas feciſſe. cf. ad Eun. V, 4, 6. An malis *coniiciam?* quomodo mox inverſe v. 4 dicit *timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.*

pag. 366 lin. 5. *occultum iri.* Quod bene invenit Bentl. ex *occultari;* cui alii praeter verſum addunt *poſſe.*

pag. 367 lin. 2 ſqq. *an temere--uſus ſit.* Quod dictum vulgo tribuitur Parmenoni, ita ut mox legatur *Parmenonem;* & Bemb. Pamphili dicto addit, ceterum rectius habens *Parmeno*, quod Faerni monitu & verſu poſcente cum Bentl. recipimus: id melius Donato praeeunte aſſignamus Bacchidi, ut & haec abiens in deridenda hominis curioſitate & iactantia partes habeat. Sic vero Don. ſ. quiſquis ſit: *convenit hoc dictum meretrici abeunti.*

INDEX LATINITATIS

POST NOTAS RELIQUAE.

A.

ABeſt pro *deeſt.* Andr. V, 2, 7. Sic Plaut. Stich. V, 4, 29 *modo noſtra huc amica accedat. id abeſt : aliud nihil abeſt.* Sic & ſaepe Cic. & Sall. alii.

Abire dicuntur, quae impune fiunt. Andr. I, 2, 4.

Abligurire. Don. explicat : *ſuavibus eſcis conſumere.* Eun. II, 2, 4. *Ligurire* dicitur, qui eleganter ſ. multo cum faſtidio ſuaviora quaeque deguſtat. *Abligurit*, qui multa liguriendo abſumit, conſumendo perdit. Cf. Heaut. III, 1, 48--53.

Abortus, abortivus, ſ. partus immaturus. Hec. III, 5, 38 *abortum eſſe.* Alias mater dicitur *abortum facere, pati.*

Abſente nobis, Eun. IV, 3, 7 antique pro *abſentibus nobis*; uti *praeſente nobis* pro *coram nobis*, quaſi praepoſitio ſit.

Abſolvere. abſolvitur creditor reddendo pretio; & ſic res cum eo finitur. Ad. II, 6, 13 & 18.

Accumbere c. aliquo, h. e. ſuper eodem lecto c. aliquo aſſidere. Eun. III, 3, 9.

Actum eſt. Locutio Comicis frequens in re deſperata; uti in iudiciis; ubi, ſi reus, ſententia pronuntiata, eſſet damnatus, dicebatur : *actum eſt, ilicet.* Eun. I, 1, 9 *actum eſt, ilicet, periſti.* Andr. III, 1, 7.

Acuere, inſtigare, monere. Ad. V, 1, 49.

Ad, apud. Andr. IV, 4, 7.

Adludere, iocari, oſculari, nec manus abſtinere. Eun. III, 1, 34. cf. Heaut. III, 3, 2 ſqq.

Adornare, Eun. III, 5, 34 apparare ſc. neceſſaria.

Advigilare, diligentius vigilare, operam dare. Andr. IV, 1, 50. Ph. II, 2, 26.

Advocatus, Eun. II, 3, 48. Cic. Divin. in Verr. XI, 4 *qui defendit alterum in iudicio*, *aut* patronus *dicitur*, *ſi orator eſt*; *aut* advocatus, *ſi aut ius ſuggerit*, *aut* praeſentiam ſuam commodat amico; *aut* procurator, *ſi abſentis negotium ſuſcipit; aut* cognitor, *ſi praeſentis cauſam novit*, *& ſic tuetur*, *ut ſuam.*

Aetatem, omiſſa praep. *per*, adverbii vim habet, & tempus longum notat, l. praeteritum, ut Eun. IV, 5, 8; l. futurum, ut Heaut. III, 7, 38 & Hec. IV, 4, 21.

Affectare viam ad aliquam, h. e. moliri viam, l. ad aliquam aſpirare. Heaut. II, 2, 60; l. ad aggrediendum ſe parare Phorm. V, 9, 71.

Age, inſtar adverbii hortandi, corripiendi, concedendi, vix tandem conſentiendi, finiendi, & in tranſitionibus &c. vim habet.

Agitare, exercere, inſectari. Ph. III, 2, 4.

Alacris, feſtinans, inquietus, actuoſus. Eun. II, 3, 12.

Alienus, Ph. III, 6, 12. h. e. non veſter.

Alid, ab *alis*, antique pro *aliud*, ab *alius*. Hec. IV, 4, 24.

Aliud aliquid, vetuſte. Ph. V, 1, 5.

Allegatus, ſubornatus. Andr. V, 3, 28.

Amiſti, per ſync. pro *amiſiſti*. Hec. II, 2, 9.

Amo te. Formula grates agentis. Eun. I, 2, 106. Heaut. II, 2, 119. Ad. IV, 6, 46 & 67. Ph. I, 2, 4; III, 4, 14.

Extrema linea amare, Eun. IV, 2, 12 e longinquo amare, & ita, ut ſis remotus ab amata. Metaphoram ductam putant alii a *ludo teſſerarum*, in quo ſi quis promovere amplius non poſſit, conſilii incertus eſt. Porphyr. Don. al. ab *extrema linea ſtadii*; & amoris curriculum diſtinguunt quinque gradibus amoris, viſu, alloquio, tactu, oſculo &c. cf. Hor. I, 13, 13. Phaedria h. l. non tam elegans, duo tantum diſcernit, *tangere* & *videre*. Illud ſit quaſi *intra ſtadium amoris*; hoc *extrema linea*. Sic Lactantius ſ. Lutatius ad Stat. Theb. III, 283 de Hymenaeo adoleſcentulo: *puellam extrema amoris linea diligens, ſatis animo* ſolo *ſaciebat* aſpectu.

Amabo, Eun. I, 2, 50 & alibi.

Angiportum, Eun. V, 2, 6. h. l. neutrum, uti Ad. IV, 3, 25. (Alias & *angiportus*, uti Ph. V, 8, 9.) eſt anguſta & curva, ſed compendiaria via, qua in portum itur.

Animum inducere, ſibi perſuaſum habere. Hec. II, 3, 4.

Animo praeſenti. Eun. IV, 6, 31. h. e. conſtanter, fortiter.

Appellaſſis, antique pro *appellaveris*, h. e. appelles; ut vim habeat futuri. Ph. IV, 6, 15.

Ara. Andr. IV, 4, 5. Don. in fragm. de Com. & Trag. obſervat: *In ſcena duae* arae *poni ſolebant, dextra Liberi, ſiniſtra eius Dei, cui ludi fiebant.*

Arrhabo, pignus. Heaut. III, 4, 13.

Aſtutia, calliditas, verſutia. Andr. III, 4, 25. Heaut. III, 7, 42.

Aſymbolus, qui ſymbolam non dat. Ph. III, 1, 25. cf. infra *ſymb.*

At at, eſt eius, cui ex improviſo aliquid accidit. Andr. I,

1, 98. Ph. IV, 2, 10. & paſſim ſubito perculſi. Eun. IV, 6, 18.

Au, indignantis interiectio. Ph. IV, 6, 27.

Auctorem eſſe, ſuadere, probare. Ad. V, 6, 16.

C.

Caeſius, quaſi felis oculos habens & glaucos. Don. Heaut. V, 8, 18. Hec. III, 6, 26.

Calidum, praeceps, periculoſum. Eun. II, 3, 88.

Cantare, Heaut. II, 2, 19 repetendo uſque dicere. Ph. III, 5, 10 *cantilenam eandem canis.*

Caput, auctor, princeps. Andr. II, 6, 27.

Catus, prudens, providus, ſapiens; antiquis idem quod *cautus* a *caveo.* Andr. V, 2, 14. Ciceroni, Plinio, Plauto & Horatio etiam uſurpatum. Cic. de Leg. I, ſ. 45 c. 16 *Quis igitur prudentem, & ut ita dicam,* catum, *non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua re externa iudicet?*

Cauſa. Eun. III, 5, 27 *num parva cauſa* &c. h. e. parva res, ob quam me pro Eunucho deduci paſſus ſim.

Cautio eſt, h. e. cavendum eſt. Andr. II, 3, 26.

Celere, Ph. II, 2, 1. Adv. ant. pro *celeriter.*

Cetarii, qui maiores piſces, quales ſunt marini, cete, venditant. Eun. II, 2, 26. Inter hos & *piſcatores* id intereſt, quod hi vivos, illi muriaticos piſces & ſalſamenta fere venderent.

Clemens vita, Ad. I, 1, 17 h. e. placida, quieta; diverſa a *dura vita*, in qua plus irarum eſt.

Color verus, naturalis, non fucatus. Eun. II, 3, 26.

Commiſti, pro *commiſiſti.* Eun. V, 1, 16.

Comparare, aeſtimare, metiri. Andr. IV, 1, 4. Efficit comparatio, ut meliora cuique ſua videantur.

Compoſito, Ph. IV, 6, 29. Plenius *de* ſ. *ex compoſito.*

Conciere (turbas) Heaut. V, 3, 11; (iram) Hec. III, 1, 33, concitare, commovere; in re magna, turbarum plena, dicitur.

Conciliatus, emptus. Eun. IV, 4, 2.

Confidens, conſtans. Andr. V, 2, 14.

Confidentia, audacia cum improbitate. Andr. V, 3, 5.

Conflictari, atteri, interprete Donato. Andr. I, 1, 66.

Conglutinas (*meretricios amores nuptiis*) Andr. V, 4, 10 h. e. arctiores & perpetui ut fiant amores coniugii vinculo, facere contendis.

Congrueo, antique pro *congruo.* Heaut. III, 1, 91.

Contaminari (fabulas), Andr. prol. 16. Don. exponit modo *contingi & pollui*, modo *ex multis unam fieri*. Sed Weſterh. mavult *mutilari*, cui v. 26 oppoſitum ſit *de integro facere*, laudatque Hor. Od. I, 37, 9. Cic. Top. 18. Neque haec multum diverſa ſunt. Latinis enim *purum & integrum* dicitur, *quidquid nihil alieni admixtum habet*. cf. Heaut. prol. 17.

Convaſare, Ph. II, 2, 13. Don. figuratum dicit a colligendis vaſis, & Nonius exponit: *furtim colligere.*

Cor, pro *mente* l. *animo*; Ph. III, 1, 7.

Creditur, Hec. III, 7, 7 Neſcio, an minus blande, certe frigidius dictum, quam *credo*, quae formula eſt reſpondendi gaudentibus. cf. Andr. V, 4, 37 & 45.

Creduas, antique pro *credas*. Ph. V, 10, 4.

In *crimen* venire, h. e. accuſari, argui. Hec. III, 2, 9.

Cupedinarii, cupediarum ſ. lautiorum eſculentorum venditores in foro Cupedinis. Eun. II, 2, 25. Vett. libb. omnes *cuppedinarii.* Bentl. praeter auctorem *cuppediarii.*

Curare, coquere. Andr. I, 1, 3.

D.

Dare (ſe alicui) Eun. III, 3, 10, alicui ſtudere, ſe accommodare, propter eum cuncta agere.

Deamo te, fortius dicitur, quam *amo te*. Heaut. IV, 2, 21.

Deſrudans, Ph. I, 1, 10, antiquius quam *deſraudans*. *Deſrudare genium* h. e. ſibi quaſi per fraudem ſubducere de iis, quae genius ſ. natura appetit. Uberius dicit Plaut. Aul. IV, 9, 14 ſq. *egomet me deſraudavi*, *animumque meum*, *geniumque meum*. Diverſa ſunt *curare genium* Hor. III Carm. 17, 14; *bene facere genio*. Plaut.

Deierare, per Deos iurare. Hec. IV, 5, 5.

Delibutus, unctus, perfuſus. Ph. V, 7, 17.

Depeciſci l. *depaciſci*, eſt pactione tranſigere. Don. ad Ph. II, 1, 14.

Dica, δίκη ſ. actio. Ph. I, 2, 77; III, 1, 15; IV, 3, 63. *Dicam ſcribere* idem notat, ac *formulam ſcribere*, *intendere* alicui, quod petitoris eſt, ſ. eius, qui alium poſtulaturus advenit in iudicium; cf. Quinct. VI, 3, 83 & Sueton. in Vit. 7. *Formulae* erant certae verborum conceptiones ac formae. Cic. pro Mur. 13 *formulas* & *actiones* coniungit.

Dictum ac factum l. *dictum factum*, proverbium celeritatis, i. e. cito. Andr. II, 3, 7. Heaut. V, 1, 31. *dictum factum reddere*. Heaut. V, 1, 12.

Differre, diſturbare. Andr. II, 4, 5.

Dolium, vas vini grandius. Heaut. III, 1, 51.

Dolus, machinatio, veteribus inter medias voces, l. *bonus* ſ. prudens, conſilium adverſus eos, quos decipi fas eſt; l. *malus* (Eun. III, 3, 9) quo & alii male circumveniuntur. Eſt vero natum nomen ex praet. medio verbi διλω, unde & διλιας, διλιαζω, ineſco. Capti ſic & vulnerati *dolent*.

E.

Eccere. Adv. Plauto ſollenne, pro *ecce autem*. Ph. III, 2, 5.

Educti, Ad. III, 5, 49 ſ. *educati*, quod quidem eſt in Mſſ. & edd. priſcis, ſed metro repugnat.

Efferre foras, Ph. V, 9, 65. cf. Ad. IV, 5, 16. palam proferre; ut Ad. III, 2, 41. Hec. I, 2, 32.

Elegans, Eun. III, 1, 18 ſubtiliter intelligens, in eligendo faſtidioſus. Et erat iſta vox antiquis non ſolum laudis, ſed & vitii. Erat in vitio mera elegantia, neque moderata; cf. Gellium XI, 2. Ita forſan ambigue dixerit Gnatho. Cf. & infra III, 5, 18.

Ellum, Andr. V, 2, 14. Ad. II, 5, 7. Pronomen ſ. adverb. demonſtrantis ex *ecce illum*. *Ellam*. Ad. III, 4, 26.

Emungere argento, Ph. IV, 4, 1 eſt deſpoliare; metaph. ſumpta ab iis, qui nares emungunt. Nempe ita aufertur ab ſenibus pecunia, (ut ait Geſn. in theſ.) ut ea ſe liberari primo gaudeant: deprehenſa autem fraude prudentiores fiant. *Emunctus* igitur *homo* eſt ſagax ſ. ut Don. verbis utamur, *elegans & facetus*: *ut Hor.* (Serm. I, 4, 8) *de Lucilio*, emunctae naris, *inquit.*

Ephebus, adoleſcens. Eun. V, 1, 8.

Epidicazomenos, Ph. prol. 25 h. e. *petitor* in iudicio, qualis *advenerat* ipſe Phormio, a quo latine dicta eſt fabula (cf. Ph. III, 2, 48) virgini orbae ex lege, (quae Athenis iubebat cognatum proximum ducere, l. dotare; cf. ibid. I, 2, 75 ſq.) nuptias effecturus. Fuit vero ſcripta ab Apollodoro, uno ex novae Graecorum Comoediae ſcriptoribus. Sed Don. turbas affert, duas fuiſſe Apollodori fabulas referens, alteram *Epidicazomenen*, a Ter. in Phormionem converſam, alteram *Epidicazomenon*, ab illa diverſam; arguenſque adeo (quod ridiculum eſt) Terentium erroris manifeſti in titulo fabulae, a ſe verſae, hanc *Epidicazomenen* dictam vult *a puella, de qua iudicium eſt;* quem quidem ſenſum illa vox ap.

Graecos non fundit, cum ſit medium, & activam habeat vim (cf. Demoſth. or. contra Macart. ſub init.) Vidit id quoque Dacieria; ſed non bene docet, eiuſmodi virginem, qualis Phanium eſſe ſcribitur in hac fab. dicendam potius fuiſſe ἐπίδικον & ἐπίκληρον, quam ἐπιδικαζομένην. Iulio Polluce Onom. L. c. III. c. 3 ſ. 33 docente, filia unica, ad paternam hereditatem educta, dicebatur ἐπίκληρος, al. πατροῦχος, & ἐπικληρῖτις; qui eam ducit generis neceſſitate, ἀγχιστεύς. Eadem, ſi plures appetebant cognationis iure, & ἐπίδικος *controverſa* vocabatur; ſed quae nullum habebat patrimonium, θῆσσα ſ. *orba*, ſ. *indotata*, quam proximus genere l. ducere, l. ſi iam uxorem habebat, dotare ex lege debuit. Neque igitur Phanium fuit ἐπίκληρος ἐπίδικος, ſed putabatur θῆσσα, orba, antequam inventus ei pater fuit.

Etiam, adhuc. Andr. I, 1, 89.

Eu, approbantis eſt. Eun. I, 2, 74. Ph. III, 2, 50.

Everſae (*cervices*), retortae, ſ. valde verſae. Heaut. II, 2, 131.

Excrucior, *diſcrucior animi*, Ph. II, 2, 10. Ad. IV, 5, 1 more Graeco, & Plautinum eſt, ut *angor animi*.

Experiri, Ad. III, 2, 52, dicuntur, qui ius ſuum l. conventione, l. ſi hac non ſucceſſerit, iudicio tueri conantur. Exempla affert Geſn. in theſ.

Exploratus, tutus. Eun. III, 5, 55. Ph. IV, 3, 23.

Expoſtulare. expoſtulamus adverſus eum, qui fecit iniuriam; *poſtulamus* illum ap. alium, ut actor ap. iudicem. Andr. IV, 1, 15. Ad. IV, 4, 4.

Exſculpere oculos, h. e. unguibus petere, effodere oc. Ph. V, 9, 96; cf. Eun. IV, 3, 6.

Extrarius, Ph. IV, 1, 13 qui extra familiam, extra forum eſt. Al. h. l. habent tritius *extraneus*.

F.

Fabulari, loqui, narrare. Ph. IV, 3, 49.

Facta tranſacta omnia, Andr. I, 5, 14. Don. ait: *proverbiale eſt in id negotii, ubi nihil ſupereſt ad agendum.* Clarius fuerit dicere *tranſacta* idem eſſe ac *praeterita*, quae duo iungit Cic. Tuſc. IV, ſ. 55 c. 25 *in rebus iam tranſactis & praeteritis ſcribimus*. Idem ad Div. XIV, 4 uxori ſcribit: *Si eſt ſpes reditus noſtri, eam confirmes--ſin, ut ego metuo tranſactum eſt--fac ad me venias.* Igitur h. l. *facta* ſunt, quae antea convenerant inter parentes, *tranſacta*, reſciſſa, ita ut patri

ſpes omnis, filio metus ademtus fuerit. Scil. uti controverſiae tranſiguntur *conventione*, ita conventa tranſiguntur *reſciſſione*. vid. infra *tranſigere*.

Fallacia alia aliam trudit, Andr. IV, 5, 40 h. e. pellit, ſ. alia alii ſuccedit, uti *dies die truditur* ap. Hor. Carm. II, 18, 15.

Familiariter (ad ſimilitudinem amicorum, familiarium, amantium) *ferre*, Andr, I, 1, 84 h. l. graviter ferre. Scil. qui diuturna familiaritate coniuncti ſunt, aut amare ſe conſueverunt, graviter in alterius malis commoventur. *familiariter ſe in aliquem reiicere*, ibid. 108 conſueti amoris ſignificationem habet. *familiariter monere* eſt amici. Heaut. I, 1, 6.

Fartores dicti, quod aves *farcirent*, h. e. ſaginarent & altiles facerent. Eun. II, 2, 26.

Felicitates (*bonae*) Eun. II, 3, 33. Dii deaeque ut auctores bonorum omnium, dicuntur boni, *Iuno bona*, *Dea bona* (Romae culta), *bona Copia* (Dea abundantiae), *bona Salus*, *bonus Eventus*, *bona* (*meliora*) *Fata* ſ. *Parcae*. Quidni h. l. intelligas, *Felicitates* eſſe *Parcas*, quatenus cenſebantur hominibus naſcentibus bonum omne ſ. felicitatem conferre? *Fata adverſa vincere* Virgilio dictum. Et h. l. *bona Fata* adverſantur. Nemo interpp. & vett. & recc. haec vidit.

Feneſtram patefacere, Heaut. III, 1, 72. Cic. & Plin. iun. dixere *ianuam* pro aditu, copia. Terentianum reddit Tib. ap. Suet. c. 28.

Fidem ſolvere, fidem liberare, ſervare, exſolvere promiſſum (ut Ovid. faſt. I, 642 *fidem ſolvere voti*); ſed cum amara ironia pro *fidem rumpere, non ſervare* dicitur. And. IV, 1, 19. Paſſive Cic. ad X, 21 *fidem ſolutam* ſuam dixit Laterenſis per Lepidi perfidiam; uti *fides ſoluta*, Ovid. ep. her. X, 78 quae pro ſoluta habeatur.

Firmus (*gener*), opponitur ei, qui divortium facit cum muliere. Andr. III, 3, 39. Hec. I, 2, 26 *firmae nuptiae*; quae ſunt diverſae ab *incertis*.

Foenerare, Ad. II, 4, 11 cum lucro redire. cf. Ph. III, 5, 8.

Forma, Andr. I, 1, 92 eſt naturalis nota faciei, h. l. pulchritudo; *vultus* in facie oſtendit, quomodo animus affectus ſit, eiuſque ſenſus indicat. Eſt ſcil. a *volo*; uti *cultus* a *colo*.

Fortis, bonus & honeſtus. Andr. II, 6, 14.

Forum. Ph. I, 2, 29 *Sciſti uti foro*. Proverbialis locutio,

ducta a mercatoribus, qui in vendendo legem ſequuntur non ſuam, ſed fori. Affinia his faciunt *ſervire ſcenae*, (Cic. ad Br. 9) *tempori; temporibus adſentiri* (Cic. ad fam. I, 9, 59 ſq.) *tempori cedere*, i. e. neceſſitati parere (Cic. ad fam. IV, 9, 5) *temporibus inſidiari* (Vellei. II, 21) *parere ſoro*, ſi recte emendavit Ioſ. Scal. in praef. Cat. diſtich. Afferunt & locum Senecae : *Utamur ſoro ; & quod ſors feret, aequo feramus animo.*

Fraus, fortius dicitur, pro *fraudulento* Heaut. V, 7, 10.

Frigere, Eun. II, 2, 37 parum ſe approbare.

Fuat, antique pro *ſit*. Hec. IV, 2, 4.

Furcifer, a *furca*, quam ſervi collo ferre cogebantur ignominiae cauſa ob leviora delicta.

Futilis (*ſervus*) And. III, 5, 3 qui commiſſa retinere, (ſilenda ſilere) nequit; veluti vas fictile, quo utebantur in ſacris Veſtae, lato ore, fundo anguſto, eoque inſtabile, poni non debebat, nec ſine effuſione poterat.

G.

Ganeo, meretricum ſectator; eſt enim a *ganeum*, lupanar. Heaut. V, 7, 11.

Gerro, nugigerulus, nugator. Heaut. V, 7, 10.

Gratiae apponi, h. e. beneficii loco haberi. Andr. II, 1, 33.

Gratiam referre, vicem reddere, ulciſci. Eun. II, 3, 93.

Gratiis, caſus ſextus, e quo eſt contr. *gratis*, non pretio. Ad. IV, 8, 26. Ph. III, 5, 15.

H.

Habere ſc. uxorem; Andr. IV, 1, 25. Ph. II, 3, 66. l. amicam; Andr. I, 1, 58. plenius *habere in matrimonio*, l. ſi amica ſit, in *uxoris loco*; cf. Heaut. I, 1, 52.

Habet, Andr. I, 1, 56 h. e. vulneratus eſt. Proprie dicitur de gladiatoribus, quos percuſſos alii vident prius, quam ſe ipſi ſentiunt. Sic Senec. Agam. 801 *habet! peractum eſt.*

Habitudo corporis, h. e. corpulentia, εὐεξία. Eun. II, 2, 11. Eodem ſenſu Eun. II, 3, 23 *ſi qua eſt habitior paulo*. Et Plaut. Epid. I, 1, 8 coniungit *corpulentior hercle atque habitior*. Differt autem ab *habitu*, qui uti eſt in veſtitu, ſic illa corporis ipſius propria.

Hariolus, Ph. IV, 4, 27 qui divina mente vaticinatur. Don. dictum vult quaſi *fariolum* a *fatis* & a *fando*. Neſcimus, an is harioletur.

Haruſpex, Ph. IV, 4, 28 ab *haruga*, i. e. hoſtia, nominari dicit Don.

Heautontimorumenos, ſe ipſe crucians (ob gnatum ſaevitia ſua fugatum); cf. Hor. Serm. I, 2, 20.

Hecyra, graece Ἑκυρα, ſocrus. Softratae nimirum, quae mater eſt Pamphili, & ſocrus Philumenae, praecipuae ſunt partes in hac fabula, qua oſtenditur, inique ſaepius dici illud, quod Act. II, 1, 4 *Adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus.*

Helluo, qui bona devorat, luxurioſus. Heaut. V, 7, 10.

Honeſtus, pulcher. Andr. I, 1, 96. Eun. I, 2, 52; II, 1, 24 & alibi.

Humanitus, humano more. Heaut. I, 1, 47.

I.

Idoneus, dignus; vox mediae ſignificationis, & ad bona & ad mala refertur. Andr. III, 2, 12 & paſſim.

Illuvies, eſt a non lavando, & contraria *cultui*. Heaut. II, 2, 54.

Impediri propie dicuntur ii, qui ita pedes habent illigatos, ut progredi non poſſint. tum a compedibus ad omnes difficultates transfertur. Contrarium eſt *expediri*. Andr. III, 5, 11.

Impendio, Eun. III, 5, 38. Adv. intendendi, etiam *Iu magis* additur a Cic. ad Attic. X, 4. Plaut. Aul. prol. 18 *minus minuſque impendio curare.*

Impluvium, teſte Varrone de L. L. IV, 33, locus in medio relictus, ut lucem caperent deorſum, quo impluebat. Eun. III, 5, 41.

Impotenti animo is dicitur, qui ut Cic. ait, de mentis poteſtate exiit, nec modum adhibet libidini. Andr. V, 3, 8. Heaut. II, 2, 130.

Impuratus, impurus. Ph. IV, 3, 64.

Inde adeo quod, Heaut. I, 1, 2 idem ac *inde uſque, quod.*

(*Induſtria*) *de induſtria*, Andr. IV, 5, 56. h. e. dedita opera, ſ. ſtudio & conſilio.

Ineptus, qui ſibi uni indulget, neque aliis aptus, nemini convenit. Eun. II, 1, 21. *Ineptum*, Heaut. V, 6, 3 alienum a ratione & ab officio patris.

Iners, nulli arti bonae idoneus, ignavus. Heaut. V, 7, 10.

Infringere, vehementer & cum fragore infligere. Ad. II, 3, 4.

Inhoneſtus, foedus. Eun. II, 3, 65.

Inire (*gratiam*) mereri. Eun. III, 5, 9.

Iniuria active. *huius iniuriis*, quas haec (ſcil. meretrix) faciebat Pamphilo, *victus* Hec. I, 2, 93. *paterna*, ſ. iniuriae parentum, Heaut. I, 2, 30 & V, 4, 15 ſunt quae a patribus oriuntur filiis; irae ob peccata. Active ſic utuntur & Liv. XLII, 1 *iniuria conſulis etiamſi iuſta*; & Sall. Iug. 65; p. 177. ed. 2 Bip. *contumelia imperatoris.*

Iniuriam facere, Andr. III, 2, 8 violatam deſerere. cf. Hec. IV, 3, 40.

Inliberaliter fit, quidquid viro libero indignum eſt, & excedit omnem indignitatem. Ad. IV, 6, 30. Ph. III, 2, 23.

Inſcribere (*aedes*) Heaut. I, 1, 92 venales proponere.

Inſiſtere curſum ſ. iter, eſt coeptum perſequi, intendere. Ph. V, 7, 8.

Inſolens, inſolitus, inſuetus. Andr. V, 4, 4.

Interceſſe, antique pro *interceſſiſſe*. Ad. III, 2, 51.

Interea loci, h. e. interea temporis. Eun. II, 2, 24. Plautus eodem ſenſu *interibi*. Sic Sall. paſſim *poſtea loci*. ſ. *poſt id locorum, ad id locorum.*

Intertrimentum, Heaut. III, 1, 39. Varro de L. L. IV, 36 vocem declarat *ab eo, quod duo, quae inter ſe trita ſunt, etiam deminuta ſunt.*

Invenuſtus, Andr. I, 5, 11. *invenuſti* dicuntur, quibus Venus in amoribus non favet. *Infelix* ibid. penitus miſer eſt. Inverſe contraria dicuntur Hec. V, 4, 8.

Inverſa verba, Heaut. II, 2, 131 h. e. ambigua. Plauto *perplexabilia.*

Iocularium malum, Andr. IV, 5, 43 grave, ac per irriſionem ſecuturam gravius. Mala enim aliena eaque improviſa plerumque irridentur a vulgo hominum. Neque ſic h. l. opus *ἀντιφράσει*, quam innuunt Don. & alii.

Iuſti, pro *iuſſiſti*. Eun. V, 1, 15.

L.

Lactare, blanditiis decipere, inducere. Andr. IV, 1, 24 & V, 4, 9.

Largiri (*de ſe*) eſt, ſe alteri promittere, tradere. Ad. V, 6, 17.

Latere tecto abſcedere, Heaut. III, 6, 5 ſumpta a militari re locutio. In agmine, inquit Nannius, ob viarum anguſtias

protenſiore, multa incommoda accipi ſolent, dum hoſtis tranſverſo impetu in latera impingit; quae niſi tum munita & tecta habeas, magnum periculum eſt, ne acies perrumpatur. Solet igitur exercitus (ſi hoſtis a ſiniſtro latere appareat) in ſcuta ſeſe inclinare, & ita frontem obvertere hoſti: ſi in dexero latere, in haſtam, ut rurſus e regione infeſtis armis conſiſtat: quod ſi a tergo immineat, ſed verſus ſiniſtrum latus, bis ſeſe inclinare in ſcutum: ſi a tergo dextrum verſus, bis in haſtam &c. Igitur verba proprie ſunt imperatorum, qui pro victoria habent in rebus deſperatis, ſi ſine clade ab hoſte diſcedere liceat.

Libido, Heaut. I, 3, 4 h. e. cupiditas. Diverſa eſt *voluntas*, quae ratione regitur.

Locito, freq. a *loco*, *are*. Ad. V, 6, 26.

Luctat, antique pro *luctatur*. Hec. V, 3, 14.

Ludificari, Eun. IV, 3, 3 vitiare. Eodem ſenſu Graeci ὑβρίζειν, καταπαίζειν, idem quod *illudere alicui*.

Lupus in fabula, Ad. IV, 1, 21. Adagium, quod dicitur, quum forte in ſermone medio intervenit is, de quo ſermo erat. Plaut. Stich. IV, 1, 71 *atque eccum tibi lupum in ſermone*. Plin. VIII, 22 *Sed in Italia quoque creditur luporum viſus eſſe noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praeſens*. Cf. Serv. ad Virg. IX, 54. Sed Don. refert, proverbium iſtud alios ex nutricum fabulis, pueros ludificantium terrore lupi &c. natum putare; quod Dacieriae placet.

M.

Magnificare, ſ. magnifacere, colere. Hec. II, 2, 18. Cf. Plaut. Ciſt. I, 1, 23 & Stich. I, 2, 43 & alibi.

Maxume, annuentis eſt, ut Andr. IV, 6, 23. Eun. II, 3, 42. Hec. IV, 3, 86; & cum ironia Heaut. II, 2, 98.

Memoria, Andr. IV, 4, 2 *expromta memoria*, quae facile expromat ea, quibus opus eſt, h. l. in ciendo iurgii ſimulacro ad verum perita. Ante omnia enim ſimulatorem oportet eſſe memorem.

Mina, Graecis Μνᾶ, idem quod *libra*, aut Romanis pondo argenti, pendet drachmas Atticas centum, centumve denarios Romanos.

Modo, Hec. III, 7, 8 notat h. l. paulo ante, praeteritum tempus, uti *admodum modo* proximum praeſenti; & ſic quoque cum praeſenti conſtruitur.

Modo meo, ſ. libito meo, Andr. I, 1, 126; cf. Eun. V, 3, 11. Ph. V, 9, 69.

Modos fecit, in titulis Comoediarum. *Modus* in muſicis eſt, lex & ordo, in cantico ſervandus. hinc *modos fecit Flaccus Claudii* (int. non *filius*, quomodo exponit Don. ſed quod Muretus approbat, *Libertus*. Neque enim alios, quam ſervos vel libertos, in ſcena apparere decebat) idem eſt ac *modulavit*, deſcripſit muſicos modos, quibus aut cantica temperabantur, aut actus diſtinguebantur. Quemadmodum ſcil. fabula graeca ſ. tragoedia. ſ. comoedia tria habet membra, docente Diomede grammatico III, p. 489 *diverbium* (gr. *διαλογος*) *canticum*, *chorum*: ita latina, chorum non habens, duobus tantum conſtabat, *diverbio* & *cantico*. Diverbia, quorum perſonae duae, aut tres, ad ſummum quatuor erant, voci hiſtrionum uni relicta, tantum pronuntiabantur; (cf. Liv. VII, 2. & Don. l. Evanthius de com. & trag.) In canticis autem, quae modis non a Poeta, ſed a perito artis Muſicae temperabantur, una tantum erat perſona, (itaque monologi erant *μονωδίαι*); aut ſi duae fuerint, ita eſſe debebant, ut una adſtans ex occulto audiret, neque colloqueretur: et Hiſtrionis tantum in eo erat, manu loquaci & geſtu ſ. ſaltatione exprimere, quae auloedus ad modos tibicinis caneret, item diverbia intermixta proferre, cuius rationis originem a Livio Andronico, poeta comico eodemque actore, repetunt Livius hiſt. l. c. & Val. Max. II, 4. Itaque & una ſcena canticis & diverbiis diſtingui poterat, quod Don. in praef. ad Andriam innuit: *Diverbii ac canticis lepide diſtincta eſt.* Idem de Com. & Trag. obſervat: *Neque enim omnia iiſdem modis in uno cantico agebantur, ſed ſaepe mutatis; ut ſignificant qui tres numeros* (M. M. C.) *in Comoediis ponunt, qui tres continent Mutatos Modos Cantici illius.* Tum in praef. ad Adel. inquit: *Modulata eſt autem tibiis dextris i. e. Lydiis, ob ſeriam gravitatem, qua fere in omnibus Comoediis utitur hic poeta. Saepe tamen mutatis per ſcenam modis, cantica mutavit, quod ſignificat titulus ſcenae, habens ſubiectas perſonis literas M. C. C. item diverbia ab hiſtrionibus crebro pronuntiata ſunt, quae ſignificantur literis D. & M. ſecundum perſonarum nomina praeſcriptis, in eo loco, ubi incipit ſcena.* Mutabantur vero modi per ſcenam, non ſolum pro ſenſuum varietate, l. gravium, l. laetiorum, quod Don. alio loco innuit; ſed &, quod Dacieria inſuper monet, Comoedia una diverſe modulabatur, perinde ut agebatur l. in feſtis diebus, laetitiae ſacris,

guſtare, & quod in os ſumpſeris, iterum exſpuere; quare alii a πλύνω deducunt.

Popularis, Ph. I, 1, 1 h. l. eiuſdem conditionis, ſortis, ut Don. l. ſodalis. Sic Sall. Cat. 22 *populares ſceleris.*

Portitores, Ph. I, 2, 100, magiſtri tributorum, ſ. publicani, qui operam in portu dabant, inferendarum rerum & referendarum vectigal exigentes, telonarii.

Poſt-illa, antique pro *poſtea.* Andr. V, 4, 34. Heaut. III, 1, 38. Ph. III, 1, 33.

Pote fuiſſet, Ph. III, 6, 2 antique pro *potuiſſet*, quod al. praeter Codd. optt. dederunt, cum a gloſſa eſſet. *Potis es*, Heaut. II, 2, 80; III, 5, 46.

Poteretur, Ph. V, 6, 2, antique tertiae coniug. pro *potiretur.*

Pretium, vox media, notans & poenam. Andr. III, 5, 4. cf. Hor. Carm. III, 24, 24. *Pretium ob ſtultitiam*, eſt *pretium ſtultitiae.*

Procedere, progredi. Andr. I, 1, 101 &c. proficere, augeri, Adel. V, 7, 22; ſed & *procedit bene* vel *parum*, quidquid bene i. male cedit. Ad. V, 4, 9. Andr. IV, 1, 48.

Prodeambulare, Ad. IV, 9, 4 h. c. (ex veriori lectione Donati) procedere ſegnem.

Prodere, differre. Andr. II, 1, 15.

Produxe, Ad. IV, 3, 8 antique pro *produxiſſe.*

Produxi, Ad. III, 4, 39 h. l deduxi, comitatus ſum.

Prolubium, Ad. V, 7, 28. Don. exponit per προθυμίαν, promptum animum ad largiendum.

Promiſti, pro *promiſiſti.* Ad. V, 6, 17.

Promovere, differre. Andr. IV, 2, 28. procedere, proficere, Andr. IV, 1, 16. Hec. IV, 4, 81. Non promovere, ſe movendo, Eun. V, 3, 4.

Propitius, Ad. I, 1, 6 placidus, favens. Opponitur *irato* & ap. Cic. alioſque.

Propriae voluptates, h. e. quibus nihil alieni intercedit. Andr. V, 5, 4. *Voluptati*, *gaudio*, contraria eſt *aegritudo.*

Protelare, Ph. II, 2, 36 h. e. velut crebrioribus telis propellere, proruere. *Protelum* eſt continuatio non arandi ſolum, ſed & pugnandi &c.

Proterve, Heaut. III, 8, 1 h. e. iniurioſe, quaſi quem proterendo.

Publicitus, publica cura & ſumptu, pro *publice.* Ph. V, 9, 85.

Puerum, Andr. II, 3, 26 quidquid peperiſſet Glycerium, ſine diſcrimine ſexus. Inde *puerpera*.

Punctum temporis, momentum. Ph. II, 2, 6.

Pura oratio, Heaut. prol. 46 h. e. cultior ſed tenuis, & ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem demiſſa, leni comoediae apta, quae pure cogitata moreſque ſimplices exprimit. Eſt enim oratio magis in ſententiis, quam in verbis. cf. Andr. prol. 12.

Puto, reputo, cogito. Eun. IV, 2, 4. Heaut. III, 1, 76. Sic Virg. Aen. VI, 332 *multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.*

Q.

Quadrupedem conſtringito, Andr. V, 2, 24 h. e. manibus & pedibus ita inter ſe deligatis, ut quadrupes videatur, depreſſis ad pedes manibus, prono capite &c.

Quaeſo, quid hominis es? Lenior correptio eius, qui tardus ſit l. abſurdus. Heaut. IV, 5, 7.

Quaſi, fere. Heaut. I, 1, 93.

Qui, unde, quo pacto. Hec. II, 3, 6; III, 1, 8.

Quid tum poſtea. Idiotiſmus, quo prius dicta contemnuntur; crimina leviora habentur; aut aliud quid ſubeſſe ſuſpicantes interrogamus. Eun. II, 3, 78; IV, 2, 9 & 7, 23. Ad. IV, 6, 15. Hec. III, 5, 37.

R.

Raptio ad perſonam (Ad. III, 3, 2), *rapina* ad rem, *raptus* ad ſtuprum refertur. ex obſ. Don.

Recte--probe--pulchre, ſunt aſſentationis verba. Eun. IV, 7, 3 ſq.

Redduco, ſaepius metri cauſa adhibetur pro *reduco*.

Religio, Andr. V, 4, 39 diligentia, cautio, metus, ne falſa pro veris habeas.

Relliquum, ſ. *reliquum* Ph. I, 1, 3 reſiduum ex ratione, ſ. quod ſubducta ratione debetur; inde eſt *reliquari*, ex reliquiis rationum contrahere aes alienum; *reliquator*.

Remorari, Andr. IV, 4, 18 retardare. Et tranſitive & abſolute dicitur.

Res, pro re familiari ſ. bonis patrimonii. Andr. I, 5, 54. Eun. II, 2, 10. utilitas. Andr. III, 3, 14. uſus, commercium. Heaut. I, 1, 3. *Rem habere* cum aliquo, honeſtius dicitur, quam cum aliquo conſueſſe. Eun. I, 2, 39. Ad. IV,

3, 96. *Re ſalva*, Eun. II, 2, 27 h. e. cum de meo impenderem.

Refert, iuvat, prodeſt. Andr. III, 2, 16. Ph. IV, 3, 41. Sic & Plaut. Epid. I, 2, 30.

Retundere animum, Heaut. V, 1, 73 redigere in meliorem habitum. Metaph. a ferro.

Revereri, metuere. Ph. II, 3, 3. Hec. III, 1, 10 & IV, 3, 8.

Reviſo, redeo ut videam. Andr. II, 4, 1. Eun. V, 4, 1.

Ringitur (Ph. III, 1, 27) qui dentes praeſtringit tantum, neque ex animo ridet, quod triſtis eſt. Plaut. Capt. III, 1, 25 *ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier; ſaltem ſi non arriderent, dentes ut reſtringerent.* Si quis igitur triſtis ſ. invitus ridet, (cf. Plaut. Aſin. V, 1, 13 ſq.) *ringi* dicitur aut *ſubringi*; v. Cic. ad Attic. IV, 5. Congruit cum hoc ſenſu verſus Ennii: *Ille triſtis cibum dum ſervat; tu ridens voras.*

Rivalis, eſt aemulus amator. Eun. II, 3, 62 & V, 11, 24.

Rubicundus, paulo minus, quam rufus; rubentes crines habens. Hec. III, 6, 26.

S.

Sane, Andr. I, 4, 2 h. l. valde.

Satagere, Heaut. I, 3, 13, ſollicitum eſſe, ſ. rerum ſuarum difficultate anxium agitare, αγωνιαν.

Satias, antique pro *ſatietas*. Hec. IV, 1, 18.

Saxum volvere, Eun. V, 11, 37. Don. admonet, proverbium fuiſſe dictum in eos, qui inextricabili ſudore affligerentur; tractumque putat a notiſſima Siſyphi fabula, ſaxum apud inferos ſurſum ac deorſum volventis.

Scitus, bellus. Andr. III, 2, 6. Ph. I, 2, 60. Opponitur *inſcitum*; vid. Hec. IV 4, 14.

Sectari, *diſcere*, Eun. II, 2, 31. Verba notant diſcipulos, quibus doctores praeibant.

Seditio, diſceſſio. Andr. V, 1, 11.

Senſti, per ſync. pro *ſenſiſti*. Hec. III, 8, 45.

Sentus, horridus & incultus. Eun. II, 2, 5.

Seria, vas vini minus, fictile. Heaut. III, 1, 51.

Serio, maiorem in modum, impenſe. Eun. III, 3, 22.

Sermonem caedere, Heaut. II, 2, 1 h. e. colloqui. Graeca phraſis κοπτειν λογους, ρηματα.

Servitus iuſta, Andr. I, 1, 9 in qua nihil iniquum iubetur; *clemens* ibid. etiam indulgentia plena.

Silicernium, Ad. IV, 3, 34. *Silicernios* (docet Fulgent. Expoſ. Serm. ant. 8) *dici voluerunt Senes incurvos, quaſi iam ſepulchrorum ſuorum ſilices adſpicientes*; quod & placet Eugraphio. Donato videtur melius *Silicernium ſenex*, *qui iam iamque ſilentibus umbriſque cernendus ſit.* Alias *ſilicernium* dicebantur dapes ab exſequiis oblatae Manibus, & ſuper ſilicem ſepulchri poſitae; unde Scal. ad Feſtum *ſilicernium* voluit dici eum, qui dignus erat, cui ſilicernium, coena feralis, apponeretur. Mittimus cetera, quae poſt Nonium, Feſtum, alioſque G. I. Voſſius in Etym. Kirchmannus de funer. L. IV. Taubm. ad Plaut. II, 4, 44 & Geſnerus in theſ. docte congeſſere.

Sino, Heaut. III, 5, 24 h. l. concedo, condono.

Solers, totus ad artes excultus. Eun. III, 2, 25.

Solidum corpus, firmum, non langueſcens. Eun. II, 3, 26. *Solidum gaudium*, plenum, integrum. Andr. IV, 1, 23. *Solidum beneficium*, Eun. V, 2, 32.

Sollicito, Andr. V, 3, 16 inquieto & contriſto (ob huius amentiam). *Sollicitor*, perturbor. Hec. IV, 3, 54.

Solus, deſertus. Eun. I, 2, 67. Ad. III, 1, 4. Ph. V, 9, 86. *Solus locus*, ſolitarius. Andr. II, 4, 3. *Sola mulier*, ſine auxilio, ac per hoc deſerta. Andr. II, 3, 7. *Solitudo*, Andr. I, 5, 56.

Sordidata & ſordida, Heaut. II, 2, 56. Illud ad veſtes refertur, hoc ad ipſam illuvie immundam.

Spatium, mora. Hec. III, 5, 14.

Sperare, Andr. II, 3, 21 h. l. timere. Weſterh. h. l. abſurdus.

Stataria (*comoedia*), Heaut. prol. 36 h. e. quieta, lenis; cf. Cic. Brut. 30 & 68. Opponitur *motoriae* ſ. laborioſae (quae ib. v. 37—40 explicatur). Sic quidem Don. Prolegom. ad Ad. explicat, facitque etiam ex utroque mixtum genus tertium, in quo eſſent loci & ſtatarii & motorii.

Stolidus, ſtultus, excors. Heaut. III, 2, 35.

Studium, perpetua cupiditas. Hec. II, 1, 5.

Studium muſicum, Heaut. prol. 23, h. l. poeſis comica. cf. Hec. prol. alter 15 & 38. Ph. prol. 18. Muſica & alias poeſin generatim notat, indeque omne ſtudium humanitatis, cuius illa pars habebatur.

Stultus, ignarus, imperitus. Eun. II, 2, 1.

Subagitare, Heaut. III, 3, 6. Al. *ſubigitare.* Sed promiſcua verba ſunt, alterum vetuſtius, alterum recentius. Plaut. Mil.

III, 1, 57 *alienum ſcortum ſubigitare in convivio;* cf. eundem Capt. in fine. Merc. I, 2, 90, Perſ. II, 2, 45.

Subſtare, conſtantem eſſe, fortiter reſiſtere. Andr. V, 4, 11.

Subtemen, *dictum ab eo, quod ſubeat ſtamen.* Sic gloſſa Bembini Heaut. II, 2, 52.

Succenturiatus ero, Ph. II, 2, 53 ſuccedam. Proprie eſt centurias deficientes explere; per met. ſuccedere iis, qui in principiis poſiti ſunt, ubi defecerint.

Sycophanta, calumniator, mendax. Andr. IV, 6, 20; V, 4, 16 & Heaut. prol. 38.

Symbola, collatio ſ. pecunia collaticia ſ. cibi collaticii. *Symbolam dare* Andr. I, 1, 61, conferre pecuniam ad epulas amicorum communes. *Symbolarum collator* ap. Plaut. Curcul. IV, 1, 13, eſt qui communi coenae apparandae praeficiebatur ab iis, qui *de ſymbolis eſſent* ſ. comedere vellent. *Quid de ſymbolis actum?* Eun. III, 5, 59. (h. e. quid de epulis collaticiis ſ.) *paratae ſunt.* Qui cum ſymbolam non dediſſet, ad epulas veniebat, ἀσύμβολος dicebatur. Phorm. III, 1, 25. Tales erant paraſiti, qui pro ſymbola convivis dabant riſum. Iul. Pollux VI, 123.

T.

Tangere, Eun. III, 1, 30 ludere ſimul & exagitare. Lenius adhibetur in re impudica Eun. II, 3, 81; IV, 2, 10. Heaut. IV, 2, 15. Ad. IV, 6, 52.

Tantum eſt, Eun. V, 6, 26 h. e. nihil praeterea eſt. cf. Hec. V, 2, 6. *tantumne? tantum.*

Tibiae dextrae, *ſiniſtrae; pares, impares; Lydiae, Sarranae.* (in titulis Comoediarum) Quae quales fuerint, ab eruditis anxie quaeritur, necdum adhuc convenit, aut in liquidum deductum eſt. Quam nos ex Donati, Servii, Varronis, Apuleii teſtimoniis colligimus ſententiam ſimplicem, exponemus. Erant ſcil. *tibiae*, (de quarum materia egit Plin. H. N. XVI, 36 & Dalechampius ad eum) aliae *dextrae*, aliae *ſiniſtrae.* Quod Feſtus dicit *dextrarum tibiarum genus eſt*, *quae dextra tenentur*, ex eo parum intelligas, quales fuerint. Don. l. Evanthius in fragm. de com. & trag. diſtinctius de utraque: Dextrae *autem & Lydiae ſua gravitate ſeriam Comoediae dictionem pronuntiabant:* ſiniſtrae *& Sarranae iocum in Comoedia oſtendebant: miſtim ioci & gravitates denuntiabantur.* Hactenus Don. Dextra quidem capacior & amplioribus foraminibus ſonum graviorem referens, prius inventa, eoque ſuperior erat &

incentiva cantici; dein ad varietatem & luxuriam cantus acceſſit ſiniſtra ſ. laeva, acutioris ſoni, quae ſuccentiva erat, quod Varro de R. R. L. I, c. 2 docet, dum paſtionem & agriculturam comparat: *Certe, inquit Fundanius, aliud paſtio, & aliud agricultura, ſed affinis, & ut* dextera tibia *alia, quam* ſiniſtra; *ita ut tamen ſit quodammodo coniuncta, quod eſt altera eiuſdem carminis modorum* incentiva, *altera* ſuccentiva. *Et quidem licet adiicias, inquam, paſtorum vitam eſſe* incentivam, *agricolarum* ſuccentivam, *auctore doctiſſimo homine Dicaearcho, qui oſtendit inſeriore gradu aetatis ſuſceptam agriculturam. Quocirca &* ſuccinit *paſtorali, quod eſt* inferior, *ut* tibia ſiniſtra *a dextrae foraminibus.* Hactenus Varro. Dextera igitur *incinebat* canticum, ſiniſtra *ſuccinebat;* & his *accinere* dicebatur, qui canticum pronuntiabat. In Eunucho canebatur *tibiis duabus dextra & ſiniſtra.* Sed Heautont. ſecundum agebatur *duabus dexteris*, qui erat modus Dorius, gravior.

Tibiae pares erant, quae pari modulatione compoſitae erant ſ. aequales habebant cavernas; *impares,* quae inaequales habebant cavernas ſ. foramina, eoque & dexterae ſonos graviores, & ſiniſtrae acutiores uno ſpiritu animatae ſ. inflatae edebant. Tibiae impares etiam *Phrygiae* dicebantur; de quibus Virgil. Aen. IX, 618 *Biforem dat tibia cantum;* & Servius ad h. l. (ex ed. Ven. 1534 p. 271, b) Biforem: *Biſſonum, imparem. et ſervavit* eis (ſc. Phrygibus) *tibiarum ſuarum naturam. Tibiae aut Serranae* [l. *Sarranae*] *dicuntur, quae ſunt* pares, *& aequales habent cavernas, aut* Phrygiae, *quae impares ſunt ſ. inaequales habent cavernas. Ergo* biforem, *diſſonum, diſſimilem: non enim ſunt pari modulatione compoſitae. Ut enim ait Varro: Tibia Phrygia dextra unum habet foramen; ſiniſtra duo: quorum unum, acutum ſonum habet; alterum gravem.* hanc Phrygiam inventam refert Apuleius Florid. 3 ab Hyagni, Phryge, Marſyae parente ac praeceptore: *qui primus duas tibias uno ſpiritu animavit, primus laevis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo concentum muſicum miſcuit.* Hinc apparet, tibias impares fuiſſe coniunctas in unam, ac reddidiſſe utriuſque, & dexterae, & ſiniſtrae ſonos. Omnes vero tibiae ab initio foramine pauco erant, ut Hor. A. P. v. 212 dicit; dein auctiores evaſere. Heautontimorumenos primum acta, *tibiis imparibus;* pariterque Phormio.

Tibiae Lydiae; Sarranae. Illas cum *dexteris* componit Don. has cum *ſiniſtris*. Adelphorum titulus vulgo tantum habet *Tibiis Sarranis.* Sed Don. in praef. adnotat: *Modulata eſt au-*

tem tibiis dextris, *id eſt*, *Lydiis*, *ob ſeriam gravitatem*, *qua fere in omnibus Comoediis hic utitur poeta. Saepe tamen*, *mutatis per ſcenam modis*, *cantica mutavit*, *quod ſignificat titulus ſcenae*, *habens ſubiectas perſonis literas*, *M. M. C.* [cf. quae ſub voce *Modus* notavimus]. Hinc Muretus, cui adſentitur Dacieria, legendum in titulo cenſet: *Acta primum tibiis Lydiis*, *deinde tibiis Sarranis.* Apulei. Florid. 4. *Lydium* modum dicit fuiſſe *querulum.* Sed Salmaſ. in Solini Polyh. cap. XI Lydium fuiſſe vult acutiorem, qui adeo ſiniſtris caneretur, & Sarranum illi affinem. *Sarranae* nomen habent a *Sarra*, *civitate*, *quae poſtea* Tyrus dicta eſt. cf. Gellius XIV, 6 & Servius ad Virg. Georg. II, 506. Nobis ſatis ſit, veterum haec teſtimonia conciliaſſe: in quibus melius ſapere licet, quam in recentiorum erroribus, quos mittimus.

Tollere. Andr. I. 3, 14 *quidquid peperiſſet* [ſ. maſculinum, ſ. femininum] *decreverunt tollere*, int. de terra, h. e. educare. A ritu antiquo, quo humi poſitos recens natos aut negligebat pater, aut tolli iubebat.

Tranſigere, gr. *διαγειν*, finire; abſolvere, quidquid reſtabat agendum. Andr. V, 6, 17. *re tranſacta* h, e. lite hac compoſita. Adel. II, 6, 22. *Vitam tranſegiſſe* dicuntur Sall. Cat. 1, de quibus poſt mortem ſiletur, quorum memoria interiit. *Aevum*, *aeſtas* etc. *tranſacta* ſunt, ubi nihil de iis ſupereſt.

Tribulis, Ad. III, 4, 76 h. e. ex eadem tribu. Athenienſis autem populus in 12 tribus diſtributus erat.

Turba, turbatio. Andr. I, 4, 8.

V.

Ubi ubi, ubicunque. Andr. IV, 2, 1. Eun. II, 3, 4 &c.

Utibile, Ph. IV, 4, 9. Plautinum & antiquius, quam *utile*, quod in quibuſdam libb. ſcriptis & edd. legitur.

Vadum, Andr. V, 2, 4 *omnis res eſt iam in vado*, h. e. in tuto. Prov. In vado enim eſt ſecuritas.

Valere. A quibus recedimus, l. quibuſcum nihil nobis eſſe negotii volumus, eos *valere* iubemus.

Vanitas, falſitas ſ. perfidia. Ph. III, 5, 41.

Vecordia, inſania, malignitas. Andr. IV, 1, 2.

Vectes, Eun. IV, 7, 4 palus grandior, quali & utebantur bello. Caeſ. B. C. 2, 11. Hor. od. III, 26, 7 apte h. l. dicit vectes foribus *minaces.*

Venuſtus, Andr. I, 1, 93 in quo multa eſt gratia, ſ. ad alios ſibi conciliandos factus; cui Venus favet.

Venuſtatis plenior, Hec. V, 4, 9 h. e. felicior in amore ſ. a Venere favente; cui contrarium eſt *invenuſtus* Andr. I, 5, 11.

Verbenae, ſunt herbae frondeſque feſtae, ad aras coronandas. Andr. IV, 4, 5.

Verbum, Hec. III, 3, 12 nuntius, h. l. boni; uti Andr. I, 5, 6 mali. Alias & *verbum* notat orationem ſ. ſententiam, proverbium. Andr. II, 5, 15; V, 3, 14. Eun. I, 2, 95; IV, 5, 6. Ad. V, 1, 17 & 6, 29. *Verba commutare*, altercari; *unum*, Andr. II, 4, 8; *tria*, Ph. IV, 3, 33.

Verus vultus, nativus ſ. ſincerus, qui animum oſtendit; non fictus aut ſimulatus. Andr. V, 1, 20. *color verus*, Eun. II, 2, 26.

Victus, coactus. Hec. IV, 1, 13.

Vietus, mollis, ſine vi inflexus, rugoſus; a *vieo*, inflecto [unde *vimen* eſt] Eun. IV, 4, 21.

Voſtrarum, veſtrum. Hec. II, 1, 43.

Vultus, vid. ſub *forma* & *verus*.

FINIS.